


DE
ORIGINE, VERITATE
ET OBLIGATIONE
JURIS GENTIUM
instituta
DISQUISITIO
in
ACADEMIA ARGENTORATENSI,
à
JO. JOACHIMO ZENTGRAVIO,
Philos. Pract. Prof. Ordin.





ARGENTORATI,
Ex Officina JOSIÆ STÆDELII.
M DC LXXXIV.





PERILLUSTRI AC GENEROSISSIMO DOMINO,

DN. JOH. DANIELI
de
BARTENSLEBEN,

HÆREDITARIO ET DYNASTÆ
zu Wolffsburg & Brohme/ &c.

SERENISSIMI BRUNSVICENSIUM ET LUNEBURGENSIUM DUCIS CONSILIARIO, ET REDITUUM PROVINCIALIUM PRÆFECTO INCLYTO,

DOMINO ET PATRONO MEO,

à supremo gentium Arbitro salutem & felicitatem perpetuam precor

PER-

PERILLUSTRIS AC GENEROSISSIME DOMINE.



Ircumſpicienti quem meæ *de Origine, veritate & obligatione juris Gentium diſquiſitioni* Patronum deligerem, TUUM Perilluſtre ſe obtulit Nomen. Miraberis equidem, qui, cum non aliter, quam nomine forte, & honorifica ab amicis facta mei mentione, TIBI innotuerim, id committere non dubitaverim. Verum ne id prolixe commemorem, TUI memoriam, ex quo Argentorati vixiſti, nondum plane intercidiſſe, ſed ſæpius apud plures, non ſine mentione excellentiſſimarum TUARUM virtutum recurrere: Cum bonæ artes atque literæ TE, qui in omni diſciplinæ genere egregie verſatus

es,

es, eximium experiantur Patronum, ſi decenti viciſſim & ſubmiſſo animi cultu illarum cultores erga ſuum ferantur hoc nomine Mæcenatem, ſuo hoc ipſo ſatisfaciunt officio. Accedit benevolentia illa TUA prorſus ſingularis erga noſtram Academiam, etiam in Generoſam prolem, rariſſimæ indolis adoleſcentes, ingenio, & induſtria ſub inſtitutione Ephori ſui Clariſſimi, Dn. *Andreæ Davidis Johannis*, J. U. Cand. ad patrias virtutes & laudē graſſantes, deſcendens; ad quam alendam, & ulterius provocandam, & me operam dare mea me jubet pietas. A quo quod, PERILLUSTRIS DOMINE, cum bona TUA gratia Argentoratum nuper negotii cuiusdam cauſa abiret, referri TIBI ubi remeaverit volueris, Academiæ noſtræ quis eſſet

ſtatus, literæque ad humanitatem, civilem item atque ſocialem vitam pertinentes, quo forent apud nos loco; ſatisfactum iri commode TUO deſiderio judicavi, ſi hancce meam *de Jure gentium* in gratiam juventutis noſtræ Academicæ conſcriptam, diverſisque vicibus colloquio Academico expoſitam *Diſquiſitionem*, Perilluſtri TUO Nomini conſecrarem. Agitur in ea de indole vinculi, quod mutuo nexu ad ſocialem vitam gentes liberas, quæq; aut quarum imperantes ſolo DEO ſunt inferiores, ligat, actusque illarum publicos in felicem omnium populorum, atque adeo univerſi humani generis beatã conſociationem ceu regula dirigit; cujus inter gentes uſus etiam, quæq; huius juris dici, atq; ad illud revocari

 de-

debent,explicatur. Eoque magis necessaria hodie est hęc opera,quo plures dantur,qui factam huius vinculi mentionem risu excipere solent,privati cōmodi studio plus justo intenti, & honestatē ex utilitate perverse æstimantes. Cognosces hinc,Perillustris Domine,officinam bonarum artium nostram esse Academitm, studiumque divini nominis gloriam illustrandi, publicumque bonum promovendi nobis cordi, bonas autem & publice utiles literas, profligata omni impietate, curæ esse. Serena ergo fronte accipe, cum quod hoc pacto observantiam meam erga TE contestari, tum quod hoc monumentum cultus mei in Generosissimam Familiam TUAM extare, atque à Perillustris


TUI Nominis ſplendore lucem aliquam huic meo labori acquirere voluerim. Soſpitet TE DEUS longiſſime. Vale. Scribeb. in Academia Argentoratenſi exeunte Februario, Ann. CIↃ IↃC LXXXIV.

PERILLUSTRIS GENEROSITATIS

TUÆ

obſervantiſſimus

JOHANNES JOACHIMUS ZENTGRAVIUS.



PRÆFATIO
ad
LECTOREM BENIVOLUM.



E Jure gentium disputatio quantis impedita sit difficultatibus, cum eruditorum vox constans, tum sententiarum divortia, quæ doctissimos quosq; in diversas distraxere opiniones, comprobant: ita ut non immerito vitio verti posse videri queat, si quis inter tot scopulos sine offensione ad exoptatum portum se perventurum, & cursu non impedito stadium hoc decursurum esse sibi persuadeat. Verum enimvero si hæc sufficiens fuerit ratio ad impetrandum à me, quo minus quid in quæstione de gentium jure, eiusq; indole explicanda, possem tentarem, ab omni accuratiore Philosophia, quæ sua non caret difficultate, mens erit revocanda. Ea enim huic seculo non obtinget felicitas, ut sublata opinionum varietate, omnis lis

 pero-

perorata dici queat. Interea cum veritas una sit, pro cujus integritate nos certare decet, etsi in obscuro obvoluta lateat, ejusq; in arduo sit investigatio, quaerentibus tamen atque indagantibus eandem tandem apparet. Licet deniq; & in hoc quoq; conatu etiam aliquid humani nobis eveniat, probari tamen is potius quam reprehendi debet, cum studio cognitionis atque scientiae homine nullum sit dignius: In quo excellere, *etsi ut cum* Ambrosio *loquar,* universis pulchrum videatur; *cogitare tamen debemus,* paucorum id esse assequi. *Quapropter cum studiosae juventutis desiderio satisfaciendum esset, contendentis ut quemadmodum alia occasione de* Origine, *veritate & immutabili rectitudine Juris naturalis agere placuisset, ita quoque pari ratione indoles juris gentium explicaretur; visum fuit re aliquanto altius repetita ita philosophari. Sociale nimirum jus cum sit jus gentium, atque humanum genus, qua in varias gentes atque civitates divisum est, ceu vinculum nexu reciproco liget, ut unitas ejus, atque universalis omnium mortalium consociatio conservetur, quae esset magnae hujus societatis indoles, primo omnium exponendum erat. Cum vero perpetuam hanc & in se indissolubilem esse facile appareat, dividatur licet humanum genus in varias distinctasque gentes atque civitates, recte hinc infertur, huic divisioni necessario rursus aliquo vinculo consulendum esse, quo genus huma-*

humanum rursus coalescat, divisique isti distincti cœtus consociati rursus uniantur; id quod jus naturæ præcise præstare non poterat, æque ad consociationem gentium qua talium insufficiens futurum, atque non sufficit consociationi civili qua tali dirigendæ: cum gentium socialitas atque consociatio peculiarem habeat indolem, à societate universali omnium hominum qua talium sub divino imperio, cuius vinculum jus naturæ est, distinctum. Ex necessitatis proin sensu cœtus humani generis sociales, h. e. gentes, ex naturæ socialis dictamine & imperio, communi vinculo, quod nexu reciproco omnes contineret, opus esse deprehenderunt, cuius fundamentum foret socialitas gentium, *jure naturali omnibus populis æque præcepta, atque socialitas in vita civili civibus qui eam degunt iniungitur, legibus licet positivis & illa custodiatur. Hoc naturæ imperium, urgensq; hæc communis gentium necessitas, facile gentium voluntatem permoverunt, ut in commune vinculum, quod ligamine reciproco omnes constringeret, communemque inter se agendi juris regulam, quam cunctæ sequerentur, consentiret, consensu pactoque sive tacito sive armis provocato. Gentium hæc voluntas* causa *juris gentium* proxima *est, cum communis omnium populorum necessitas* impulsiva, *præceptum vero socialitatis naturale* causa remota, *ipsa denique socialitas, atque contextus Rerumpubli-*

carum

carum, gentiumque unio, fundamentum *juris gentium dici debere nobis censeantur. Caterum quemadmodum civile jus, quo civitas utitur, ex naturalibus, gentium & civilibus stricte dictis praceptis constare dicitur, & pro positivo jure habetur, complures licet complectatur leges juris naturalis; sic nil impedit quo minus Gentium jus ex praceptis juris naturalis, ex variis gentium consuetudinibus, qua in legum vim transierunt, atq; pactis, sive expresse sive tacite factis, constare, & sic* materiam ex qua *nostri juris leges naturales, gentium consuetudines atque pacta esse contendamus: ita ut utriusq; juris hactenus eadem indoles sit, nec in gentium Jure id oppugnare & negare liceat, quod in civili conceditur. Obiectum, sive* materia circa quam, *sunt actus gentium publici, sive publicum illud commercium, quod inter gentes qua tales intercedit, qua decenti & sociali ordine in bonum omnium commune dirigendum. Nimirum uti socialis vita qua singuli conjungimur necessario mortalium inter se requirit, quo unio inter illos sibi constare possit, commercium, variaq; urget officia socialia, pro multiplici qua vita nostra laborat indigentia; ita & personarum compositarum sive integrarum societatum, qua inter se aque sociales esse atque consociari debent, atque sunt persona privata, sive qua singula spectantur, socialitas atque unio certum gentium inter se commercium requi-*



requirit, quod indoli singularis huius, atque à reliquis societatum generibus distinctæ gentium consociationis respondeat, singulari quoque & à reliquis distincto jure dirigendum. In hoc enim Forma atq; natura juris gentium consistit, quod populos in publicis commerciis ceu vinculum publicum & commune nexu reciproco liget, & regula sit actuum gentium publicorum, earumque actiones ad vitam socialem efficaciter dirigat. Directio hæc non fit absque obligatione, quæ sicut de essentia juris est, ita ad rationem formalem quoque juris gentium pertinet. Hoc vero cum humanum jus sit, ceu hominum, gentium nimirum qua tales sunt, voluntate introductum, obligationem quoque eiusdem humanam esse necesse est, cum vim obligandi autori suo jura debeant, sequanturque hac in re indolem suæ originis. Licet itaque leges de omittenda cæde, de non faciendo furto, naturales sint, & qua tales divina constringant mortales obligatione, quæ tamen autoritate civili sunt latæ, non nisi civili. h.e. humano ligamine ligant: id quod etiam de legibus naturalibus, quatenus sunt leges juris gentium præcise habendum. Non nego, gentes etiam qua tales jure naturali obligari, sed quæ aliquid juris gentiũ dicitur, nego id qua tale obligare nexu, quo jus naturæ constringit, sed ligare ligamine, quod juris gentium indoli respondet, humano nimirum, ab humana voluntate provenente, sicut ipsum jus gentium humanum est, ab humana

volun-

❧ ✿ ☙

voluntate profectum. Fundamentum *nimirum atque* ratio obligandi remotior, *& quæ latitudini huius iuris non respondet, sed inadæquata est, non debet confundi cum illo quod* proximè *hanc obligationem producit, quod uti diximus est voluntas gentium; cum jus naturæ causa remotior tantum & inadæquata, socialitas autẽ gentium, atque Rerumpublicarum contextus fundamentum obligationis sint, & non minus remote eandem urgeant. Cum vero hic voluntatis actus, quo gentes in communem publici sui commercij socialis regulam cum mutuo ligaminis nexu consenserunt, pacti vim habeat, & proin sub mutua fide, sive tacita sive expressa, hic egisse gentes manifestum sit, obligationem hinc iuris gentium à fide publica repetere non dubitavimus.* Finis *iuris gentium est bonum publicum, omniumque gentium felicitas atque felix consociatio, quarum paritati, atque iuribus reliquis consulit æqualiter, nulli in alterius iniuriam quicquam concedens, vel tale quid præcipiens, quod cæterarum iuribus inique derogaret. Explicavimus quoque, quæ nostra mens sit, cum de iuris huius universalitate, tum de eiusdem immutabilitate. Denique cum quotidiè ad gentium ius, & sæpenumero etiam imperite provocari contingat, atque glaucomate obiecto istud temere allegantes sibi invicem illudere, atque imponere haud raro conentur, me operæ pretium facturum esse iudicavi, si quomodo ad ius gentium aliquid referri posit, atq;*

iuris



iuris gentium esse dici debeat, distinctius explicatum irem. Non possunt enim non errare, qui ita crude & nude semper gentium ius urgent, confundentes vel ius civile plurium populorum, gentiumque consuetudines, sine ulla obligatione gentium mutua introductas, cum iure gentium propriè tali, quod pertinet ad mutuam gentium inter se societatem: vel non distinguentes ius gentium praeceptivum, eiusdemque praecipiendi modos, à iure gentium concessivo, variaque eiusdem concedendi ratione; absolutene, an secundum quid ista concessio se habeat; item num perfecta, an imperfecta sit; qualisque utrobique respondeat obligatio: Cumque complura, quae in se iniusta & iure naturali prohibita sunt, gentium autem iure impune committuntur, saepe gentium iuris titulo patrata dici velint, quid de eiusmodi etiam factis haberi debeat, addere visum fuit. Non enim de obligatione gentis adversus gentē recte iudicabitur, vel satis apte, nec temere ad Gentium ius provocabitur, nisi certo constet, quomodo ad illud aliquid pertineat. Habes hic, benevole lector, capita illorum, quae in ipsa de iure gentium Disquisitione prolixius sunt discussa; atque titulos, ad quos revocare licebit ea, quae in ipsa continentur tractatione; nostramq́ denique de iure gentium Philosophiam, in compendio synthesi συνθετικῇ exhibitam.

Caeterum cum inter alia praesidia huius iuris explicandi Historiam non antiquam tantum aut me-

diam,

diam, sed inprimis etiam recentiorem, atq; publica gentium Acta adhibuerim, & necessario adhibere debuerim, minime eo animo à me id factum censeri debet, quasi judicem controversiarum inter gentes agitatarum agere vellem: Injuriam mihi faciet, si quis meam sic interpretabitur mentem. Momenta rationum ex gentium jure petitarum, atq; à gentibus in controversiarum suarum disceptatione adductarum, huius juris explicandi gratia tantum adferre animus erat, abducta ab omni ulteriori examine & judicio, an ad quæstiones inter gentes ventilatas rite ista quadrarent, mente. Nec vero ea quæ sunt juris gentium commodius cognoscentur, quam ex praxi, historia & disceptationibus gentium. Quod si autem unius alteriusve quæstionis in medium allatæ discussio brevior justo alicui visa fuerit, cogitet in gratiam tyronum huius Juris exaratum hoc scriptum, principia & fontes potissimum, unde resolutio exortæ controversiæ peti possit, ostendere debuisse; nec eum huius commentarij scopum esse commode potuisse, ut omnium juris gentium controversiarum prolixa institueretur disceptatio. Deniq; quid hic præstitum sit, tuum erit, benivole lector, æquo dijudicare judicio, atq; omnia benigne interpretari. Vale.

I. N. J.

I. N. J.

De

JURE GENTIUM

PROOEMIUM.

NOn idem quo homines conjunguntur vinculi genus est, variante eodem, prout mortalium variat consociatio & conjunctio. Alios *indigentia & utilitas*, quo *collatis sociorum viribus & officiis defectus expleatur*, (a) cogit; alios *metus*, quo à latronum insidiis, hostiumque injuriis tuti sint, in societatem compellit. Ejusdem qui civilis consociationis sunt participes, eodem *summo imperio civili* continentur. Hoc enim, ut cum *Seneca*(b) loquar, *est vinculum, per quod Respublica cohæret: ille spiritus vitalis quem tot millia trahunt, nihil ipsa per se futura, nisi onus & præda, si mens illa imperij subtrahatur.* Etsi verò leges à supremo imperio civili passim præscriptæ, ad conservandum ordinem socialem, sine quo societas humani generis salva esse nescit, satis validæ videri queant, non tamen iisdem diversi cœtus civiles & Respublicæ, in quas totum genus humanum

a) *Cicer.* 1. *Offic.*

b) 1. de Clem. 4.

dispescitur, continentur, sicut ejusdem civitatis cives, qui commune agnoscunt imperium, consociari videmus, ut sint secundum *Platonis* (c) definitionem πλῆθος ἀνθρώπων ὑπὸ νόμον τὸν αὐτὸν ὄντων, *multitudo hominum qui sub eadem sunt lege.*

Diversis potius interdum institutis, moribus, legibus, studiis, contraria etiam ratione status, dissociari gentes videas. Non sane se Hispania movet, quin una contrario nisu Gallia moveatur, invalidis *apud Principes vinculis, quæ privatos homines ligant*, ipso etiam Gallicarum rerũ scriptore clarissimo *Gramondo* (d) judice. Sinenses, inter quorum studia Philosophia Practica secundum *Confutii*, qui illorum Hermes est, ad Leges Naturales & rectæ rationis dictamina cuncta revocantis, disciplinam explicanda, principem locum obtinet (e), ex nimio sive fastu, aliorumque populorum inhumano contemtu, sive ex ratione sui status, ab aliarum gentium familiari commercio ita abstinent, ut, amice licet provocati, difficilem sui aliis faciant copiam. Conqueritur non solum de hoc sive fastu, sive inhumanitate, *Athanasius Kircherus*, (f) quem Religioni Christianæ his in oris promovendæ multum obesse affirmat; sed & *Batavorum Legationes* nostro tempore ad Sinarum Chamum pro impetrando commerciorum fœdere, obtinendoque hoc nomine com-

c) *Opp. f. m.* 750.

d) *Hist. Gall. l. 6. p. 314. seq.*

e) *Martin. l. 4. Rer. Sinens. Kircher. Sin. Illustr. f. 116. 118.*

f) *Chin. Illustr.*

commeandi jure, missæ, eandem expertæ sunt difficultatem gentis, successu voto Societatis Indicæ minime respondente, obtinuerint licet tandem post complures superatas molestias, profusosque ingentes sumtus, *facultatem morandi in litore Sinensium.* (g)

Ita haud raro hoc suæ prudentiæ esse crediderunt Legumlatores, id dare operam in civitatis suæ formando statu, ut si non expresso Edicto, institutis certe, Sacris, Legibus & moribus contrariis, à nimia cum vicinis consociatione & familiaritate cives suós revocarent, ne ex commercio vicinitatis aliquid vitiosi contagii contraherent, vel vano rerum externarum amore capti, libidine res domi novandi incenderentur. Ipse sane sapientissimus Legislator Deus, quo Ebræorum gentem à societate cum Ægyptiis & Sabæis ineunda abstraheret, tales tulit leges, quæ ritibus, moribus, sacris & legibus eorum essent oppositæ. Docuit hoc ex Judæis *Maimonides*, (h) cujus exemplum ex Christianis secutus *Hottingerus*, (i) *præcepta Legis Mosaicæ, & affirmativa, & negativa cumprimis, ἀντίθεσιν sæpissime expressam continere rituum & ceremoniarum Zabæorum*, ostendit. De ritibus & Sacris Ægyptiorũ idem pronuntiavit *Athanas. Kircherus*, illustri inter alia *mactationis agni paschalis* exemplo explicans, (k) quomodo

g) *Hist. Legat. II. Batav. ad Sin. Cham. f. 73.*

h) *More Nevoch. P. III.*

i) *Histor. Or. l. 1. c. 8. p. 297. seqq.*

k) *Obelisc. f. 271.*

Ebræorum cultus cultui Ægyptiorum contrarius fuerit. Hac mente etiam *Plutarcho*
l) r. 1. Opp. Lyc.f.56. (l) dicitur Lycurgus non *reliquiſſe Spartanis liberum peregrinari & vagari,ne* ξενικὰ ἤθη, καὶ μιμήματα βίων ἀπαιδεύτων, καὶ πολιτευμάτων διαφορὰν, *externos mores adducerent ſecum, vel ritus male formatos, & diverſa inſtituta. Advenas etiam nulla de cauſa utili irrepentes in urbem abegiſſe*, μὴ διδάσκαλοι κακοῦ τινος ὑπάρξωσιν, *ne doctores alicujus noxæ forent.*

Cognoſcitur ex hinc, quod, ſi alia vincula deſint, ne quidē *humana naturæ communio*, ſi nude hæc ſpectetur, ſatis valide conſtringere gentes & populorum rectores queat, quo communitas illa univerſalis, quæ
m) 1. Offic.p. 10.ſeq. *Ciceroni* (m) *univerſi generis humani ſocietas & communitas* dicitur, conſurgat, & ab omnibus uti par eſt obſervetur. Quanquam
n) Act.17.26 enim DEUS, *Paulo* (n) Doctore, ἐποίησεν ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων κατοικεῖν ἐπὶ πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς, *ex uno ſanguine omne genus humanum habitare fecerit ſuper univerſam terræ faciem*, & proin, cum *inter feras ètiam tuta ſit ſimilitudo, & à ſuis abſtineant, à*
o) Senec. 1. de Clem. c. ult. *nobis licet immanitatis crimine damnata*, (o) ex communi hoc neceſſitudinis vinculo, ſatis late patenti, omnium populorum & Gentium uti ſocialis, ita benevolus invicem affectus eſſe debeat; tantum tamen abeſt, ut, licet omnium hominum & populorum

rum

rum eadem ſtirps, idemque ſanguis ſit, ſibi ab altero alterius temperet rabies, ut quo minus in ſe invicem ruant, ubi pudorem naturalem affectumque ſocialem nocendi libido repreſſit, nulla neque jura, neque pacta, neque promiſſa, neque neceſſitudo, à feritate ſua eos revocare poſſit, ridentes cum *Carneade* (p) *juſtitiam* ceu *ſtultitiam, quoniam ſibi noceat, alienis commodis conſulens.* Vix major furor homines diſſociaret, ſi vel è terra citra ullam generis & ſanguinis propinquitatem & commixtionem enati forent, quali olim origine Athenienſes gloriabantur; vel quod *Peyrerii* (q) fuit delirium, complures *homines maſculi & fœminæ, uno die, una eademque nec intermiſſa creatione, & ubicunque terrarum à Deo formati eſſent*, atque jam conſanguineos in ſe invicem agit, quo

homini ferrum lethale incude nefanda,
produxiſſe parum eſt:
adſpicimus populos, quorum non ſufficit iræ
occidiſſe aliquem: ſed pectora, brachia, vultum
crediderint genus eſſe cibi,

querula canit *Iuvenalis* (r) Muſa. Dantur ſane integræ Anthropophagorum nationes, eoque nomine ſicut olim infames fuerunt Tentyritæ, ita inter Africæ & Indiarum, uti appellantur, fuiſſe populos, & adhuc dari, qui ab epulis carnium humanarum, crudarum etiam, non abhorrent, tantum

p) *Lactant. l.5.c.17.*

q) *Theol. Praadamit l.3.p.m.150.*

r) *5. Sat.15. v.165.*

tum abest ut negari possit, ut ob hanc immanitatem jure barbaris his bellum ab Europæis illatum affimaverint contra *Victoriam*, *Vasquium*, *Azorium*, *Molinam*, alios, *Grotius*, *Verulamius*, alii. Et quid de prædandi libidine, in naturæ & Gentium jus immaniter iniqua, dicemus, qua non olim tantum, sed & nostro seculo, barbaræ & eferæ gentes, institutis hoc nomine excursionibus, latrocinia, ceu rem honestam, terra marique exercuerunt, ex rapto vivere assuetæ. Nota res est: Quæ cum olim Græcis, Latinis, Germanis, aliisque frequens ejus usus fuerit, media etiam ætate *Nordalbingorum populis*, *Sturmariis*, *Holzatis*, *Thetmarziis*, *Saxonum jura licet & Christianum nomen tenentibus*, ut *Helmoldus* (s) notat, probata, nec hodie apud Tartaros, Arabes, probro est, quibus *pigrum*, *imo iners videtur sudore acquirere*, *quod possis sanguine parare*, uti de Germanis *Tacitus* (t) loquitur. Hinc illa amica apud *Homerum* (u) Nestoris ad advenas facta compellatio:

Ω ξεῖνοι τίνες ἐστέ; πόθεν πλεῖθ' ὑγρὰ κέλευθα;
Η τί κατὰ πρῆξιν, ἢ μαψιδίως ἀλάλησθε
Οἷά τε ληϊστῆρες ὑπεὶρ ἅλα;

O hospites quinam estis? unde navigatis humidas vias?
An ob aliquod negotium, aut temere erratis
Tanquam prædones per mare qui errant?

Sinenses etiam à Batavis ad commerciorum fœdus

s) *Chron. Slav. l.1.c.* 47.
t) *de Germ.* c.14.
u) *Odyss. l* 3. v.71.

fœdus invitatos, hos ſibi hactenus, neque bello neque pace cognitos, primo talium numero habuiſſe, qui piſcando, mercando, plerumque etiam latrocinio maris vitam tolerarent, acta primæ Legationis, quorum *Niehofius* (x) auctor eſt, docent. Et certe ſi *Hobbianam* admiſeris Philoſophiam, potius impietatem, *admiſſo jure omnium in omnia, belloque omnium in omnes*, facilis horum latrociniorum datur excuſatio, cum antequam fœdere de non offendendo, vel alio pacto inito prohibeantur, ſe ſuo jure uſas fuiſſe objicere queant Gentes. Ita namque *Hobbes*: (y) *Natura*, inquit, *dedit* unicuiq; jus in omnia. *Hoc eſt, in ſtatu mere naturali, ſive antequam homines ullis pactis ſeſe invicem obſtrinxiſſent, unicuique licebat facere quæcunque & in quoscunque licebat, & poſſidere, uti frui omnibus, quæ volebat & poterat.* Quibus verbis Barbarorum & efferorum tam in Africa, quam in America populorum cauſam evidentius agere qui potuiſſet, non apparet; quos denique λῃστικὴν exercendo cōtra jus naturæ peccaſſe expreſſe negat.(z)

x) *pag.* 177.
y) *de Civ.* 1. 10.
z) *l.c.* 5. 2.

Ecquid ergo? dices. Num per hoc, quod genus humanum in complures cœtus & civitates ita dividitur, quas contrariis ſtudiis agi cernimus, univerſalem iſtam communitatem & ſocietatem, quam Leges Naturales intendunt, penitus ſublatam judicabimus? Nullumne commune vinculum

lum dari censebimus, quo Gentes & populorum rectores qua tales ad mutua officia obligentur, ut universi generis humani societas & communitas conservetur, & sic ab omnibus boni communis ratio habeatur? Verum enimvero sicut nec familiæ in quas civitas dividitur, & ex quibus illa coalescit, etsi diversis, contrariis etiam institutis utantur domesticis, de suo incremento solicitæ, à jure, quo ceu vinculo integra continetur societas, cujus sunt partes, privatis suis æmulationibus, dissidiis & altercationibus liberantur, cum cives, si patriæ mandata intercedant, cum *Aristide inimicitiam deponere*, (a) & cum *Popilio privatam amicitiam facessere* (b) deceat; ita diversis licet legibus & moribus populi haud raro utantur, contraria etiam ratione status, feritate, barbarie, atrocissimisque bellis & bellorum malis dissociati vivant, hoc ipso tamen à communi vinculo, quo civitates istæ & cœtus qua tales ex universalis societatis ratione inter se colligantur, non soluti censeri debent. *Fertur homo* B. ait *Augustin.* (c) *quodammodo naturæ suæ legibus ad ineundam societatem, pacemque cum hominibus, quantum in ipso est, omnibus obtinendam: cum etiam mali pro pace suorum belligerent. Nullum quippe vitium ita contra naturam est, ut naturæ deleat etiam extrema vestigia.* Idem de communi, & mutuo Rerumpublicarum vinculo di-

a) *Plutarch. t.2 Opp. f.* 186.

b) *Iustin.* 34. 8. 2.

c) *de Civit. DEI.* 19. 12. *t.V. Opp.*

lo dixeris. Univerſale enim iſtud civitatum jus, quo hæ inter ſe, ut univerſi generis humani ſocietas recte conſtare poſſit, colligantur, feritate & barbarie partim, partim etiam gentium faſtu licet quaſi abolitum contemnatur interdum, illud tamen apud barbaras etiam, & ab omni humanitate remotas nationes, vix ita penitus extinctum videtur, ut non ex ſocietatis ſuæ ratione ad iſtud etiam provocent. Ex inferioris certe Æthiopiæ populis, quibus *Hottentotiorum* ex Batavorum impoſitione hodie nomen eſt, Geringhaici, barbari licet & feri, brutisque, à quorum ſtupiditate parum ſunt remoti, quam hominibus ſimiliores, neceſſitatem & juſtitiam belli quod Promontorii ſui, *Caput Bonæ Spei* vocatur, recuperandi ergo cum Batavis à quibus inde ejecti fuerant, geſſerunt, ex ſocialitatis & dominii ſui ratione haud inepte vindicatum iverunt, dicentes, narrante *Dappero*, (d) *ſe, cum prætervehentibus à mari jactatis, & valetudinis, quietis etiam, viriumque recuperandarum gratia ad ſe delatis, aliquantiſper in ſuis agris, & & litore morari conceſſiſſent, è ſua jam non ſolum ditione à majoribus accepta pelli, aditque arceri, ſed & ſe invitis exſtructū à Batavis muniri caſtellum, ad ſe vel ſubjugandos, vel in officio continendos.* Eodem populorū & civitatum comuni vinculo conſtricti inſulæ *Formoſæ* principes, in Gentium & Naturæ jus ex barbara

d) *Afric. f.* 605. 619.

ferocia alias immaniter iniqui, negant *se Batavorum retenturos esse Legatos, modo non ipsi suos, quos mittebant, essent retenturi: Nefas enim id esse, nec juris belli.* (e) Sinenses denique, etsi hominum & civitatum inter se conjunctionem ad se non pertinere credant, ubi tamen cum aliis populis ipsis aliquid intercedit negotii, communis juris, quod vinculum Imperiorum & Rerumpublicarum mutuum est, quam non sint immemores, satis prudenter ostendunt. Sic enim ex Legato Batavorum, cum eum admisissent, quæsiverunt: *An bene omnia inter suos deposuisset, ne ulli Sinarum essent molesti?* quibus ille, annuentibus Sinensibus, *se in suos, ubi deliquerint, animadversurum esse* respondit. (f)

e) *II. Legat. Bat. ad Cham. Sin. f. 4. seqq. 157. 169.*

f) *Legat. III. ad Sin. Cham f. 222*

Quodnam itaq; & quale hoc vinculũ sit, quod Respublicas & gentes, in quas genus humanum dividitur, constringit, quodnam etiam illud sit Imperiorum jus publicum & universale, quod actus Civitatum qua tales sunt, publicos in commune bonum, & totius generis humani salutem dirigit, quæ ejus *origo*, quæ *vera ratio*, quæ denique *vis* & *obligatio* sit, disquisitione Philosophica dignum videtur.

Doctissimo equidem *Iohanni Feldeno* (g) negatur *præter Ius civile dari peculiare jus Naturæ & Gentium, quo regatur populorum gentiumque societas. Si n. civitas est perfectissima societas,*

g) *Not. in Grot. Prolog.*

cietas, frustra in jure pervestigando, gentium societatem censet adhiberi, cum ex ea consequi tantum juris naturæ liceat, nihil ut amplius desideres. Sufficere proin jus civile, ad cujus imitationem circa jus gentium procedendum esse monet. Verumenimvero etsi civitas ἐκ πλειόνων κωμῶν κοινωνία τέλειος, *ex pluribus pagis perfecta societas.* & πασῶν κυριωτάτη, καὶ πάσας περιέχουσα τὰς ἄλλας, *principalissima omnium* (societatum) *cæteras omnes complectatur*, uti docet *Aristoteles*, (h) aliud tamen est loqui de nexu juris quo continentur in civitate cives, aliud loqui de civitatum & populorum consociatione, quam universi generis humani societas requirit: Vinculum cujus nexu cives in civili quam constituunt societate copulantur, & jus privatum quo reguntur, omnino diversum est ab eo, quod ipsas civitates ad totius generis humani societatem conservandam continet. Inseruerint licet multi populi ex Jure Romano suo juri civili statuta, quod factũ esse ostendit *Arthurus Duck*, (i) aliud tamen est jus gentium, aliud jus Civile plurium populorum. *Etiam nũc*, inquit *Lindenbrogius*, (k) *in Galliæ Hispaniæque Scholis, ob solam æquitatis rationisq; præstantiã Studiosæ juventuti hoc prælegitur; non autem in judiciis, quasi necessario evincens allegatur.* Si sic: Ergo multo minus populi & populorum rectores, juxta illud ceu legem gentium actus suos examinari, & ad illius imita-

h) 1. *Pol. c.* 2. & 1.

i) *de usu & Auth. I C. R. in Domin. Princ. Christ.*

k) *Prolog. in Cod. LL. Antiq.*

imitationem se cogi patientur, ad quorum actus mutuos & publicos, cæteraque pace belloque facta, nec applicari potest, nec solet. Ut proin non appareat, quî vel *sufficere jus civile, vel ad ejus imitationẽ circa jus gentium procedẽdum* esse recte dicatur. Philosophice *Seneca* (l) *duas*, inquit, *respublicas animo complectamur, alteram magnam & vere publicam, qua Dij* (rectius Deus) *atque homines continentur, in qua non ad hunc angulum respicimus, aut ad illum, sed terminos civitatis nostræ cum sole metimur: alteram cui nos adscripsit conditio nascendi. Hæc aut Atheniensium erit, aut Carthaginensium, aut alterius alicujus urbis, quæ non ad omnes pertineat homines, sed ad certos.* Licet etiam jus civile, quatenus complectitur totum illud jus quo civitas utitur, *ex naturalibus, gentium & civilibus stricte dictis præceptis constet,* notante doctissimo Dn. *Erico Mauritio,* (m) cum jure civili tamen & privato Gentium commune & Publicum jus neque confundendum, neque hoc ex illo, nisi imperfecte, lubrice, confuse & minus accurate, cognosci, vel ad ejus, ceu diversi, & cujus alius est scopus, imitationem doceri posse censendum. *Corpus LL. Antiquarum*, Wisigothorum, Burgundionum, Alamannorum, Ripuariorum &c. quin multa naturalia & communia contineat, dubium non est, occurruntque ea Leges has perlustranti; at quam difficile sit naturalia à positivis,

l) *de Vit. Beat, c.* 31.

m) *Spec. Iur. P. p.* 27.

ſitivis, civilia ab illis quæ ſunt juris Gentium, ſive propria à communibus ſeparare, explicatum eſt *Seldeno*, (n) experiendoque id quilibet diſcet, quam ſit haud raro difficile.

Inſtat *Feldenus*: (o) *At in jure gentium deſunt naturalia principia, quia ſola civitas ex mente Ariſtotelis naturalis eſt ſocietas.* Sed quî dici poteſt, illi juri naturalia deeſſe principia, quod fundatur in conſociatione generis humani univerſi, ex communi item hominum ſocietate deducitur, commune etiam bonum, omniumque gentium & civitatum nexum reſpicit? Cumque ipſa natura totum genus humanum conſociatura, gentium quoque intendat conſociationem, jure & hæc naturalis dici poteſt & debet. *Solam vero civitatem ex mente Ariſtotelis naturalem eſſe ſocietatem*, aperte negatur ab eodem, (p) quando *κοινωνία*, inquit, *φύσει τῷ θήλει καὶ τῷ ἄῤῥενι μάλιστά ἐστιν, maxime naturalis ſocietas eſt, inter marem & fœminam.* Quando vero addit, *ſi ſit gentium ſocietas naturalis, eam ex mente Ariſtotelis imperfectiorem eſſe, & ſuum jus ad imitationem juris civilis habere, cum imperfectiores ſocietates jus ſuum capiant perfectiſſimam imitando;* agnoſcimus equidem cum *Grauvvinckelio* (q) civilē ſocietatem eſſe perfectiorem quam gentium eſt ſocietas, ſed exinde non ſequitur, quod hæc non in jure ſibi proprio fundetur, & quod hoc non ex indole

n) *de I.N.O. l. 1. c. 3.*

o) *l. c.*

p) *1. Oecon. 2.*

q) *Strict. contra Felden p. 11.*

indole hujus consociationis investigari possit, sed ut illud cõficiamus jus civile nos imitari oporteat, quod ceu privatum ab illo, ceu publico, plane diversum est. Quare cum Gentium jus non sit per se ejusdem generis cum privato, hoc ceu primum non esse illius mensuram manifestum est. Unde licet diffusa, & immensa denique LL. civilium copia apud Romanos fuerit, ita ut Jul. Cæs. etiam *ius civile ad certum modum*
r) *Iul. Cæs.* c.44. *redigere* destinaret, uti *Suetonius* (r) memorat, ab antiquissimis tamen temporibus præter jus Papirianum, Legesque duodecim Tabularum, cæterasque, *jus Feciale* sancte fuit observatum. Gentium hoc esse jus & à jure civili diversum, non nomen solum
s) *Diss. de Clarigat. c.* 2. innuit, cum *Feciales*, notante B. *Bœclero* (s) *ideo dicti fuerint, quod fidei publicæ inter populos præerant*; sed & ex eorũ hoc constat officio, cum *fœderum, pacis, bellorum, legationum & reliquorum hujus juris cum exteris curatores*, uti loqui-
t) *De Iur. Bell. l.1. c.1.* tur *Alberic. Gentilis*, (t) *belli pacisq; disciplinam sibi commendatam* habuerint secundum *Carolum Sigonium*, (u) quod ex *Varrone*, *Cicerone*,
u) *1. de Ant. Iur. Civ. Roman. c.19.* *Dionysio*, *Plutarcho*, *Livio* pluribus explicant,
x) *de Re Milit. Vet. Rõ. l.1. p. m. 38. seqq.* *Ioh. Anton. Valtrinus*, (x) *Bœclerus*, (y) alii. Etsi vero jus Gentium Ebræorum tam *Imperativum*, quam *interveniens*, prout *à Seldeno* (z) explicatur & dividitur, ad jus civile hujus
y) *l.c.*
z) *de I.N.G. p.175.* Gentis potius pertineat, quam ad jus commune omnium populorum, neutrum tamen ad

men ad jus Gentium propriè dictum referri, & non nisi *objective* ita dici, post *Bœclerum* (a) erudite animadvertit *Rachelius*. (b) Gentium hoc comune jus, cum per Ebræorum *Interveniens* & *Imperativum* tantum limitabatur, etiam principes secuti sunt, ubi istius limitatione non prohibebantur: Introductum enim erat à Sapientibus Ebræorum illud *Ius Gentium interveniens*, ne Judæi ex Gentilium consuetudine, societate, consortio familiari, commerciis & contractibus, idololatria inquinarentur, à quibus proin, quatenus commode fieri poterat, abstinebant. Objicit hinc Apollonius Molo Judæis, ὅτι μὴ παρεδέχοντο τοὺς ἄλλαις προκατειλημμένους δόξαις περὶ Θεοῦ, μηδὲ κοινωνεῖν ἤθελον τοῖς καθ᾽ ἑτέραν συνήθειαν βίου ζῆν προαιρουμένοις. *non admitti ab eis qui de Deo sentirent alia, nec quicquam ipsis commune esse cùm his qui institutis differrent.* Complura loca collegit *Grotius*. (c) Ex *Maimonide* idem *Seldenus* (d) docet, qui præter Jus Gentium determinate secundum Ebræorum disciplinam spectatum, alibi (e) *jus omnium Gentium commune* agnoscit.

Vinculum hoc, quo nexu reciproco universi populi & civitates qua tales invicem colligantur, cum legis instar sit gentibus, ad mutua illas qua tales officia obligantis, & facultatem aliquid agendi habendique illis concedentis, *Gentium Ius* dicitur,

uti

a) *Com. Grot. P. I. p. 159.*
b) *de Iur. Gent. §. 18. seqq.*
c) *I. B. 2. 15. 9*
d) *l. c.*
e) *de Mar. Claus.*

uti recte, ita & ambigue. Veteres enim quando de Gentium jure loquuntur, *Ius Natura* passim intelligũt. *Cicer. natura*, inquit (f) *i.e. jure gentiũ &c.* Alibi (g) ita loquitur: *Lege naturæ, communi gentium iure sancitum est*: sub *Fecialis juris* nomine ea cõplexus, quæ juris Gentium alias, prout Juri naturali contradistinguitur, esse dicimus. Sic enim de facto Reguli disputat: (h) *Regulus non debuit conditiones, pactionesq; bellicas & hostiles perturbare perjurio: cum justo* (ex feciali scil. sive Gentium jure) *enim & legitimo hoste res gerebatur, adversus quem & totum jus Feciale, & multa sunt jura communia.* Videtur autem *Cicero* naturæ jus Gentium juris notione exprimens JCtos esse secutus, cum quibus alias etiam loqui solitus erat. Nam & hi quando *Ius Naturæ* describunt, juris Gentium appellationẽ ei tribuunt, quia *quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, id peræque apud omnes custoditur, eoq; etiã Gentes quasi jure utuntur.* (i) De JCtis Græcis videatur *Seldenus*. (k)

Historiarum etiam scriptores eã quæ jam ex *jure Gentium* fieri dicunt, mox variata loquendi ratione, ajunt esse *juris natura*. Rectene, an minus? jam non disquirimus. Apud *Livium* (l) affectati regni reo fratri Demetrio his se opponit argumentis *Perseus*: *Regnare utique vis, huic spei tuæ obstat ætas mea, Gentium jus*, &c. Unde cum *Ptolemæus* Ægypti rex *moriturus minori natu ex*

filiis

f) 3. Off. p. 56.
g) Orat. 30. p. 251.
h) 3. Off. p. 82.
i) Inst. de I. N.G. §1.
k) de I. N. G. l. 6. p. 76.
l) l. 40. c. 9.

filiis regnum tradidisset, *contra jus Gentium* hoc factū tradit *Iustinus*:(m) Jus verò naturæ intelligi, alibi (n) expresse habetur, quando *milites Dionysii, quod in defuncti locum maximum natu ex filiis suffecissent, naturæ jus secuti* dicũtur. Jus autem naturæ quare Gentium jus vocet, hanc dat (o) rationem, quia *à natura ipsa gentibus datum est.*

m) *l.* 16. *c.* 2. §. 7.
n) *l.* 21. *c.* 1. §. 2.
o) *l.* 2. *c.* 10. 2.

Alia acceptione *Ius Gentium* (2) dicuntur *mores recepti*, & *consuetudines* complurium populorum usitatæ, etiam citra mutuum respectum & obligationem tales. Referunt huc nonnulli verba Persei apud *Livium* (p) fratri opposita, quibus eum pro jure suo ad *Gentium jus* modo provocasse vidimus. *Herodotus* (q) hinc similem tractans controversiam, *esse*, inquit, νομιζόμενον πρὸς πάντων ἀνθρώπων, τὸν πρεσβύτατον τὴν ἀρχὴν ἔχειν, *apud universos hoc homines institutum, ut maximus natu liberorum obtineat principatum.* Ita quando *Cicero* (r) hyeme *omnia bella jure Gentium conquiescere* dicit, non de jure naturæ, ut alibi, sed de recepta gentium belligerantium consuetudine loquitur. JCtis quoque *Iuris Gentium* sæpe numero multa dicuntur, quæ tamen cum non pertineant ad mutuam gentium inter se societatem, potius cum *Grotio* (s) ad morem populorum communem, & receptas consuetudines, quæ vim juris, h. e. liciti, & facultatis agendi habent, referimus, ita ut certa ratione

p) *l. c.*
q) *l.* 7. 167.
r) *Orat.* 39. *pro Rab. Posth. p.* 129.
s) 2. *de I. B.* 8. 1.

hic

t) *LL. Longobard. l. 2. Tit. 41. L. 6. f. 640.*

u) *Diss. de Prod. §. 35. seq.*

x) *Epist. in Urstis. t. I. script. German. m. f. 400.*

y) *de Bono Conj. c. 8. t. VI. opp. f. 796.*

hic locum obtineat illud *Pipini*: (t) *ubi lex deest, præcellat consuetudo.* Pertinet huc ejusdem *Grotii* jus Gentium impunitatis, in moribus & consuetudine, & ex hinc profecta agendi licentia consistens, quo sensu *Proditiones* in bello nonnunquam juris Gentium dici, alibi (u) diximus, quia nimirum ex consuetudine sic invaluerunt, ut pro licitis, h.e. quæ non pro turpibus haberi, nec puniri solent, censeantur, & proin non proprie sunt juris Gentium. Unde cum sic hujus juris ea etiam dicantur, quæ communi usu recepta sunt, *Henricus* IV. Imperat. quod paucarum dierum inducias ad componendum bellum ei hostes tantum concedere vellent, cum omnino longiores essent necessariæ, haud raro cōcedi solitæ, non *secundum usum hominum* id fieri, questus est. (x) Ex Patribus B. *Augustin.* (y) consuetudinem repudiandi uxores, compluribus populis receptam gentium jus appellat: *Aliter,* inquit, *se habere jura Gentium quis ignorat, ubi interposito repudio sine reatu aliquo ultionis humanæ, & illa cui voluerit nubit, & ille quam voluerit ducit. Cui consuetudini simile aliquid propter Israelitarum duritiem, videtur permisisse Moses de libello repudij.*

Proxime huic significationi accedit (3) *juris Gentiū* acceptio, qua significatur *jus civile plurium populorū*, vulgari quidem, doctissimis tamen JCtis, non Philosophis tantum, minus

proba-

probatâ consuetudine.. Notio hæc est de jure gentium *Vasquij*, (z) qui opinatur, *ea quæ sunt juris gentium, prius fuisse juris tantum civilis, sed paulatim serpsisse, aut velociter transvolasse ad reliquas gentes & regiones, sicque cum primum ab uno vel altero homine, vel regione inventum fuisset, & receptum, tunc juris tantùm civilis, non etiam juris gentium al esse. Verum postquam eo jure omnes omnino, aut pleraque aliarum gentium uti quoque cœpissent, jam juris gentium effectum videri, inq; jus gentium conversum & transformatum. Quemadmodum & ex diverso, si id quod hodie juris gentium est, in desuetudinem abire forte cœpisset, ita ut penes unam tantùm provinciam maneret, sine dubio juris gentium esse desineret, & jam juris tantum civilis esse diceretur.* z) *C. I. l. 2. c.* 54. *p.* 450.

Verum enim vero cum *prior* acceptio jus naturæ cum gentium jure confundat, à quo omnino diversum est; *altera* usu receptas populorum consuetudines, & communem morem, nullam mutuam eorundem obligationem, sine qua nulla lex esse potest, aut relationem ad alias gentes, inferentes, impias etiam haud raro, & à recti regula exorbitantes, ipso *Grotio* (a) non refragante, sub vero nomine juris venditet; *tertia* denique vincula civitatum, pluribus licet communia, singulis tamen propria, & unius tantum cœtus civilis socios qua tales per se, & citra respectum ad alium popu- a) *de I. B. P.* 3. 10. 1.

 lum,

lum, obligantia, pro vinculo mutuo, & communi omnium civitatum& populorum qua talium substituat, patet nullam harum significationum ad nostrum pertinere institutum,(b) qui *jus Gentium proprie dictum* pro tali habemus *jure, quod ceu vinculum nexu reciproco ad omnes populos & gentes pertinet, illorumq; consociationem concernit, quoque illorum actus publici, qui civitatibus qua tales sunt intercedunt, ad invicem in commune bonum diriguntur & ordinantur.* Dicitur alias *jus apud omnes receptum.* Ita enim Platæenses apud *Thucyd.* ὀρθῶς, inquiunt, ἐπιμωρησάμεθα κατὰ τὸν πᾶσι νόμον καθεστῶτα τὸν ἐπιόντα πολέμιον ὅσιον εἶναι ἀμύνεσθαι, *merito eos ulti sumus, jure apud omnes recepto; ut hostilia patrantem ulcisci liceat.* *Ius mundi* vocatur *Lucano*. (c) *Sed neque* jus mundi *valuit, neq; fœdera sancta gentibus. Tacitus* (d) *fas Gentium* appellat.

b) Vid. Boecl. Com. Grot. P.1. p.171. seq.

c) l.10. v. 471.

d) 1. Annal. 42.

Cæterum etsi hoc Gentium jus in ore fere sit omnium, ubi tamen quid illud sit, quæ ejus origo, ad quæ se extendat vitæ socialis negotia, quæque ejus sit obligatio, definiri debet, doctissimos videas hic inter se dissentire viros. *Grotius*, inquit B. noster *Bœclerus*, (e) *singularem in jure Gentium explicando diligentiam professus est. Valde autem vereor, ut vel ipse, vel quisquam alius poßit inoffenso cursu hoc stadium decurrere; quin semper eo redeatur, unde discessum oportuit.* Dabit proinde & nobis B.L. veniam, ubi in hac Philosophia explicanda ejus expectationi non omnia responderint.

e) l.c. p.169.

ARTICULUS I.

De

De Universali generis humani societate.

§. 1.

EXimia de generis humani consociatione *Augustini* (a) est Philosophia, quando *ad humanum genus non solum naturæ similitudine sociandum, verum etiam quadam cognationis necessitudine in unitatem concordem pacis vinculo colligandum, ex uno homine Deum homines voluisse instituere*, graviter affirmat. Paucis multa complexus: *Prima* sc. universi generis humani societatis, quæ *latissime patens hominibus inter ipsos, omnibus inter omnes societas Ciceroni* (b) dicitur, quæ *initia* sint, quam *late hominum se consociatio extendat*, & quo contineatur *vinculo*.

a) de Civ. D. l.14. c.1.

b) 1. Off. p. 11.

§. 2. Societas totius humani generis, tot gentium & civitatum, moribus, cultu, studiis, legibus, institutis, corporis habitu, omnique vivendi genere haud raro dissimilium, ab uno incipit homine, quando, ut rursus B. loquitur *Augustinus*, (c) *nec ipsam quidem fœminam copulandam viro sicut ipsum creare Deo placuit, sed ex ipso, ut omne ex homine uno diffunderetur genus humanum*. Inepti hic sunt Judæi, cum, sicut *Menasses* (d) refert, qui ab hoc

c) de C. D. l.12. c.21. f. V. opp.

d) Concil. p. 14.

ab hoc commento & ipſe non multum alienus videtur, primum hominem fuiſſe ἀνδρόγυνον biformem fingunt, viro in fronte conſtituto, muliere autem à tergo ſcapulis ejus agglutinata, qui dein in marem & fœminam fuit diviſus, æque abſurde, atque illa, quæ apud *Platonem* (e) de hominis *in duas partes diviſione* habentur, quod figmentum eundem ex *Moſe*, vel non recte intellecta primorum hominum creatione, vel detorta in errorem veritate, hauſiſſe opinatur *Euſebius*. (f) Verum conſociationis generis humani initium coram gentibus, Athenienſibus ſc. quorum *terra ex ſe ſuos cives genuiſſe*, & ipſis, (g) & aliis, (h) fuit credita. Gentium Doctor *Paulus* (i) expoſuit. ἐποίησε, inquiens, *Deus* ſc. ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων κατοικεῖν ἐπὶ πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς. Gentilium proin, cum aliorum, tum Sinenſium commentum *de hominibus è terra natis*, de quo *Voëtius*, (k) fabulamque *Iſaaci Peyrerii*, (l) de compluribus hominibus longo ante Adamum tempore à Deo conditis, & huic conformes aliorum hypotheſes, merito in hac Philoſophia rejicimus, cum & *Arabes, Turca, Perſæ, Samaritani cum reliquis plerisque Orientalibus*, ab uno homine genus humanum deſcendere confiteantur, uti *Hottingerus* (m) teſtatur.

§. 3. Cæterum uti ab unius hominis ſanguine omnes mortales derivando ſupremus

e) *Convivi f. m.* 322.
f) *de Præparat. Evang. l.* 12. *c.* 12.
g) *Plat. Menex. f.* 404.
h) *Cicer. Orat.* 24. *pro L. Flac.*
i) *Act.* 17. 2.
k) *Tom. I. diſſ. Sel. p.* 783.
l) *l. c.*
m) *Hiſtor. creat. p.* 7.

premus rerum arbiter totius humani generis consociationem intendit; *unum* enim ut rursus *Augustini* (n) verbis utar, *ac singulum creavit, non utique solum sine humana societate deserendum, sed ut eo modo vehementius ei commendaretur ipsius societatis unitas, vinculumque concordiæ, si non tantum inter se naturæ similitudine, verum etiam cognationis affectu homines necterentur.* ita quoniam nos animalia socialia Deus esse voluit, socialem quoque naturam, facultatesque non nisi ad vitam socialem aptas & necessarias, nobis concessit, ut divino etiam judicio (o) *bonum non sit homini, esse solum.* Hinc vi *rationis*, ut *Cicero* (p) loquitur, *natura conciliat hominem homini & ad orationis & ad vitæ societatem*, per connatum lumen recti, semenque boni, quod jubet honeste vivere, neminem lædere, & unicuique suum tribuere, quo ipso per naturam ad vitā sociale homo cognoscitur destinatus, à qua tam sanctis legibus, ne socio noceat, ejus actiones circumscribuntur. Recte proin *August.* (q) *homo*, inquit, *fertur quodammodo naturæ suæ legibus ad ineundam societatem, pacemque cum hominibus, quantum in ipso est, obtinendam.* Ex Græcis vero *Clemens Alexandrin.* (r) φύσει, ait, κοινωνικοὺς καὶ δικαίους ὁ Θεὸς ἡμᾶς ἐδημιούργησεν, *natura ad societatem aptos justosque nos Deus fabricatus est.* Tanta etiam virtute animi pollet, ut societates fundatas rite ordinare, & apte

n) l. c.

o) Gen. 2.

p) 1. Offic. p. 5.

q) de C. D. l. 19 c. 12.

r) l. 1. Strom. f. 286.

formare possit, sufficientibus instructus viribus, ut compluribus inservire queat, nec per naturæ suæ necessitatem, & tenuitatem, sibi soli prospicere teneatur. Magna etiam vis est memoriæ ejus, quo per sufficientem doctrinã & experientiam, prudentiam in vita sociali necessariam acquirere possit. Hinc loquendi facultas soli inter omnia animalia homini concessa, cujus extra societatem nullus usus est. ὁ λόγος ἐπὶ τῷ δηλοῦν ἐστὶ τὸ συμφέρον καὶ τὸ βλαβερόν, ὥστε καὶ τὸ δίκαιον, καὶ τὸ ἄδικον, *ad hoc sermo datus est nobis, ut ostendamus utile & noxium, atque ita*
s) 1. Pol. 2. *justum & injustum*, secundum *Aristotel.* (s) Nec
t) 1. Offic. p. 21. alia *Ciceronis* (t) est sententia: *Vinculum*, inquit, *societatis universi generis humani est ratio & oratio: quæ docendo, discendo, communicando, disceptãdo, cõciliat inter se homines, cõjungitq; naturali quadam societate.* Hinc amor nõ solum erga diversum sexum, isque naturalis, ad quem ob corporis sui fabricam & temperiem recte se habentem homo, etiam invitus nõ raro, propendet, & cura quædam eorum quæ procreata sunt, sed & dilectio proximi sive socij, aliique affectus sociales, φιλανθρωπία, benevolentia. *Neminem*,
u) de Gub. 2. p. 55. putat *Salvianus*, (u) *vel in toto humano genere tã malũ esse, qui ideo cum ullo hominũ velit esse, quia non amet, & ad hoc tantum uti præsentia sua cupiat, ut majore odij fructu possit despicere præsentem. Ipsa nos vel doceat humana natura.*

vel

vel vincat, *si non ideo cum quocunque homine esse cupimus, quia eum cum quo esse cupimus, diligimus.* Hoc nomine *natura prodesse hominibus jubet* secundũ *Senecam*, (x) & commiserationis affectus socialis nobis inditus est, ut *homo hominem tueatur, diligat, foveat, contraq; omnia pericula & accipiat, & praestet auxilium*, judicio *Lactantij*. (y) Ex risu & fletu socialitatem hominis probat *Richardus Cumberlandus* (z); qui ingeniosa etiã & erudita ex doctissimis Anatomicis instituta διασκέψει, corpus nostrum humanum à Sapientissimo creatore ita fabricatum esse ostendit, ut hominem ad vitam socialem, & ad operationes in vita sociali edendas, à Deo esse destinatum negari nequeat. (a) Non solum enim nonnullorum membrorum, & corporis humani partium functiones ad nullam aliam, quam vitam socialem habent respectum, sed & ut homo societatem colere possit, praecellit ejus corpus insigniter prae corporibus animalium caeterorum, non tantum singulari efformatione ad promtum ministerium, mutuaque officia, sed & majori sanguinis copia, vigore, agilitate & defecatione ad nobiliores operationes necessaria, peculiarique nervorum plexu, cordisque cum cerebro conjunctione plane admirabili, ut affectus exorbitantes imperio rationis coërcere partim possit, partim debeat, quo tranquillam cum sociis vitam

x) *l. de Vit. B. c. 24.*

y) *l. 6. c. 10.*

z) *Disquis. de LL. Nat. p. 146. seq.*

a) *l. c. c. 2.*

agere poſſit, affectuum impetu alias omnem conſociationem turbaturus, ceu ex doctiſſimis Anatomicis prolixius hæc laudatus explicat *Cumberlandus*. Unde cum natura noſtra, niſi aliunde contracto vitio, ſolitarium non amet, fit hinc, ut homini perpetua ſolitudine nihil triſtius ſit, nihil moleſtius. Accedit quod affectus qui homines diſſociant, quales ſunt invidia, ira, & à quibus actus nocendi exoriuntur, ſanguinis intēperiem arguant, quam in corpore noſtro plurima ſequuntur mala; cum affectus ſociales, amor, ſpes, lætitia, naturam hominis conſervent, ut omnes functiones animales facilius peragantur. Denique cum ſolitudo etiam pravos in homine

b) *Epiſt.* 10. ſuſcitet affectus, uti obſervat *Seneca* (b), rectamq; in homine turbet facultatum & virium corporis harmoniam, & ſic naturæ humanæ inimica ſit, recte hinc dixit *Ariſtotel.*

c) 1. *Pol.* 2. (c) *ὁ ἄπολις διὰ φύσιν, καὶ οὐ διὰ τύχην, ἤτοι φαῦλός ἐστιν, ἢ κρείττων ἢ ἄνθρωπος.* Imo non ſolum animal homo eſt ſociale, ſed *magis etiã ſociale, quam omne animal*, uti denuo Philoſophus infert.

§. 4. Alii univerſi generis humani ſocietatem aliunde dum derivatam aliis ſuperſtruunt fundamentis, vinculo ſatis firmo homines nō cōſociant. Plures ab initio homines generis humani cōditores fuiſſe alii credunt, alii ſupponunt per fictionem

nem quandam. Græci apud *Eusebium* (d), uti crediderunt primos homines αὐτόχθονας & terræ filios, ita φασὶν ἐν ἀτάκτῳ καὶ θηριώδει βίῳ καθεστῶτας, σποράδην ἐπὶ τὰς νομὰς ἐξιέναι, *ajunt eos sine ordine ac ferino plane ritu victitantes, huc dissipatos atque illuc ad pascua ivisse, exiisse* &c. καὶ πολεμουμένους μὲν ὑπὸ τῶν θηρίων ἀλλήλοις βοηθεῖν ὑπὸ τοῦ συμφέροντος διδασκομένους, ἀθροιζομένους δὲ διὰ τὸν φόβον, ἐπιγινώσκειν ἐκ τοῦ κατὰ μικρὸν τοὺς ἀλλήλων τύπους, *cum autem eos feræ persequerentur, utilitate magistra mutuam sibi opem tulisse, metuque simul congregatos, alterius alterum paulatim formam agnovisse*, & ut vitam socialem vivere possent, voces quibus res significarent constituisse. Cæterum Gentilium ignorantiæ uti sua relinquimus figmenta; ita homini Christianum nomen præ se ferenti, *Isaaco Peyrerio*, id cōdonandū non est, quod etsi nō è terra natos, complures tamen super omnē terram à Deo ante Adamū creatos homines, impio commento ex scriptoribus sacris, ei per omnia contradicentibus, statuerit. *Qua ratione*, inquit, (e) *creationis terra germinaverat herbam, qua ratione prodierant arbores; qua ratione animata fuerant animantia omnia: qua ratione, inquam, producta hac omnia fuerant secundum species suas; per suos dies, una eademque progressione creationis; super omnem terram; sive notam atavis nostris, sive novissime,*

sive

d) *Præpar. Evang. l. 1. c. 7.*

e) *Syst. Theol. l. 3. c. 1. p. 149. seq.*

sive nondum cognitam: inducendum est eadem analogia creationis, formatos à DEO fuisse homines, masculos & fœminas uno die, una eademque nec intermissa creatione, & ubicunque terrarum.

§. 5. Alii homines, ut ad socialitatem eos disponant, per *fictionem* quandam complures simul exortos animo concipiunt, absque ullo aliunde accedente subsidio & adminiculo humano, qualis est fere conditio infantum expositorum, nisi quod hi insuper laborent defectu ætatis & annorum; ita ut si non sufficienti rerum ad vitam necessariarũ copia, usu certe & cognitione earum destituantur, modum etiam illas acquirendi ignorent, *asperi & inculti, neque moribus, neque lege aut imperio cujusquam regantur, vagi, palantes*, uti de priscis *Getulis* & *Libyis* loquitur (f) *Sallustius*. Vel fingunt ab initio magnam aliquam, cultiorem licet, multitudinem undecunque extitisse, citra unius ab altero dependentiam, citra ullum juris vinculum, sola intercedente inter istos homines naturæ similitudine, quales forent homines, si nullo penitus vinculo inter eos existente, quilibet sui plane per omnia juris, & ab alterius imperio liber esset.

(f) Bell. Iug. c. 18.

§. 6. Hæc *hypothesis* licet à superiori commento immunis sit, & bene adhiberi

possit

poſſit ad explicandum, quam miſera & imperfecta eſſet generis humani conditio, ſi omnis ab eo abeſſet conſociatio, ſi non ſecundũ rectam rationem, quæ & honeſtatis & utilitatis communis haberet rationem, formata foret ſocietas, ita ut in civitate, vel quavis etiam conſociatione rite ordinanda, multa omnino bene monere poſſit; ceu cognoſci poteſt ex his, quæ ex hac hypotheſi de genere humano eximie diſputantur à doctiſs. *Pufendorf.* (g); & ex *indigentia* partim, partim etiam ex *metu* exortam conſociationis *neceſſitatem* oſtendat, non abnuente B. *Bœclero* (h) noſtro: quẽadmodum ſimili inſtituto *Cicero*, (i) vim, uſum, atq; neceſſitatem Eloquentiæ cum ſapientia conjunctæ, ejuſque in Rempublicam & generis humani conſociationem merita prædicaturus, *homines in agris beſtiarum more vagos, & ſibi victu fermo vitam propagantes, nec ratione animi quicquam, ſed pleraque viribus corporis adminiſtrantes* concipit: Malim tamen ego conſociationem generis humani ab ipſa *natura invitante*, & ab *uno homine*, communi omnium, ubicunque etiam terrarum vixerint, parente, quam à *pluribus mortalibus* undecunq; ortis derivare, graviter hoc *Lactantio* (k) improbante. Nil dicam de dogmatis veritate, compluribus etiam infidelium perſuaſa, cui contrarium & falſum, ad probanda oſtenſive & καθ' ἀλήθειαν moralia, ego non

g) *Diſſ. Select. p. 465. ſeqq. 489.*

h) *Inſt. Pol. l. 1.*

i) *de Invent. p. 42.*

k) *l. 6, c. 10.*

non elegerim. Et quid impedit quo minus, si de socialitate hominum ad exterorum & Gentilium captum disputare in animum induxi, unum supponam hominem, quem constituam totius generis humani patrem: primi enim homines à quib⁹ reliqui sunt pregnati, pluresne fuerint, an unus tantum, æque sane gentiles latet. Validiorem etiam pro hominum consociatione commum existimo hypothesin, quæ ab uno & communi parente universum genus humanum provenisse putat, quam illa est, quæ compiures homines, undecunque ortos, *vel fungorum instar è terra enatos*, cum *Hobbio* (l) & *Stoicis* (m) fingit. Cum enim hæc naturæ tantum similitudinem, & ex indigentia partim, partim etiam ex metu provenientem necessitatem, consociationi substernat, illa insuper *cognationis affectum*, uti *Augustin.* (n) loquitur, utique per se benevolum & socialem, superaddit, *ut eo modo vehementius homini commendetur ipsius societatis unitas, & vinculum concordiæ.* **Commune,** inquit *Cicero*, (o), *omnium animantium est conjunctionis appetitus procreandi causa, & cura quædam eorum quæ procreata sunt.* Et si, uti alias loquuntur, conservatio est continuata rei productio, quæ causæ impellunt hominem ad sobolis generationem, eædem etiam ad ejusdem conservationem illum disponunt, Ex eodem fonte manat benevolen-

l) *de Civ. c.* 8. *p.* 139.

m) *Lact. l.* 7. *c.* 4.

n.) 12. *de. C. D. c.* 21.

o) 1. *Offic. p.* 5.

volentia erga consanguineos & cognatos, quos ut ad nos pertinere, & de nostro sanguine participare novimus, ita ut liberos, sic & propinquos suos natura voluit esse carissimos; qui denique affectus erga totum genus humanum se extendit, ita ut, quæ *Senecæ* (p) verba sunt, *ad amicitiam fiat naturalis irritatio.* Eximia sunt quæ habet *Aristoteles,*(q)*Parentes liberos ut seipsos diligunt, liberi autem parentes, ut qui ex illis sunt nati.* ἀδελφοὶ δ' ἀλλήλυς, τῷ ἐκ τῶν αὐτῶν πεφυκέναι· ἡ γὰρ πρὸς ἐκεῖνα ταυτότης, ἀλλήλοις ταυτὸ ποιεῖ, δὶὸ φασι ταυτὸν αἷμα, καὶ ῥίζαν, *fratres vero inter se amant, quod ex iisdem sint nati. Nam eo ipso, quod idem sunt atque illi, fit ut inter se quoque sint idem. Idcirco de fratribus ita loqui solemus: idem sanguis: Stirps eadem.* & rursus. ἀνεψιοὶ δὲ καὶ οἱ λοιποὶ συγγενεῖς, ἐκ τύτων συνῳκείονται· τῷ γὰρ ἀπὸ τῶν αὐτῶν εἶναι, *Patrueles autem reliquique cognati per hos ipsi quoque inter se devinciuntur, ex eo sc. quod ex iisdem orti sunt.* Unde & *Cicero* quanquam alibi hypothesin de hominibus in statu naturali, prout hic *vitæ cultiori* opponitur, viventibus admiserit, ubi tamen de generis humani consociatione agit, non à plurium, sed ab unius hominis, in matrimonio nimirum viventis, sanguine, ad mentẽ Philosophiæ *Paulinæ,*(r) eã provenire docet. Eximia sane, ut alia loca mittam, sunt sequentia:

p) *Epist.* 9.

q) 8. *Ethic. Nicom. c.* 12.

r) *Act.* 17.

s) 5. de Fin. p. 140. add. 2. de Fin. p. 74. l. 3. de Fin. p. 103. 1. Off.

t) l. c. & 1. Pol.

u) Stob. Serm. 65. f. m. 412. f. q.

x) de Famil. Felic. Vid. Spondan. Fragm. Pythag.

tia: (s) *Conjunctio inter homines hominum, & quædam quasi societas & communicatio utilitatum, & ipsa caritas generis humani, nata à primo satu, quo à procreatoribus nati diliguntur, & tota domus conjugio, & stirpe conjungitur, serpit sensim foras cognationibus primum, tum affinitatibus; deinde amicitiis: post vicinitatibus cum civibus, & iis qui publice socii, atque amici sunt: deinde totius complexu gentis humanæ.* Quæ & *Aristotelis* (t) est Philosophia. *Musonius*, (u) cum *nuptias secundum naturam esse*, *si quicquam aliud*, ostendisset, ab his etiam civitatem derivat: ἀρχὴ εἶναι [illegible], γάμος· ὥστε ὁ ἀναιρῶν ἐξ ἀνθρώπων γάμον, ἀναιρεῖ μὲν οἶκον, ἀναιρεῖ δὲ πόλιν, ἀναιρεῖ δὲ σύμπαν τὸ ἀνθρώπειον γένος. *nuptiæ principium sunt constitutionis familiæ. Quisquis igitur homines nuptiis privat, is abolet familiam, civitatem, & totum genus humanum.* Consentit *Callicratis Laco* (x), qui itidem primo loco ponit *conjugium*, dein *cognatos & affines*, tum *amicitias*, naturæ secutus ordinem, qui sane arctiore constringit vinculo, ex naturæ certe intentione, quam si absque sanguinis cognatione, ex pacto tantum, in amicitiam coeunt homines. Cognationis enim affectus in se perpetuus est, pacemque hominibus commendat perpetuam, cum è contra quare pacto non quis stare teneatur, humana calliditas varia excogitare possit.

§. 7. Quod

§. 7. Quod si vero hominum inter se conjunctioni ex *Indigentiæ exortã necessitatem* primã originem dedisse supponitur, merito dubitatur, an *homines, cum*, uti *Lactantius*, (y) y) *l. 6. c. 10.*
&quidem ad mentẽ *Epicureorum* ex sententia *Gassendi*, (z) hanc explicat hypothesin, *per* z) *t. 2. opp. f. 789.*
sylvas & cãpos erraticam degerent vitam, nec ullo inter se sermonis ac juris vinculo cohærerent, sed frondes & herbas pro cubilibus, speluncas & antra pro domibus haberent, bestiis etiam licet & fortioribus animalibus prædæ essent, an, inquam, tali cum indigẽtia laborarint, ut ejus sensu, citra naturalem societatis appetitum, ad vitam socialem necessario animum adjecerint. Miserrimam & fere belluinam talium hominum esse conditionem, eosq; omnis generis defectu, & multiplici conflictari ignorantia non nego, rationales tamen cum sint, quin sibi, si non melius, certe eadem ratione consulere queant, qua sibi bestias prospicere ex naturali instinctu videmus, dubium non est, cum naturalibus desideriis facile satisfieri possit, non abnuente *Gassendo*. (a) Fami sane vel- a) *tom. 2. Opp. f. 794. seq.*
licanti, quæ multarum artium est Magistra, quo pacto feræ satisfaciunt, sitim quomodo pellunt, contraque cœli inclementiam antra & densas arbores uti quærunt, ita ferino more homines victitantes, si sibi contra hæc & alia mala auxilio esse nescirent, infra brutorum stuporem abiiciẽdi

forent. Et cum consuetudo sit altera natura, prout ad ferinam vitam sunt assuefacti, ita cum ignoti nulla sit cupido, de ea mutanda non sunt usque eo solliciti. Tali etiam denique stupore sunt correpti, ut ultra id quod oculis illorum obiicitur mentem vix elevent, præsentibus sicut bruta affixi. Tales fere interpretari licet in *Hornanis* (b) Insulis barbaros illos, de quibus traditur, *quod non potuerit ex ullis indiciis colligi, colere eos Deum aliquem, cum vivant sine omni cura, ut aves in sylvis, neque emendi, neque vendendi illis sit mos, neq; serant, neque metant, nec aliis laboribus fatigentur, tellure ipsa sine cultu largiente eis, quæ ad vitam sustentandam sufficiunt, nempe cocos, Bananas, & similes fructus.* Interim non diffiteor contigisse alicubi, ut plures familiæ segreges, indigentia impellente, melioris vitæ ducendæ gratia se reliquis associaverint. Excipit *Gassendus*, (c) *ipsam certe societatum primam quæ in conjugio est, ex eo ortum habere, quod mas fœminaque, ad suam illam cupiditatem explendam, se mutuo indigeant:* verum nisi mas & fœmina sociales per naturam forent, se mutuo etiam non indigerent, unde cum hæc indigentia naturalem societatis connubialis appetitum consequatur, minime vero antecedat, nondum inferre licet, *causam cur homines sint societatis appetentes, mutuam esse indigentiam, quam natura machi-*

b) *ap. Bernh. Varen. in Iapon. p. 233. seq.*

c) *l. c. f. 801.*

machinata sit. Vnusquisque homo,B. ait *Augustinus.* (d) *humani generis pars est,* & sociale quiddam *est humana natura, magnumque habet & naturale bonum, vim quoque amicitiæ:* cuius rationem explicans, mox *prima*,addit, *naturalis humanæ societatis copula vir & uxor est.*

d) *t. VI.Opp. de Bon.Coniug.c.1.*

§. 8. Supponunt alii *Metum* tam *à feris*, quam ab iniuriis fortiorum & robustiorum, quem necessitaté cõsociationis infirmioribus imposuisse fingũt,quo à latrociniis & vi iniquà tuti consenescerent; eumque rursum alii cum *Indigentia* coniungũt:Eos aiunt,qui *aut laniati à bestiis effugerãt, aut laniari proximos viderant, admonitos periculi sui, ad alios homines decurrisse, præsidium imploraße, & primo nutibus voluntatem suam significaße, sermonis initia tentaße, & paulatim loquendi rationem perfecisse:* quos jure exagitat *Lactantius*, (e) quod cum *viderent mutis quoque animantibus ingenitam esse rationem vel conveniendi, vel invicem appetendi, vel periculi effugiendi,vel mali cavendi,vel cubicula & latibula parandi; homines autem ipsos existimaverint non nisi exemplis admoneri, ac discere potuisse,quid metuere sibi, quid cavere, quid facere deberent, aut nunquam conventuros inter se fuisse, nec loquendi rationem reperturos, nisi eos bestiæ comedissent.*

e) *l. 6. c.10.*

§. 9. Ex supposito hoc *mutuo hominis ab homine metu*, ad mentem Epicuri sui ex hac Status fictione ita philosophatur Gas-

(f) l.c.f.795. sendus: (f) *Spectato pura natura statu*, **quo homo** *secundum se, absolute ac ut homo est* considera-tur, *homines omnes paris sunt juris*, **nihilq; est**, *quod unus suo jure, h. e. facultate à* **natura data** *usurpet, quod alius suo sive pari jure* **usurpare** *non valeat; quippe cum natura promiscue*, **sive in** *commune posuerit ea bona, quibus* **indigent**; **id-circo contingere potest, ut ab uno concupiscente pro-sequenteque** *aliquid, nitantur in* **adversum alii**, *qui id pariter concupiscant, & prosequantur*; **ac** *inde enascantur rixæ, rapinæ, odia, vulnera, cædes*; *& vita universa insidiis, periculisq; obnoxia eva-dat.* Verum enimvero cum hæc fictio *sta-tus hominis pure naturalis* inferat conditio-nem eius, corruptæ licet, rationali tamen adhuc naturæ, qualis per se est qualisque semper concipi debet, plane incongruam, quid quæso juvat eius naturam ceu ferinam, nulla rationalis potentiæ, quæ in motus istos belluinos habeat imperium eosque ab homine abesse jubeat, facta mentione, con-cipere, & inde consociationem generis hu-mani inferre? cum non solum non toti hu-manæ speciei communis sit ista feritas, sed & quibus accidit non nisi contingenter accidat, verisque etiam societatis origini-bus hæc hypothesis repugnet. Quapropter si omnino in hac philosophia *statum puræ naturæ, quo homo secundum se est, absolute, ac ut homo est* spectare volumus, concipiendus erit primo omnium & per se, ut animal ratio-

nale,

nale, & si dein eundem *comparate, sive prout refertur ad alios*, consideramus, spectari debet ut animal *per naturam etiam* sociale, non abnuente hoc posterius *Gassendo*, (g) quodq; g) *l.c.*
nec ipsi *Epicurei* negarunt, qui ut ex *Hermacho Porphyrius* (h) observat, φυσικὴν οἰκείωσιν τοῖς ἀνθρώποις πρὸς ἀνθρώπους, διὰ τὴν ὁμοιότητα τῆς μορφῆς καὶ τῆς ψυχῆς, *naturalem quandam cognationem hominum erga homines propter figuræ sc. & animæ similitudinem* statuerunt, quæ in causa sit, quo minus in se sæviant homines, sicut bestias interficiunt; meliores ipso *Hobbio*, statum hominis naturalem bellum esse fingente, hominemque natura esse animal sociale negante. h) *de Abstinen. l.* 1. §. 7. p. 6.
Hoc enim dato licebit cum *Aristoph.* (i) dicere: δολερὸν μὲν ἀεὶ κατὰ πάντα δὴ τρόπον πέφυκεν ἄνθρωπος; & cum *Seneca*: (k) *Ab homine homini quotidianum periculum*: item: *subita est ex homine pernicies, & eo diligentius tegitur, quo propius accedit. Erras si istorum tibi qui occurrunt vultibus credis, hominum effigies habent, animos ferarum, nisi quod illarum perniciosior primus incursus, quos transire non queant. Nunquam enim illas ad nocendum nisi necessitas misit: aut fame, aut timore coguntur ad pugnam: homini perdere hominem libet.* i) *in Avib.* k) *Epist.* 103.

§. 10. Cum itaque status hominis naturalis sequatur ipsius naturam, secundum se, & quoad ea quæ illi per se cōpetunt spectatam, uti natura hominis per se est ra-

 tionalis

tionalis & socialis, ita statum quoque hominis naturalem & rationalem & socialem concipere & esse oportet, cum nil aliud ille sit, quam illa *conditio, quæ ex natura hominis rationali & sociali per se & proxime resultat.* Cumque natura hominis nõ sit integra, sed labe quadam originali laboret, qua misere corrupta quoad omnes facultates, eo nonnunquam vitioso impetu abripitur, ut illa appetat & agat, à quibus ipsa bruta nonnunquam abhorrent, statum quoque eiusdem naturalẽ non ab ista corruptione immunem esse sequitur. Quanquam vero hinc provenerit, ut homo sit variis obnoxius affectibus, vehementiq; haud raro ira, zelo, invidia, variaque flagret libidine, adventitia tamen est hæc conditio, naturalem hominis statum pervertens. Quemadmodum itaque semper cogitare debemus quod simus homines, ita quoque in omni statu adventitio conditionis nostræ, in qua ideo quod sumus homines vivimus, nos memores esse natura jubet; ut proinde status iste naturalis, & reflexa sui ipsius consideratio, quod sc. homo sit animal rationale & sociale, in rebus agendis semper primo omnium concipi debeat, primaque ratio sit, cui omnia humana qua talia congruere debent, ita ut quicquid ei cõtravenerit aberrare recte dicatur; fundamentum etiam quasi reliquorum statuum, qui homini accidunt,

qui

qui omnes ſic comparati eſſe debent, ut nullus illorum cum ſtatu naturali pugnet, ſed amice cum eo conſpiret. Rationalitas itaque & ſocialitas hominis cum eius feritati præponderet, cum hæc illius etiam ſubiecta ſit imperio, ſicut quid homo ſit, quæ eius ſtudia & inclinationes, quidq; ſit ei naturale, rectius dicitur & definitur ex cōditione & ſtatu ſobrii quam ebrii, ita quæ ſint ei cōgrua, eiusque inclinationes, non ex intuitu corruptionis, ſed reſiduæ integritatis, ſive rationalitatis & ſocialitatis, ad quam omnia reducenda ſunt, explicandum eſt.

§. 11. Et ſic conſideratus ſtatus hominis naturalis, nō ſolum contradiſtinguitur *ſtatui civili & legali*, à quo præſcindit, ſed etiam opponitur *conditioni brutorum*, ita ut quanquam concipiatur vivere homo in ſtatu qui liber eſt ab omnibus inventis, legibus & inſtitutis humanis, ſemper tamen teneatur vivere ut homo, vitam ſc. rationalem & ſocialem. Unde & hoc ſequitur, quod, cum qualis natura hominis per ſe eſt talis quoq; eius ſit ſtatus naturalis; & qualis ſtatus, tales quoque hominis actiones eſſe debeant, rationales ſc. & ſociales, ab omni ira, ferocia, libidine, iniuria alienæ, quales rationalitas & ſocialitas hominis eſſe exigit. Recte *Lactantius*, (l) *pro belluis*, inquit, *immanibus ſunt habendi, qui hominibus nocent, qui contra jus humanitatis, & fas omne ſpoliant, cruciant, occidunt, exterminant.*

l) *l.6.c.10.*

§. 11. Deinde licet hæc hypothesis admittatur de *mutuo metu*, qua voce *Hobbius* (m) *futuri mali quemlibet prospectum* intelligit; *neque solam fugam, sed etiam diffidere, suspicari, cavere, ne metuant providere, metuentium esse judicat, propter jus omniū in omnia, appetitumque plurium ad eandem rem, unde ob hominum æqualitatē nasci mutuo se lædendi voluntatem* opinatur; nego tamen consociationis initium per se & *primo* exinde esse, nisi & naturâ hominem animal sociale esse concesseris. Cum enim nudo pacto & fœdere de non offendendo inter se convenire possint mortales, hoc ipso citra consociationem hunc metum ibunt sublatum. Virium etiam æqualitas, mutuusque metus, a vi inferenda efficacius haud raro revocat homines, quam promissa & fœdera, cum malint manus continere à cæde, à furto, quam incertam subire aleam. Hæc

dubias constringere mentes
causa solet, dum quisq; pavet, quibus ipse timetur,

recte canit *Lucanus* (n) Cumque præ ferino isto stupore, qui *sub hominum figura belluinâ vivunt sævitia*, sicut de *Hunnis* loquitur *Paulus Diaconus* (o), maiori levitate vitam & sanguinem profundant quam bestiæ, & exacerbati aut interficere malint hostem, aut ab eodem interfici, quam cum illo in gratiam redire:

m) *de Civ.* *p.8.seqq.*

n) *l.5.v.256.*

o) *Hist. Misc.l.12.c.13.*

ἡμῶν

ἡμέων δ' ὁπποτέρῳ θάνατος καὶ μοῖρα τέτυκται,
τεθναίη,
Noſtrum utri mors, & fatum paratum eſt,
Moriatur,

ait apud *Homerum* (p) Menelaus delatum sibi à Paride duellum ſuſcipiens: Sane qui tam tener in eiusmodi ferino, immani, & feroci pectore *εἰλαυτίας* ſenſus eſſe poſſit, ut quo ſalvi ſint, vitam ſocialem eligere velint, non apparet. *Civitatibus*, apud maiores noſtros Germanos, autore *Iulio Cæſare*, (q) *maxima laus fuit, quam latiſſimas circa ſe vaſtatis finibus ſolitudines habere. Hoc proprium virtutis exiſtimarunt, expulſos agris finitimos cedere, neque quenquam prope ſe audere conſiſtere. Simul hoc ſe fore tutiores arbitrati ſunt, repentinæ incurſionis timore ſublato.* Eadem in naturali libertate *Gaſſendi*, vel *Hobbij* viventium mens eſſe poteſt, qui proinde ut tuti ſint, malint quos poſſunt interficere potius, ut ſuperſtites vel victores, quæ velint poſſideant, quam in vitam ſocialem compelli, vel eam eligere.

p) *Iliad*, *l.* 3. v. 102.

q) 6. *de Bel. Gal.* 23.

§. 13. Aſt ſi *neceſſitati* ex *indigentia* & *metu*, *alienaque violentia* provenienti, blandos naturæ appetentis ſtimulos, aliaque blanda invitamenta adiungimus, ſicut cum *B. Bœclero* (r) *coniungamus naturam appetentem, indigentiam invitantem, rationem ordinantem, habebimus* ſocietatem *inſtructam copiis, formatam jure; non ad vivendum modo, ſed ad bene* viven-

r) *Inſt. Pol.* c. 10.

C 5

s) l.c. *vivendum*. Quare & *Gassendus*(s)cum statum hominis naturalem eundem fere supposuisset, quem *Hobbius* formavit, addit tamen, hominem in ordine ad alios spectandũ esse ut est *sociabilis*, in *natura statu modificato, factumque* ait *hominem esse à natura animal sociabile*, conjungens naturam appetentem cum
t) l.c.p.6. necessitate impellente; cum *Hobbius* (t) exclusive loquatur, *statuendum*, inquiens, *igitur est originem magnarum & diuturnarum societatum non à mutua hominum benevolentia, sed mutuo metu extitisse*. In notis autem quomodo hoc contigerit, vel contingere possit, ita explicat: *Per metum est, quod homines sibi cavent; fuga quidem & latebris, si caveri aliter non posse putant; sæpissime vero armis atque instrumentis defensionis, quo fit ut prodire audentes, alter alterius cognoscere possit ingenium. Tunc autem sive pugnant, ex victoria; sive consentiunt, ex consensione civitas nasci solet.* Sed sic plane per accidens societas oritur, si aliqua sic nascitur: Imo facilius fingitur, quã probatur. Ferox enim & immanis victor, qui nullo humanitatis & socialitatis affectu tãgitur, quiq; *credit sibi ex jure licere facere quæcunq, & in quoscunque libet, & uti, frui omnibus, possidere etiam quæ vult & potest*, qualis est in
u) l.c.p.12. n.12. statu naturali victor *Hobbianus*, (u) ille victo minime parcit, eo interfecto se tutiorem fore existimans, quem hoc nomine potius interficere, quam vitæ socium experiri vult,

ne ser-

ne serpentem in sinu fovere cogatur: cumque post datam acceptamque cladem, maiori belligerantes in se ferantur rabie, qui ante erãt dissociati, quomodo hoc pacto in civitatem, de qua nil unquam audiverunt, sint cõsensuri, nondũ apparet. Sociales vero si ponimus homines, superveniente necessitate naturalis φιλανθρωπία & benevolentia *mutuo amore in fœdus auxiliumque commune eos constringet*, ut *Seneca* (x) loquitur. Passim hinc apud Scriptores imminente necessitate in societatem leguntur homines compulsi, pro bono communi deliberasse. Hinc oppressis inique ex commiserationis affectu implorati non denegarunt *auxilium, hominem in adjutorium mutuum generatum* sapienter cum *Seneca* (y) existimantes. Unde cum *Alexius* Isachi Græci Imperatoris filius, qui patrui sceleratas manus effugerat, Venetis Gallisque ærumnosam genitoris conditionem, cæcitatem, squallorem, carcerem, vincula & alia mala memorasset, auxiliumque illorum implorasset, *movit*, uti *Iustinianus* (z) autor est, *adolescentis oratio, & rei indignitas omnium animos; visaque est Venetis & Gallis digna causa, cui quisque libens favorem, auxiliumque præstaret.* Hinc Saxones in agris adhuc viventes, imminente metu Ungarico compulsi ab Henrico I. Imper. ut *Witekindus Corbejes.* (a) testatur, in urbes exstructas concesserunt, quo tutus contra barbarorum

x) 1. de Ira c. 5.

y) l. c. c. 7.

z) Hist. Ven. l. 2. f. 30.

a) l. 1. Rer. Sax.

barorum immanitatem & latrocinia esset receptus: Quem hoc nomine *Conringius* (b) *Theseum Germanicum* appellat, quod ad exemplum Atheniensis Thesei, Saxones, si non omnes Germanos, ex agro in urbes compulerit.

b) *de Urb. German.* §. 82.

§. 14. Merito ergo retinemus hypothesin de *unius hominis sanguine*, quam ipsæ generis humani origenes veræ subministrant, ceu verá & reliquis solidiorem, firmiorique præ illis vinculo homines in consociationem perpetuo duraturam constringentem. Nec si omnes homines ab unius sanguine derivamus, per *incestuosas nuptias* genus humanum hoc nomine propagatum sequitur, quando non matrimonia inter fratres & sorores tantum, dequibus non dubitatur, sed & hoc pacto, patris cum filia, Adami sc. cum Eva coniugium statuenda videantur. Sic enim *Epiphanius* (c) pietate & doctrina Salaminis in Cypro Episcopus quondam clarissimus: Τοῦ Ἀδὰμ γεννήσαντος υἱοὺς καὶ θυγατέρας ἀνάγκη γέγονε κατ' ἐκεῖνο καιροῦ ἀδελφαῖς ταῖς ἰδίαις συναφθῆναι τοὺς παῖδας, *cum Adamus utriusque sexus liberos suscepisset, necesse per illa tempora fuit, ut filii matrimonia cum sororibus inirent.* Addit: καὶ γὰρ καὶ αὐτὸς, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ὁ Ἀδὰμ τῇ ἰδίᾳ θυγατρὶ σχεδὸν τῇ ἐκ τοῦ σώματος αὐτοῦ πλασθείσῃ, συνήφθη, κατὰ συζυγίαν αὐτῷ ἐκ Θεοῦ πεπλασμένῃ, καὶ οὐκ ἦν παράνομον, *quin etiam Adamus ipse cum sua, ut*

c) *Hæres.* 39. *f.* 287. *n.* 6.

ita dicam, filia coniugio sociatus est, quam de eius corpore Deus effinxerat: Nefas enim id non erat. Quo sensu ipsa primi hominis de uxore Eva verba: *Os ex Ossibus meis:* (d) etiam *Hugo Grotius* (e) interpretatur: *os ex ossibus meis velut de me* (Adamo) *genita. Servius ad illud II. Æneidos:*

d) *Gen.* 2.23.

e) *Not. h.l.*

Exoriare aliquis nostris ex ossibus ultor.

Sane Punici ex ossibus dicunt oriri posteros: quos nos ex sanguine. Quæsivit hinc *Anonymus* quidam Empecta: Qui *fœmina quæ ex substantia alicuius producitur, eius uxor fieri possit, siquidem id legi divinæ Levit. 18. repugnet?*

§. 15. Connubia sane inter parentes & liberos, genitorem & natam, ceu incestuosa jure naturali simpliciter prohiberi affirmamus, probata licet non olim tantum impuro Orienti & Occidenti, sed & hodierno orbi barbaro, cum de Queidæ rege autor sit *Ferdinandus Mendez Pintus* (f) Lusitanus αὐτόπτης, quod interfectó patre matrem ab eodem imprægnatam in matrimonium receperit,

f) *Memor. Itin. per Europ. As. p.* 39.

Avi gener, patrisq; rivalis sui

Frater suorum liberum, & fratrum parens

factus, uti *Seneca* (g) de Oedipo loquitur; & in insula Pingo inter parentes & liberos nuptias celebrari *Dapperus* (h) testetur. De Floridæ reguli Saturionæ filio Atoræo tradit *Thuanus*, (i) quod *matre uxore ducta, cum ita liceret, pulcerrimos ex ea liberos sustulerit;* addit tamen,

g) *Thebaid.* v. 134.

h) *Afric. f.* 503.

i) *l.* 44. *f. m.* 820.

tamen, *honestati hoc tributum in re tam à natura & pietate aliena, ut Saturiona pater ab eo tempore cum ea non consuesceret.*

§. 16. *Iuris gentium incestus* has *Grotius* (k) appellat nuptias, minus proprie de Gentium jure locutus, & *Paulum* JCtum secutus, cum juris naturalis incestus potius, quam juris gentium dici debeat connubium filii cum matre, & patris cum filia, nec hoc nomine vocari possit, nisi de jure gentium primævo sermo sit; cuius notione alias jus naturæ intelligi solet. Sin vero de jure gẽtium proprie tali quæritur, negamus huius esse incestus definire, cum publicos ad invicem civitatum & populos actus dirigat, & secundum mores & consuetudines gentium, commixtionem hanc ceu rem nefariam detestantium, potius pro incestuosis nuptiis haberi censemus.

k) *I. B. P.* 2. 5. 12. *add. Not. in Levit.* 1824.

§. 17. Jure naturali itaque, non gentium tantum cõplurium jure civili vel consuetudinibus, matrimonia parentum cum liberis prohiberi, satis uti puto apparet. Prima quippe societatis humanæ initia, generisq; humani seminarium, quod utique, sicut tota generis humani consociatio, legibus naturalibus ordinatur, fœde per eiusmodi cõnubia turbãtur. Introducitur namq; vere monstrosa, matrimoniique finibus repugnans maris & fœminæ combinatio: ducimus enim uxores, ut liberos non ut sorores

rores & fratres, qui à latere proxime nos attingunt, à nobis non descendentes, suscipiamus: nec retro fluere in primum fontem sanguinem decet, quandoquidem crescere & multiplicari non vero deficere genus humanum debet. Cumque natura alium velit esse patrem, alium fratrem, alium avum respectu eiusdem partus, & hoc nomine distinctas etiam societates sanctissimis legibus formatas ordinarit; ordine quem in generationibus natura amat sublato, conbinantur hæc partim & in eodem subiecto convenire jubentur, mutantur partim, vertuntur & confunduntur confusione qua in vita hominum sociali, cuius ordinem ubiq; sanctissime lex naturalis, ceu socialis, observari præcipit, nil monstrosius dari potest, quæq; ex universo genere humano omnem ordinem ex generationibus & connubiis provenientem in successionibus etiam observari solitum, tollit. *Cavenda* dixit olim *conjugia Ambrosius*, (l) *ex quibus appellationis confusiones oriuntur*, ut sc. nō facile permittãtur, ne eadem mulier uxor & filia, mater & soror dicatur. Monstrum certe redditur eadē per connubiũ, quo fit avia, mater & soror eiusdē fœtus. Monstrũ est, una qui dimidius frater, & dimidius pater est; qui simul etiam filius & frater audit naturaliter. Fœditatem hanc ordinem matrimonialem legibus naturæ institutum turpiter pervertentem, graviter exhi-

l) 8. *Epist.* 66.

m) *de LL. Spec. f.* 600. exhibet *Philo*, (m) ἀνοσιούργημα vocãs, πατρὸς εὐνὴν τετελευτηκότος, ἣν ἄψαυστον ὡς ἱερὰν ἐχρῆν φυλάττεσθαι, καταισχύνειν. γέρας δὲ καὶ μητρὸς αἰδῶ, μὴ λαμβάνειν, τὸν αὐτὸν τῆς αὐτῆς υἱὸν καὶ ἄνδρα γενέσθαι, καὶ πάλιν τὴν αὐτὴν υἱοῦ μητέρα καὶ γυναῖκα, καὶ τοὺς ἀμφοῖν παῖδας, τοὺς μὲν πατρὸς ἀδελφοὺς, υἱωνοὺς δὲ τῆς μητρὸς, καὶ τὴν μὲν ὧν ἔτεκε μητέρα τε καὶ μάμμην. τὸν δὲ ὧν ἐγέννησεν, ἐν ταυτῷ πατέρα τε καὶ ὁμομήτριον ἀδελφὸν, *conspurcare defuncti patris thalamum, cui maxima debebatur religio, matri nullam exhibere reverentiam, filium eundem & maritum fieri, matrem vicissim uxoris nomen assumere, communes liberos patris quidem fratres matris vero nepotes censeri. Hanc prolis suæ matrem simul esse ac aviam, illum filiarum patrem, & germanum uterinum.* Ex eodem juris natu-

n) 10. *Metã.* ralis capite *Ovidius* (n) in nefarias has invehitur nuptias:

Ulra autem sperare aliquid potes impia virgo.
Nec quod confundas & jura & nomina sentis?
Tunc eris & matris pellex, & adultera patris?
Tunc soror nati genetrixq; vocabere fratris?

o) *Thebaid.* 134. quem *Seneca* (o) *sequutur*, in Oedipi scelus sic invectus:

Avi gener, patrisq; rivalis sui,
Frater suorum liberûm, & fratrum parens;
Uno avia partu liberos peperit viro,
Ac sibi nepotes. Monstra quis tanta explicet?

Ad hanc allatam hactenus juris naturalis rationem, ipse Deus respicere videtur, (p) & ex illa nuptias &

p) *Levit.* 20. 12. concubitum viri cum nuru sua, ceu juri naturali repugnantes, prohibere, quando qui tale committunt תבל *confusionem fecisse* dicuntur.

§. 18.

§. 18. Ratio hæc juris naturalis cum perpetua sit, & tam in statu ante lapsum, quam post lapsum obtineat, juri naturali primævo etiam parentũ cum liberis matrimonia contra *Sanchez* (q) dicimus adversari. L. V. *Velthuysen*(r) hæc de hac re est sententia: *Quia incestus non prohibentur primava recta ratione, seu Iure naturali primavo, quod ducitur ab hominis prima natura, sed jure naturali secundario, quod derivatur a natura hominis jam per peccatum collapsi & cognoscentis bonum & malum: ideo coitus cum proxime consanguineis per se malus non est, nec jure naturali primavo prohibitus, sed fit malus, quando illo coitu neglectus & violatio pudoris continetur, qui non violatur, quando in illo coitu nihil est pudendum.* Verum cum ratio legis naturalis incestum prohibentis etiam in statu integritatis locũ inveniat, & perpetua sit, & in quovis etiam statu monstrosam ordinis socialis confusionem vitare jubeat, omnino coniunctiones cum proximè consanguineis in linea recta in se malæ, in statu etiam ante lapsum sceleratæ, & jure naturali primævo, quo homo integer dirigebatur, vetitæ censeri debent. Et si (ex quadam fictione) in statu integritatis tales nuptiæ inter patrem & filiam fuissent celebratæ, quin hoc ipso homo lapsus naturalem violasset pudorem dubium non est.

§. 19. Præterea mutua in corpus potestas, quam personis in matrimonio vivẽtibus

q) *de Matrim. disp.* 52.

r) *Tr. de Natural. pudore p.* 38. 49

Paulus (s) largitur, & εὔνοια, cum reverentia illa, quam à filio filiaque lex naturæ immutabiliter exigit, componi non potest, cum actus coniugales *istius necessitudinis reverentiam excludant*, uti recte notat *Grotius*. (t) Insinuat hoc etiam *Seneca*, (u) quando Phædram privigni Hippolyti incestuoso amore flagrantem, cum hic illam *matrem* reverentiæ causa appellasset, ita loqentem introducit:

> *Matris superbum est nomen, & nimium potens,*
> *Nostros humilius nomen affectus decet.*
> *Me vel sororem, Hippolyte, vel famulam voca.*

Cumque συνουσία (x) connubialis, honesta licet, ab affluente tamen ex impuro fonte concupiscentiæ ἀταξία immunis non sit, à liberis ex reverentia non aspici in parentibus hanc naturæ fœditatem & turpitudinem, sed tegi vult naturæ jus, ne pudore parentes suffundant, cum ipsos potius originis suæ peccaminosæ, & unde provenerint pudere debeat, nec sua fœditate & libidine dehonestare deceat loca unde sunt prognati. Et quod sic *natura doceat venerari & colere parentes*, exemplo filiorum Noæ, qui ex reverentia patrem nudum aspicere noluerunt, docet *Theodoretus*. (y) Hi enim à Chamo τὸ πάθος μεμαθηκότες τοῦ πατρὸς, μετὰ πολλῆς αἰδοῦς εἰς τοὐπίσω βαδίζοντες συνεκάλυψαν τὸν πατέρα, ὡς ἂν ἥκιστα ἴδοιεν ὅθεν σπαρέντες ἐβλάστησαν, *cum quod patri acciderat intellexissent,*

multo

s) 1. Cori 7. 3. seq. conf. August. t. 7 II. Opp. de Nupt. l. 1 f. 319.

t) de I. B. P. 2. c. 12.

u) Hippolyt. v. 605.

x) 1. Pet. 3. 7.

y) t. 1. Opp. f. 45. q. 57. in Gen.

multo cum pudore retrogradientes patrem operuerunt, ut minime viderent unde erant prognati. Unde *Arnobius* (z) Jovem *ab infando matris appetitu pietatem non valuisse dijugare* ait. De Alexandro, quem hoc nomine laudat, scribit hinc *Plutarchus*, (a) quod docuerit Πέρσας σέβεσθαι μητέρας, ἀλλὰ μὴ γαμεῖν, *ut venerarentur non uxorum loco haberent matres.* Credimus etiam ad hanc reverentiam à Deo respici, quando hymenæos inter matrem & filiũ prohibiturus, rationem interdicti connubii ab obiecto petit, satis emphatice *Mater tua*, inquiens, *ipsa est, non revelabis nuditatem eius*; quasi diceret: Teges ex reverentia potius eandem; hanc enim cum ei debes, illius fœdam nuditatem te aspicere non decet: Turpius est illius libidine te tuam explere, cum ortus tui principium in ea revereri, & sanctum habere debeas, quod hoc pacto plane intercidit. *Feldenum* (b) autem ludere existimo, quando *patrem reverentiæ quam filia ei debet renunciare posse* contendit: Quasi vero hæc libera, jure humano, & non potius jure naturali divinitus liberis præcepta foret, necessario parentibus præstanda: quibus sicut officia liberi debita non denegare, ita nec iidem officiis à liberis exhibendis renuntiare possunt.

z) *S. contr. Gent. p. m.* 184.

a) *tom.* II. *Opp. de Fort. Alex. Or.* 1. *f.* 328.

Levit. 17. 7.

b) *Not. in Grot. p.* 177.

§. 20. Non minus rectè alii hinc ex *insita* homini *verecundia*, & *pudore naturali*,

arcessendam causam putant, quare jure naturali connubia in recta linea ascendente & descendente interdicta censeri debeant, ex Doctoribus Ecclesiæ *Augustinus*, (c) *Arnobius* (d) ex JCtis *Paulus* (e) ex Philosophis *Grotius*, (f) *Boeclerus*, (g) *Velthuysen*, (h) alii: Suo sc. & liberorũ pudori quia parẽtes, & horum vicissim verecundiæ illi consulere debẽt. Ipse propterea Deus (i) nefarias has parentum cum liberis prohibiturus nuptias, rationem interdicti petit à *nuditate matris*, & *verendis patris*, ad quæ tegenda naturalis verecundia liberos compellit, & compellere debet. Nuditas enim hæc cum non sit sine turpitudine morali, uti ex reverentia quam filii parentibus debent tegenda est, cum ex eiusdem tacito obligationis sensu ab omni etiam turpiloquio, & minus honesto facinore coram parentibus abstinent; ita sicut ab omni fœditate morali pudor naturaliter oculos averti jubet, sic ab illa parentum nuditate potissimum, quia *aspectum* (k) moraliter turpem habet, oculi sunt removendi, ut illorum pudori parcatur. Non decet genitorem & genetricem coram natis erubescere; erubescerent autem vehementer, si per nuditatem suam turpitudinem liberis proderent. Quare cum *pudor*, cui recta sc. præest ratio, ut *Marsil. Ficinus* (l) loquitur, *à turpibus etiam absterreat, qui custos omnium virtutum à Cicerone* (m) hinc dicitur, & *Tertullia-*

c) *de Civ. D.* 2. 4.
d) 5. *contra Gent. p. m.* 183. *seqq.*
e) *ff. de Rit. Nupt.* 14.
f) *I. B. P.* 2. 5. 12.
g) *Com. in Grot. l. c. p.* 168. *seqq.*
h) *de Pudor. Nat. p* 25. *seqq.* 49.
i) *Levit.* 18. 7. *Ezech.* 22. 10 *coll. cum. Levit.* 20. 17
k) *Levit.* 20. 17.
l) *in Plat. f.* 774.
m) *Partit. orat. c.* 23.

tulliano (n) auctore, *omne malum, aut timore, aut pudore natura perfuderit*; ſane quia inter parentes & liberos quoad ea quæ ad nuditatem & venerem pertinent ſenſus verecundiæ eſt maximus, ita ut *Claudius Imperator*, memorante *Suetonio*, (o) *fœminam non agnoſcentem filium ſuũ dubia utrinq; argumentorum fide ad confeſſionem compulerit, indicto matrimonio juvenis*, natura nimirum à ſcelere & turpitudine hac eam revocante; liberi etiã coram parentibus, ſi honeſtatis ſenſum non exuerunt, de amore non loquantur, uti de Barbaris, Africæ gente, *Leo Africanus* (p) tradit, quod *ſi quis filius coram patre, patruo, aut quodam conſanguineo de amoribus, aut canat aut loquatur, id illis ſummo habeatur ſupplicio dignum*: Et *quod ſi forte quis puer autem juvenis eo incidat, ubi de amoribus fit mentio, mox ſe inde ſubducat, ubi quid dicatur intellexerit*; recte hinc colligitur, quod vel maxime neceſſario naturæ dictato inter dictas perſonas prohibeantur matrimonia, cum ab illis contrahendis natura rationalis qua talis ex ſenſu pudoris abhorreat. Bene B. *Auguſtin.* (q) *neſcio*, inquit, *quomodo ineſt humana verecundiæ quiddam naturale atq; laudabile: ut cui debet cauſa propinquitatis verecundum honorem, ab ea contineat, quamvis generatricem, tamen libidinem, de qua erubeſcere videmus & ipſam pudicitiam conjugalem.* Verecundia enim quam recta gubernat ratio, (cum qua in hoc

n) *Apol. c.* 1. *f.* 803.

o) *Claud.* 15.

p) *Deſcript. Afric. l* 1. *p. m.* 34. *b.*

q) 15. *de Civ. Dei c.* 16.

negotio illam ſemper coniungimus,) cum homini propria ſit, & tum exoriatur, quando homines cenſent, &, quæ L. V. *Veltbuyſen* (r) verba ſunt, *ſuſpicantur in ſe aliquid hærere imperfectionis, vitij, aut culpæ, propter quæ tacitas hominum cogitationes extimeſcunt, & quibus viliores contemtioresq; habeantur, & dignitatis ſuæ aliquid detrahatur*; mali profecto iſtius, quo illorum dignitas læditur, & aliquid vitii & culpæ contrahunt, eos oportet aliquam habere cognitionem, & quidem quatenus illud tale eſt. συνοικία itaque connubialis parentum & liberorum, cum utrique, nemine dictitante, metum & ſuſpicionem alicuius vitii aut culpæ, & inde ſecuturæ imminutionis naturæ dignitatis incutiat, ab interno aliquo obligationis ſenſu, qui legem aliquam circa talem cohabitationem latam arguit, provenire neceſſe eſt. Quare cum ſanctiſſimum Numen hunc pudoris affectum, ceu cuſtodem Legis naturalis & dignitatis humanæ, omni conceſſerit homini, recte hinccum B. *Bœclero* (s) dicitur: *Qui naturalem pudorem audit, vocem naturæ jubentem audit.* Unde Chriſtianos, Judæos, Muhammedanos, Gentiles etiam plurimos hic conſentire videmus. *Habet enim quiddam erga parentes verecundia humana, quod nec ipſa nequitia poßit auferre*, uti loquitur *Auguſtinus.* (t)

r) *de Pudore Nat. p.* 2.

s) *Cō Grot. P. II. p.* 170.

t) 2. *de C. Dei c.* 4.

§. 21. Verum enimvero ut primum homi-

hominem, ex cuius ſanguine omnes deſcendunt gentes terræ, Evam ex latere ipſius à Deo deſumptam uxorem ducendo, vel cum filia connubium contraxiſſe, vel ut hoc fieri poſſet, divinam diſpenſationem interceſſiſſe cum *Epiphanio* & aliis dicamus, opus non eſt: Minime enim Eva Adami filia dici debet, cum ab eo non fuerit generata, ſed à Deo ex Adamo mediate creata. Deficiente itaque fundamento relationis, nulla inter Adamum tanquam patrem, & Evam tanquam filiam relatio eſſe poteſt. Nec hic ſpectari debet, ut recte Theologi(u) obſervant, primus homo, prout fuit *individuum*, ſed prout erat *ſpeciei initium*. Unde licet inter Adamum & Evam aliqua *naturæ* propinquitas fuerit, recte tamen negatur (x) fuiſſe inter eos cognationem *naturalem*, cum omnis conſanguinitas non ex naturæ ſimilitudine, ſed ex generatione proveniat, nec materiæ, formæ, ſpeciei communio per ſe nuptiis contrahendis obſtet, ſed ſingularis communionis iſtius modus, qui per actum generationis proximum intervenit. In hoc vero exemplo, quando ex Adami latere à Deo Eva fuit creata, nullus actus primi hominis ad ipſius generationem acceſſit. Nec magis à matrimonio cum Eva arceri potuit Adam, quam nutrix à nuptiis cum juvene, quem infantem lactavit; quanquam ſuo uſi jure Muhamme-

u) *Calov. in Geneſ. p.* 295

x) *Calov. l.c. p.* 297. *Gerhard. de Matrim. §.* 303.

dani, nutricibus etiam & sororibus collacteis, quin & iis, quæ his proximitate conjunguntur, quemque interdicunt, sicut ex *Alcorano*, & celebri apud Muhamedanos *ICto AbuBircat Abdalla Ben Achmed* doctissimus docet *Seldenus*, (y) quod tamen, cum nulla neq; consanguinitas, neque affinitas hic intercedit, quæ ex de lacte suo concesso alimento nec inter nutricem & lactantem, infantem, nec inter collacteos exoriatur, à Christianis non attenditur, nec attendi debet.

y) *de I.N.G. §.11.p.635. seqq.*

§: 22. Cæterum quod *primi hominis* liberorũ attinet *connubia*, quibus per omnem terrarum orbem universum diffusum est genus humanum, quomodo in propagandis hominibus *matrimonium fratrũ cum sorore* intervenire potuerit, disquirendum est, ne per incestuosas nuptias multiplicatum esse mortalium genus cõcedere cogamur. Quod itaque conjugia inter fratres & sorores concernit, negari nequit, fuisse gentes, quarum moribus eiusmodi probabantur connubia. Sic enim de Ægyptiis *Diodorus* (z) loquitur: Νομοθετῆσαι δέ φασι τοὺς Αἰγυπτίους παρὰ τὸ κοινὸν ἔθος τῶν ἀνθρώπων γαμεῖν ἀδελφὰς, διὰ τὸ γεγονὸς ἐν τούτοις τῆς Ἴσιδος ἐπίτευγμα, *lege etiam Ægyptiis statutum est, ut præter communem hominum morem cum sororibus matrimonium ineatur; quod Isidi apud ipsos feliciter hoc successisset.* Sed quid de hoc facto habendum sit, ipse *Diodorus* significat,

z) *lib.1.*



παρὰ τὸ κοινὸν ἔθος τῶν ἀνθρώπων id fieri docens. Quanquam enim apud Græcos veteres tam ex *Solonis* quam *Lycurgi* instituto, permittente etiam *Platone*, (a) inter fratres & sorores cõnubia in usu fuerint, rarius tamen ea contigisse, imo successu temporis pro illicitis habita fuisse, non solum ex *S. Empirico* (b) constat, sed & à *M. Anton.* Imperatore apud *Herodian.* (c) talia matrimonia παρὰ τοὺς Μακεδόνων καὶ ἑλλήνων νόμους esse dicuntur. Fratrum etiam & sororum nomina quanquam ad libidines & stupra à profanis fuerint applicata, sicut ex *Martiale*, *Tibullo* aliisque notum est, ita ut Gentiles Christianis se *promiscue fratres & sorores appellantibus* incestum objecerint, uti testatur *Minucius Felix* (d) non tamen ad amores & libidines istas incestuosas excusandas hoc pertinet: cum quid causæ fuerit, quod sacra hæc nomina ad amores & libidines traxerint amantes ita *Scholiast. Lycophronis* apud *Wovver.* (e) doceat: τοὺς ξένους ἀδελφοὺς τὰ ἐρωτικὰ ποιοῦσιν· αἱ γὰρ ἐρῶντες φρατρίους λέγουσιν· ἀδελφὸς μοῦ, καὶ συγγενής μου ἐστίν. Improbantur eadem connubia Muhammedanis, expresso *Alcorani* (f) interdicto illis prohibita: quibus cum moratiores ex Gentilibus, Barbaros etiam adjungere possimus, communi generis humani consensu & more fratrum & sororum nuptias prohiberi recte dicitur. *Interdictum*, hinc inquit B. *Ambrosius*, (g) *est jure naturæ, in*-

a) *5. de Rep. f. m. 461.*

b) *Pyrrhon. Hypotypos. 3. 24.*

c) *l. 1. c. 3.*

d) *Octav. p. 20.*

e) *in Min. Fel. Not. p. 122.*

f) *Vid. Selden. l. N. 5. 11. p. 636.*

g) *l. 8. Epist. 66.*

terdictum est lege, quæ est in cordibus singulorum.

§. 23. Exoritur itaque difficultas, qui per tale matrimonium universi generis humani consociatio instituta ulterius diffundi potuerit. Non enim, ut recte obiicit
h) *Elem. l. 2. Ax. 2. obs. 5. §. 6.* Pufendorfius, (h) *videtur probabile Deum ejusmodi casum procurasse, ut omnino legi naturæ vis esset inferenda, præsertim cum facile fuisset istum casum evitare, creatis abinitio duobus conjugum paribus.* Unde ex Patribus Græcis
i) *l. I. tō. III. Hær. 39. f. 287.* Epiphanius (i) ita loquitur: τοῦ Ἀδὰμ γεννήσαντος υἱοὺς καὶ θυγατέρας, ἀνάγκη γέγονε κατ' ἐκεῖνο καιροῦ ἀδελφαῖς ταῖς ἰδίαις συναφθῆναι τοὺς παῖδας· οὐ γὰρ ἦν παράνομον τὸ τοιοῦτον. ἐπεὶ μηδὲν ἕτερον γένος ἦν, *cum genuerit Adam filios & filias necesse fuit tunc temporis natos propriis sororibus commisceri. istud enim crimini non dabatur, quoniam non extabat aliud genus.* Eadem
k) *t. 1. opp. q. in Gen. 43. f. 37.* est B. Theodoreti, (k) viri judicio *Abbatis Spanhemensis,* (l) *in divinis Scripturis valde docti, & in secularium literarum disciplinis sufficienter eruditi,* philosophia: Quærit: τίνα ὁ Κάϊν ἔσχε γυναῖκα; & respondet: δῆλον ὅτι τὴν ἀδελφήν. οὐκ ἦν δὲ τοῦτο τηνικαῦτα κατηγορία, οὐδενὸς ἀπαγορεύοντος νόμου. ἄλλως τε οὐδὲ οἷόν τε ἦν ἄλλως αὐξηθῆναι τὸ γένος, *certum est sororem duxisse; crimen vero tunc temporis non erat, nulla prohibente lege, alioqui neque fieri potuisset, ut alia ratione propagatum fuerit genus humanum.*
l) *de Script. Eccles. p. m. 32.*

m) *in Gen. Hom. 20. t. 1. f. 136.* Addimus B. *Chrysostomum,* (m) qui εἰκὸς οὖν, inquit,

inquit, τὴν Εὔαν καὶ θυγατέρα τεκεῖν μετὰ τὸν Καΐν καὶ Ἀβελ, ἣν εἰς γυναῖκα ἔλαβε Καΐν, ἐπειδὴ γὰρ προοίμια ἦν, καὶ ἔδει λοιπὸν αὐξηθῆναι τὸ γένος καὶ ταῖς ἀδελφαῖς συγγίνεσθαι συνεχώρουν, *Evam oportet filiam genuisse post Cainum & Abel, quam in uxorem sibi sumpsit Cain, quoniam vero primitiæ tum erant, & propagandum erat genus, sororibus commisceri licitum erat.* Ex Latinis *Augustinus* (n) consentiens ita loquitur: *Cum igitur genus humanum post primam copulam viri facti ex pulvere, & conjugis ex viri latere, marium fœminarumq; conjunctione opus haberet, ut gignendo multiplicaretur, nec essent ulli homines, ipsi qui ex illis duobus nati fuissent viri, sorores suas coniuges acceperunt, quod profecto quanto & antiquius compellente necessitate, tanto postea factum est damnabilius religione prohibente.* n) *l. 15. de C. D. c. 16.*

§. 24. Minus recte vero hinc concludit *Michael Ephesius*, (o) τὸν ἀδελφὸν μίγνυσθαι τῇ ἀδελφῇ ἐξ ἀρχῆς μὲν ἀδιάφορον ἦν. νόμου δὲ τεθέντος μὴ μίγνυσθαι τὸ διάφορον, *fratrem cum sorore concumbere, cum a principio esset indifferens, posita lege ne id fieret, multum referre postea apud omnes videtur*: Nec ita crude loquendum, fratrum sororumque connubia naturam non vetuisse. Quod enim nō *res* in se *media* sit, vel fuerit simpliciter, fratris cum sorore connubium, carnis propinquitas qua se sine intervallo, immediate o) *in Arist. 5. Nicom. c. 7.*

diate

diate ad latera attingunt, evincit. Ex intuitu quippe communis originis à qua proxime descēdunt, oritur pudor inter fratres & sorores naturalis, ex consideratione turpitudinis, cum qua communis illorum ortus conjunctus est, quem, cum in honestate & reverentia parentibus debita fundetur, violare & ex libidinis impetu contemnere nefas est. Sane quam verecundiam parentibus debes, eandem etiam, etsi non pari gradu, sorori te exhibere decet, quod sanguis & caro tuorum sit parentum, quos in sorore adhuc venerari decet, & ab omni turpitudine versus eandem, ceu illorum & tuam proximam consanguineam, abstinere.

p) *Disquis. de Orig. I.N. p. 187. 342. seqq. 352.*

§. 25. Cæterum, quod alibi (p) prolixius explicavimus, cum eorum quæ de jure naturali esse dicuntur certi dentur gradus, ita ut alia sint juris naturalis simpliciter & ex omni parte, alia certo respectu, & sub certis circumstantiis talia, quibus mutatis à priori sub qua erant legis naturalis obligatione eximuntur; cumque etiam inter naturalia præcepta ordo naturalis intercedat, ut potioribus & nobilioribus circumstantiis datis, minus potiores & nobiliores quiescant, nec suam vim moralem exerant; posteriori hoc naturalium præceptorum ordine, quo ea continentur, quæ non ad legem naturæ ἁπλῶς,

sed

ſed *κατά τι* pertinent, numeramus interdictum de connubio inter fratrem & ſororem, quod variatis circumſtantiis, & potioribus datis, uti non priorem retinet faciem, ita ſub lege naturali, quæ conjugium fratris cum ſorore alias prohibet, non amplius continetur. Id quod non juris & honeſtatis, ſed obiecti, rerumque mutatio dici debet.

§. 26. Quanquam vero rationes divinæ voluntatis curioſius hic inquirere nolimus, non tamen ſufficere putamus, ſi cum *L. V. Velthuyſen* (q) ita nude iſta conjugia ſine peccato fuiſſe dicimus, *quia neceſſitas, vel potius Dei lex, pudoris cauſam ſuſtulit*, cum diſtinctius hoc explicari debeat, ad non unam occupandam difficultatem. Cum enim illa neceſſitas ex deficiente circa initia hominum multitudine nata, ex divina ordinatione provenerit, tollique facile potuerit, aliunde huius rei ratio petenda eſt. In ipſa itaque conſociatione humani generis univerſali, connubii inter fratres & ſorores fundari dicimus & neceſſariam olim permiſſionem, & neceſſariam eiuſdem hodie prohibitionem. Nimirum cum per naturam ſuam homo ſit animal ſociale, univerſalisque etiam hominum ſocietas naturalis eſſe debeat, naturæ eiuſdem communio & cognatio, non ſola ſimilitudo hic intercedat neceſſe eſt; non autem erat illa futura,

q) *De Nat. Pud. p. 51.*

futura, nisi primi hominis liberi inter se commiscerentur, & in primis sui initiis jam homines consociarentur. Unde *Theodoretus* (r) *voluit Deus*, inquit, *ex uno viro & una muliere subsistere universas hominum gentes:* πρῶτον ἵνα τὸ ταυτὸν τῆς φύσεως γινώσκωσιν, ὡς ἐξ ἑνὸς ζεύγους βεβλαστηκότες· ἔπειτα δὲ καὶ εἰς ὁμόνοιαν συνάπτωνται, ὡς ἐκ μιᾶς ῥίζης ἀνθηκότες. εἰ γὰρ καὶ τούτων παρὰ τοῦ θεοῦ τῶν ὅλων πρυτανευθέντων, μυρίαι τολμῶνται σφαγαί, τί οὐκ ἂν ἐτόλμησαν, εἰ ἐκ διαφόρων βεβλαστηκέναι πατέρων ᾠήθησαν, *primum quidem, ut eandem esse naturã cognoscerent, ex uno pari prognati: deinde ut in concordiã coirent, tanquam qui ex una radice effloruissent. Nam si cum Deus universorum hæc omnia ita ordinaverit, multæ tamen cædes admittuntur, quid non perpetrassent si è diversis patribus ortos se esse existimassent.* Cum itaque generis humani consociatio naturalis ex singulari sui indole, naturalique sui habitu, & ex inde proveniente naturali sui necessitate, ut ab uno homine, ita ab eiusdem liberis tantum derivari amaverit, patet hinc connubii inter primi hominis liberos non solum necessitas, sed & sub his circumstantiis, quibus aliæ cedere & tamdiu quiescere coguntur, honestas. Postquam vero jam multiplicatum est genus humanum, uti mutatæ sunt rerum circumstantiæ, & sub alia eiusmodi cõnubia exhibentur facie, ideo moralitas, quæ alias illis inerat suas jam exerit vires, ut jure hodie pro nefandis eiusmodi habeantur

r) *T. I. opp. q. in Gen. 43. f. 87.*

beantur nuptiæ, annuente eodem *Theodoreto*. (s) Eadem quoque consociationis humanæ peculiaris indoles & necessitas vult, & jubet, ut quo arctior necessitudo & societas inter homines, apud quos avitæ cognationis memoria pene extincta est, oriatur, *amicitiæ & necessitudines arctiores contrahantur inter familias à se invicem longius disjunctas, ubi nullam vim haberet cognatio ad eas invicem conciliandas*, uti loquitur *Cumberlandus*. (t)

s) *l.c.*

t) *Disquis. LL. Nat. p.* 369. *seq.*

§. 27. Quæ vero ab his initiis ratio multiplicationis generis humani per universum orbem fuerit, facile colligi potest. *Domus* sc. ut *Cicero* (u) loquitur, *conjugio & stirpe conjuncta, serpit sensim foras cognationibus primum tum affinitatibus; deinde amicitiis: post vicinitatibus cum civibus, & iis qui publice socij atq; amici sunt: deinde totius complexu gentis humanæ.* Exhibuit quandam huius rei imaginem olim Hispania, in qua memorante *Ludovico Vive*, (x) *vicus fuit centum domorum, cuius omnes incolæ erant à sene quodam, qui adhuc vivebat progeniti, ita ut propinquitatis nomen jam deesset, quo à minimis natu vocaretur.* Computandi rationem, qua ostenditur ab uno sanguine brevi humanum genus multiplicatum in infinitam multitudinem crescere potuisse, indicarunt *Petavius*, (y) *Athanas. Kircherus*, (z) *Euseb. Romanus*, (a) quam firmiori judicamus niti hypothesi, quam ut cum *Isaaco Vossio* (b) eam ceu *ridiculam* exagitemus.

u) *s. Fin. p.* 140.

x) *ad Aug. l. V. Opp. f.* 820.

y) *l. 9. Doctr. Temp. c.* 14. *t.* 2.

z) *Oedip. Ægypt. f.* 20

a) *Animadv. in Praadam. p.* 47.

b) *De Ætate Mundi p.* 257.

Unde

(c) 15. de Civ. Dei c. 8. Unde *quis dubitaverit*, inquit *B. Augustin.* (c) *per unius hominis ætatem tantum multiplicari potuisse genus humanum, ut esset unde constitueretur non una, sed plurimæ civitates? Quod ex hoc conjici facillime potest, quia ex uno Abraham, non multo amplius quadringentis annis numerositas Ebrææ gentis tanta procreata est, ut in exitu ejusdem populi ex Ægypto sexcenta millia hominum fuisse referantur, ut omittamus gentem Idumæorum non pertinentem ad populum Israël, quam genuit frater ejus Esau nepos Abrahæ, & alias gentes ex semine ipsius Abrahæ, non per Saram conjugem procreatus.*

§. 28. Abundanti itaq; hominum multitudine, cum eos non caperent terræ quæ genuerant, necessario novæ erant quærendæ sedes. Fabulas sequitur de rebus Germanicis alias meritissimus *Aventinus*, quãdo (d) Annal. Boj. l. 1. f. m. 8. genere humano in Armenia post diluvium reparando, ipsum *Noachum terram servatis antiquis nominibus (uti ante illuviem fuerat aquarum) in partes tres, Asiam, Europam, Africam, divisisse, & has filiis vectum navi circa litora ostendisse*, in regna distribuisse, & passim velut ver sacrum in designatas terras emisisse, fingit; quo ea etiam habemus loco quæ de *Testamento Noachi Cedrenus* (e) tradit, cum scriptura & (e) Hist. Cõp. f. 10. historia Mosaica non commemorante, *quid Noe & filii eius egerint, & ubi primum habitaverint*, ut recte monet *Augustin. Torniell.* (f) (f) Annal. Sacr. f. 118. *sciri non possit.* Quod etiam de primis gentium migrationibus censendum.

§. 29.

§. 29. Cæterum repletis hominum multitudine terris, in satis amplum corpus genus humanum est diffusum, cuius unitas atque societas per varias istas gentium & populorum migrationes & dispersiones in orbe terrarum sublata non est, uti nec consociatio civilis tollitur, quando, ut apud Germanos, auctore *Tacito* (g) moris fuit, *discreti cives ac diversi vivunt, ut cāpus, ut nemus placuit, nullasq; inter se patiuntur sedes.* Quam late itaque patet genus humanum, tam late quoque patet universalis omnium hominum societas; licet illi per orbem latissime diffusi complures cœtus particulares, qui & ipsi locorum intervallis invicem longe, per latissima haud raro marium spatia, sunt sejuncti, constituant.

g) *Germ.* 16.

§. 30. De hac universali generis humani societate eximia etiam veterum, *Stoicorum* potissimum, fuit Philosophia, de quibus *Cicero* (h), *at quanta*, inquit, *conantur? Mundum hunc oppidum esse nostrum. Incendit igitur eos, qui audiunt. vides quantam rem agat? ut Circeiis qui habitet, hunc omnem mundū suum municipium esse existimet.* Complura in hanc rem loca collegit *Gatacker* (i). Ex Epitome *Arij Didymi* sequentia exhibet *Eusebius*: (k). ὃν τρόπον πόλις λέγεται διχῶς, τό, τε οἰκητήριον, καὶ τὸ ἐκ τῶν ἐνοικούντων σὺν τοῖς πολίταις σύστημα· οὕτω καὶ ὁ κόσμος, οἱονεὶ πόλις ἐστὶν ἐκ θεῶν ἀνθρώπων συνεστῶσα, τῶν μὲν θεῶν τὴν ἡγεμονίαν ἐχόντων,

h) 4. *de Fin.* p. 107.

i) *ad Marc. Anton.*

k) *Praepar. Evang. l.* 15. *c.* 15.

ἰχόντων, τῶν δὲ ἀνθρώπων ὑποτεταγμένων. Κοινωνίας δ' ὑπάρχειν πρὸς ἀλλήλους, διὰ τὸ λόγου μετέχειν, ὅς ἐστι φύσει νόμος, *quemadmodum civitatis notio quadam & ratio duplex est, altera quatenus domicilium aliquod, altera quatenus multitudinem & incolarum & civium societate conflatam significat: Ita mundus quadam quasi civitas est, ex Diis hominibusq; constans, sic quidem ut principatum Dii teneant, homines eorum imperio subditi teneantur. Caterum mutuam eorum inter se conjunctionem esse, quam illa qua natura Lex est, communio rationis efficiat.* Consentiunt nostrates *Lactantius, Augustin. Ambrosius*, alii.

§. 31. Adstruitur autem hæc universalis civitas ex *unione*, qua *sub uno supremo Rectore*, qui est Deus Ter Opt. Max. communi vinculo in unum corpus conjungimur. Nam ut partes constituant totum, necesse est ut intercedente inter illas unione rite uniantur; absque unione enim partium totum *actuale* non datur. Id qua ratione fiat docet *Antonius* (l) Imperator: εἰ τὸ νοερὸν ἡμῖν κοινὸν, καὶ ὁ λόγος, καθ' ὃν λογικοί ἐσμεν, κοινός· εἰ τοῦτο, καὶ ὁ προστακτικὸς τῶν ποιητέων, ἢ μὴ λόγος κοινός· εἰ τοῦτο, καὶ ὁ νόμος κοινός· εἰ τοῦτο, πολῖται ἐσμεν· εἰ τοῦτο, πολιτεύματος τινὸς μετέχομεν· εἰ τοῦτο, ὁ κόσμος ὡσπερεὶ πόλις ἐστι, *si intellectus nobis communis est, etiam ratio, qua rationales dicimur, communis est: si ratio, etiam ea, qua quid agendum, quid omittendum præscribit,*

(l) l. 4. p. 24.

scribit, ratio communis est: si hac, lex quoque communis est: hoc si conceditur, cives sumus; & hoc dato, politia alicujus participes, & ex consequenti civitatis instar mundus est. Reapse itaque & nemine cogitante cum ex divina ordinatione inter homines communio detur, unionem quoque inter illos intercedere, & hac data, omnes unum corpus, totum sc. constituere necesse est. Communis hinc omnibus hominibus est socialis affectus, qui cum homini hominem conciliat, eundem etiam cum quovis socialem reddere intendit.

§. 32. Cognoscitur hæc societatis unitas etiam exinde, quod quemadmodum in corpore humano singula membra, unumquodque pro virtute sibi conveniente, operantur ad totius corporis conservationem, *κατ' ἐνέργειαν ἐν μέτρῳ ἑνὸς ἑκάστου μέρους*,
uti *Paulus*(m) loquitur; ita omnes homines, m) *Ephes.* 4.
universi quoque coniunctim considerati, 16.
non suum privatum, sed publicum omniũ bonum respicere teneantur. *Hac utique,*
B. scribit *Ambrosius*,(n) *lex naturæ est, quando* n) 3. *Off.* 3.
nos ad omnem stringit humanitatem, ut alter alteri, tanquam unius partes corporis, invicem deferamus. Ita quippe divinà providentià sua cuique propria & singularis felicitas publico intertexitur bono, ut sine huius studio illa obtineri nequeat. Dependet enim à mutua hominu u opera, & benevo-

 lentia,

lentia, communis boni studio concilianda
(o) *Disquis. de LL Nat. c. 5. §. 28.* Eleganter Richardus Cumberlandus (o): *Integra hominis cujusvis singularis felicitas à benevolentia Dei, aliorumq; hominum naturaliter dependet. Ea autem benevolentia Dei ergà quemlibet, à respectu ad suum honorem divelli nequit, nec aliorum hominum propensus in nos animus à suæ felicitatis cura separari potest. Imo hanc in illis potiorem agnoscimus necessario, quam nostri studium: quare fieri nequit, ut qui naturam rationalium recte expendit, illud expeteret, ut illi nobis succurrerent, nisi illorum conservatio curetur: adeoq; ille non poterit suam ipsius felicitatem separatim ab aliorum felicitate in finem adaquatum sibi proponere.* Cumque actui, quo neglecto bono publico privata intenditur felicitas, malum ceu pœna accidat, hoc ipso satis cognoscitur, prosecutionem boni communis legibus naturalibus nobis præcipi. Videmus hinc actus, qui sunt causa communis totius generis humani felicitatis, ex virtute proficisci, quibus autem proprium cuique commodum intenditur, publicumque bonum læditur, esse vitiosos. Unde Cicero, (p) *ut quisq;, inquit, maxime ad suum commodum refert, quæcunque agit, ita minime est vir bonus.* Sique quod cuique maximè placet bonum est finis vere ultimus, quem non nisi bonis actionibus obtinere liceat, positis ab aliis, qui contrariis aguntur studiis, diversis finibus

(p) *1. de LL. p. 165.*

bus

bus ultimis, quorum causæ sunt opposi-tæ, actiones vere bonas sibi oppositas quoq; esse necesse est; quod cum sit absurdum, patet nemini rectam hoc dictare rationem, ut de sua tantum felicitate solicitus, eâdem sibi ut maximum finem proponat, sed suam potius cum aliorum felicitate coniunctam intendat; quæ passim prolixius *Cumberlandus* (q) contra *Hobbium* prosequitur. Eximie hoc argumentum *Cicero* (r) tractat: *Si unumquodq; membrum sensum hunc haberet, ut posse putaret se valere, si proximi membri valetudinem ad se traduxisset: debilitari, & interire totum corpus necesse est: sic si unusquisq; nostrum rapiat ad se commoda aliorum, detrahatque quod cuiq; possit, emolumenti sui gratia: societas hominum, communitasq; evertatur necesse est.*

q) *lib. cit.*

r) 3. *Offic.* p. 56.

§. 33. Illustrat hanc consociationem, eiusque necessitatem, generis humani indigentia universalis. Usque enim eo variis per universam vitam nostram jactamur casibus, totque si felicitas nostra per omnem vitam in tuto locari debet, conspirare debent causæ, ut nihil temere in mundo, ceu homini prorsus inutile, contemni debeat. Multo minus credendum est, dari in hominum multitudine quendam, qui nec fuerit, nec sit, aut esse possit inter causas aliquid saltem ad nostram felicitatem conferentes; unde cum universo hominum genere societatem quandam nobis

 inter-

intercedere necesse est. Finis enim civitatis est, ut illa indigentia, ceu docet *Aristot.*(s) tollatur. Ita Patria pulso sedes fortunatum ab ignoto hospite sæpe numero sunt patendæ; quas hic omni jure adventanti denegaret, infestum alias certe serpentem in sinum recepturus, uti Valenti Gothos ab Hunnis pulsos *sine ulla fœderis pactione suscipienti*, ut *Paull. Diacon.* (t) autor est, accidit, nisi cum socio, vinculoque juris & nexu reciproco sibi obligato, se habere negotium sciret. Jure etiam qui naufragio, vel sæva maris tempestate compulsi, ad litora alterius populi appellere, naves suas reparare, & ea quæ ad valetudinem vectorum pertinent æquo parare pretio coguntur, arceri possent, nec his de iniquitate querendi jus esset, quemadmodum apud *Thucydid.* (u) Megarenses coram Spartanis Athenienses accusarunt, quod *portubus illorum arcerentur*; nisi communi jure ad hæc & similia humanitatis innoxiæ officia, quantum propriæ securitatis ratio id permittit, homines invitarentur. Unde bene *Seneca* (x) *societas*, inquit, *nostra lapidum fornicationi simillima est, quæ casura, nisi invicem obstarent, hoc ipso sustinetur.*

s) 1. Pol. 2. 3. Pol. 1.

t) Hist. Misc. l. 12. c. 14.

u) l. 1. f. 21.

x) Epist. 95.

§. 34. Ratio huius consociationis, qua omnes in mundo homines in unam coëunt societatẽ, ut cunctos æque inter se conjungere possit, necessario in aliqua re, quæ omni-

omnibus sit communis, fundatur. Hanc *legem naturæ*, jus vere sociale, *affectumq; hominis socialem*, quem communis partim, quæ inter mortales per naturã intercedit, cognatio, partim naturæ similitudo intendit, esse dicimus. Merito enim in principio generi humano interno ea quæritur, ut ex naturæ suæ indole se ad hanc societatem destinari, imo quasi obligari, homines sentiant.

§. 35. Uti omnis societas juris nexu continetur, ita universalis generis humani consociatio copulatur lege universali, h.e. naturali. Hæc n. inter omnes homines qua tales, ceu lex universæ naturæ humanæ lata intercedit, & sub supremi Rectoris Imperio eos ad mutua obligat officia: Ubi vero sub unius regimine unius quoque eiusdemque juris, nexu inter cives reciproco, servatur communio, ibi eadem unaque datur civitas. Unde *Cicero* (y) *est*, inquit, *unum jus quo devincta est hominum societas*; quæ etiam talis manet, *μίχεις* ut *Plutarchus* (z) loquitur, *ἂν ἡ ποιοῦσα καὶ συνδέουσα τοῖς συμπλοκῆς κοινωνία, τὴν ἑνότητα διαφυλάττῃ*, *quamdiu communitas, quam mutuis complexibus devincit, unumq; corpus efficit, unitatem unam conservaverit.* Quanquam vero vita inter se hominum socialis adæquata juris naturalis universi ratio nobis minime habeatur, ceu alibi (a) diximus, recte tamen hominum societatem custodire, legibus statum socia-

y) 1. de LL. p. 164.

z) t. 2. Opp. de ser. Num. vind. f. 559.

a) Vindic. Orig. I.N. contra V.S.

lem formare, mutuaque hominibus officia socialia præcipere jus naturæ dicitur. Eximie *Cicero*: (b) *Non erat alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac, sed & omnes gentes, & omni tempore una lex, & sempiterna & immutabilis continebit.* quare ut *Arrian* (c) monet, *considera qui sis.* πολίτης εἶ τοῦ κόσμου· τίς οὖν ἐπαγγελία πολίτου; μηδὲν ἔχειν ἰδίᾳ συμφέρον, περὶ μηδενὸς βουλεύεσθαι ὡς ἀπόλυτον. ἀλλ' ὥσπερ ἂν εἰ ἡ χεὶρ ἢ ὁ πούς λογισμὸν εἶχον, καὶ παρηκολούθουν τῇ φυσικῇ κατασκευῇ, οὐδέποτ' ἂν ἄλλως ὥρμησαν, ἢ ὠρέχθησαν, ἢ ἐπανενεγκόντες ἐπὶ τὸ ὅλον, *mundi civis es. Quæ igitur est civis professio? ne quid privatim utile ducat: de nulla re tanquam emancipatus deliberet: sed ita ut manus aut pes, si ratione uterentur, & naturalem ordinem intelligerent, nunquam concitarentur aliter, nec desiderarent quicquam nisi ratione habita universi.*

b) 2. *de LL.*

c) *l.* 2. *c.* 10.

§. 36. Jus hoc universale Noachum morti proximum suis ajunt tradidisse filiis, septem contentum præceptis. Facta enim inter illos orbis divisione, μέλλων, ut *Cedrenus* (d) loquitur, τελευτᾶν, ἐνετείλατο τοῖς τρισὶν υἱοῖς αὐτοῦ, μηδένα ἐπελθεῖν τοῖς τοῦ ἀδελφοῦ ὁρίοις, καὶ ἀτάκτως ἐνεχθῆναι πρὸς τὸν ἕτερον· ὡς τούτου γενησομένου αἰτίου στάσεως αὐτοῖς καὶ πολέμων τῶν πρὸς ἀλλήλους, *moriturus tribus filiis suis mandavit, ne quis eorum fratris regionem invaderet, eumve injuria aliqua afficeret: alioquin hoc eis discordiarum & bellorum intestinorum*

d) *Comp. Hist. f.* 10.

rum causam allaturum. Doctissimus etiam *Epiphanius* (e) Noemum scribit mundo in tres filios trifariam distributo, *jusjurandum à singulis exegisse,* ὅρκον ἀπῃτήσεν παρ' αὐτῶν, μηδένα ἐπεμβαίνειν τῷ τοῦ ἀδελφοῦ κλήρῳ, τὸν ὑπερβαίνοντα τὴν τοῦ ὅρκου διαταγὴν, ἐξολοθρεύεσθαι ἐν τῷ ὅρκῳ καὶ πᾶν τὸ σπέρμα αὐτοῦ, *neminem in sortem fratris invasurum esse; Qui jurisjurandi fidem violasset, uti cum tota sua stirpe miserrime periret.* Confidentius alii septem præcepta ex Ebræorum scriptis tradūt, quæ *præcepta filiorum Noæ* מצות בני נח appellantur, quod Noë morti proximus ea filiis suis, ut opinantur, reliquisset, de quibus, ut Christianos mittam, ex Judæis *Menasseh Ben Israel* (f) *septem*, inquit, *præcepta, ut traditur in Gemara Sanhedrin, omnes gentes observare tenentur, quæ idcirco vocata sunt* שבע מצות בני נח *septem præcepta filiorum Noachi. Ex his sena Adamo data sunt: nimirum ut abstineret idololatria. 2. maledictione nominis divini. 3. Cade. 4. adulterio, 5. Furto. 6. ut judices institueret, quorum esset curare ut illa præcepta observarentur. Super hæc Noacho septimum additum fuit, ne membrum vivo animali amputatum comederet* &c. additque: *hæc sunt præcepta ob quorum violationem, ut ex Sacra Scriptura ibidem in Sanhedrin probatur, etiam Gentes mundi à Deo punitas constat.* Quicquid sit de historia rei, quam Ebræorum & Rabbinorum fidei relinqui-

e) *Ancor. c.* 114. & 116. *t. 2. opp. f.* 116. & 118.

f) *Cōciliat. quæst. 2. in Deut.*

linquimus, præceptum septimum על אבר מן החי *de membro animalis viventis non comedendo*, ad jus universale non pertinere manifestum est; cætera vero communia licet, insufficienter sunt enumerata.

§. 37. Accidit equidem haud raro, ut de talibus, quæ jure communi alter alteri debet, & ab altero petere potest, pacto inter se homines conveniant, reciprocoque se invicem nexu, novo vinculo superaddito constringant. Ita quanquam communi jure in pace inter se vivere debeāt homines, quæ status hominum naturalis est, *fœdus tamen inter principem Wallorum & Arragonium sub ejusmodi formula fuisse* tradit *Froſſardus*, (g) *ut ex Anglia nullo unquam tempore bellum huic inferretur.* Nimirum quanquam homini hominem prodesse, non nocere, ex juris naturalis præcepto deceat, non solum inter ferociores igniculi à naturâ dati, vel appetitus inferioris & affectuum contumacia, vel prava educatione & consuetudine extinguntur; sed & inter humaniores jus haud raro in libidine potentiorum est, qui pro suæ utilitatis ratione id observare frequenter solent, ut proin ob mutuum metum prudenter inter eos qui nihil cōtraxerunt, etiā talia ineantur pacta, quib⁹ id tantum quod juris naturalis est constituitur: Imo talia fœdera necessaria etiam esse recte docuit *Grotius*. (h) Priscis certe temporibus, cum

g) *hist. l. 3.*

h) *l. 2. II. 15. §.*

cum gentium inter ſe latrocinia gloriæ habebantur, ut loquitur *Iuſtinus*,(i) omnino i) l.43.5.
talia fœdera ei neceſſaria credebantur, qui ſuas res in tuto poſſidere geſtiebat. *Thucydides*(k) autor eſt, quod veteres Græci, οὐκ k) l.1. Bel.
τῆς ἐμπορείας οὔσης, οὐδ' ἐπιμιγνύντες ἀδεῶς ἀλλήλοις, οὔτε κατὰ γῆν, οὔτε διὰ θαλάσσης, *nulla negotiatione, nullo inter eos citra formidinem commercio, neque terra, neq; mari exiſtente*, in ſuis ſedibus incerti viventes, à maiori numero eas relinquere ſæpius coacti fuerint. Unde *fœdera de non offendendo* nata ſunt; quale fuit, quod inter ſe Jacob & Laban (l) in ſacra *Moſis* hiſtoria percuſſiſſe dicuntur. Pelop. ſ. 2.

l) Gen. c.31. c.44. Vid. Calov. Com. p.1152.

§. 38. Cohærent præterea inter ſe, conjunguntur que homines *affectu ſociali*, quo ad vitam ſocialem, naturali ſocietatis colendæ deſiderio, nō ſolum inclinant, inq; ſui ſimilium cœtu verſari geſtiunt, ſed & inſevit iisdem natura amorem erga ſexum diverſum, στοργὴν tenerrimam erga prolem, & ad φιλανθρωπίαν & benevolentiam erga alios illos impellit, ut proin recte *Hierocles* apud *Stobæum*(m) ἅπαν dixerit, ἡμῶν τὸ γένος ἐστὶ πρὸς m) Serm.
κοινωνίαν, *univerſum genus noſtrum ad ſocietatem* 65. f. m. 414.
natum eſſe. Nimirum uti vinculo charitatis ex fide exortæ Chriſtiani inter ſe ad mutuæ dilectionis officia ſibi invicem exhibenda devincti ſunt; ita ex appetitu ſocietatis naturali exortus naturalis erga homines amor, συμπαθείᾳ quadam alios ad alios

pro-

propendere facit; ut homo homini ideo quia homo est bene cupiat, certe omissa omni immani asperitate bene cupere debeat. Alioqui, si ut B. loquitur *Hieronymus*, (n) *tantum cum proximis loquamur veritatem, quicunq; non fuerit proximus, debet audire mendacium. Quod quidem & in lege praceptum est; Non adulterabis uxorem proximi tui. Si proximus tantum propinquus aut amicus accipitur, adulteria in alienos jure permittit: sed proximum vocat omnem, qui ex eodem nobiscum parente generatus est.* Et ut omnes, cæteros rebus nostris bene potius, quam male cupere malumus, ita eodem animo erga illos esse debemus: nam si vis amari, ama. Bene B. *Ambrosius*: (o) *Quid tam insitum natura, quam ut diligentem diligas, quid tam inolitum atq; impressum affectibus humanis, quam ut eum amare inducas in animum, à quo te amari velis?* Fœdera hinc quæ inter gentes utrinque eodem se habent modo, & *aqualia* hoc nomine dicuntur, & diuturniora sunt aliis, & meliori observantur fide. Illustre est *Delphini Franciæ* exemplum, à *Iohann. Bussieres* (p) commemoratum: *Cum enim patre Iohanne ab Anglis in prælio capto, se ad iniquas conditiones adigi animadverteret, in instrumentum fœderis adspersit scrupulos, vocumq; formulas, unde postea commodiori fortuna resilirent Franci à fœdere illibata fide.* Bella hinc etiam exorta eo facilius sedantur, quo minori exacerbatione animorum gesta sunt, & quo plura humanitatis officia locum habue-

n) *Com. l. 2. in Epist. ad Eph. 4.*

o) *2. Offic. 7.*

p) *Hist. Franc. P. II. l. 10 p. 25.*

habuerunt. *Ea bella*, ait Cicero(q), *quibus imperij gloria proposita est, minus acerbe gerenda sunt. Vt enim cum civiliter contendimus, aliter, si inimicus, aliter, si competitor, cum altero certamen honoris & dignitatis est, cum altero capitis & famæ: sic cum Celtiberis, cum Cimbris bellum ut cum inimicis gerebatur, uter esset, nō uter imperaret, cum Latinis, Sabinis, Samnitibus, Pœnis, Pyrrho, de imperio dimicabatur.* q) 1. Offic. p. 9.

§. 39. Cæterum hæc charitas naturalis & universalis, quam adæquatam rationem esse dicimus conjungendi homines inter se, ceu unius corporis membra, radix & principium est omnium officiorum, quæ sibi mortales exhibere tenentur, ita ut si non ex affectu hoc sociali aliquid profectū fuerit, pro *vere sociali* haberi nō debeat. Talis enim *simulatio amicitiæ*, ut Cicero(r) loquitur, *repugnat maxime: delet enim veritatem, sine qua nomen amicitiæ valere non potest.* Quæq; ad fallendum composita sunt officia, ad dissociandum potius, quam conjungendum hominum mentes apta sunt. Fides sane publica, quæ inter homines gentesq; firmissimum creditur esse vinculum, quaq; *abrogata omnis humana societas tollitur*, uti Appius Claudius apud Livium (s) loquitur, nulla re magis concutitur, quam si non sincere cuncta geruntur, cum contra fides habita plerumq; ipsam fidem, etiam apud dubios, obligare soleat. r) de Amic. c. 25. s) l. 6. c. 41.

§. 40.

§. 40. Hæc humani generis per mutuam naturalem charitatem, ceu affectum vere socialem, quæ fit unio & consociatio, est vel *habitualis*, vel *actualis*. Illa notat habitualem propensioné erga homines quoscunque, quibus ideo quia homines sunt, nos bene cupere decet; devincitque inter se etiam incognitos, maximaque locorum intercapedine à se invicem separatos, quibus officia humanitatis, ubi ita occasio tulerit, exhibere parati sumus, & ad ea etiam præstanda nos obligatos agnoscimus, similia vicissim ab illis expectãtes. Effectus sunt fœdera cum remotissimis etiam gentibus, tam commerciorum, quam armorum gratia tentata, atque inita. Philippus II. Hispanorum rex cum amoris sui declarandi gratia Nangasaci Regi *cor aureum* misisset, *Barbarus illud cordi suo apprimens, idiomate suo*, ut refert *Engelgrave* (t) Jesuita Belgico Hispanus, exclamavit: *Maha santo scam! Maha santo scam!* i. e. *O quam gaudeo*; quod cor monumentum & pignus amoris esse probe noverat: eoque munere ab Hispano quasi victus, ei totus devinctus fuit. Hine apud Barbaros etiam morari aliquantisper innoxie prætervehentibus, aut prætereuntibus, valetudinis, aut alia justa causâ licet; laudatque *Tacitus* (u) hoc nomine Germanos, apud quos olim, *quemq; mortalium arcere tecto, nefas habebatur.* πρὸς αὐτοὺς. ξένες διαγον-

t) *Luc. Ev. ang. P. I. p.* 322.

u) *Germ. c.* 21.

διανοητέον ὡς ἁγιότατα ξυμβόλαια ὄντα, ad peregrinos sanctissima esse fœdera hinc quisq; cogitet ait *Plato*: (x) *Nam cum peregrinus amicis cognatisq; careat, majorem & apud homines meretur misericordiam.* x) 5. de LL. f. 605.

§. 41. *Actualis* vero *conjunctio* datur inter eos, qui actuali & mutua benevolentia, socialique animi propensione se invicem reapse, tanquam corporis membra & partes complectuntur; interceditque vel inter singulos, qui sibi invicem, vel quod in eodem habitant loco, vel alia ratione, innotuerunt; vel etiam inter integros cœtus, civitates & respublicas in quas genus humanum, salva sui indivisione interna dividitur, inter quas mutua communicatio vel per literas datur. Quo etiam medio non solum mutua notitia, sed & reciprocus benevolentiæ affectus fovetur, conservatur & augetur, publicæque, decrescente in dies mutuo metu, indeque nocendi libidine proveniente, fidei locus relinquitur. Legatorum ad hoc negotium opera est necessaria, quos haud raro tantum salutandi, vel gratulandi, aut condolendi causa, alios principes & populos adire uti moris est, (y) ita venientes *sine causa rejici gentium jus*, ut *Grotius* (z) loquitur, & consuetudo, *vetat*. Et quod *Aristot.* (a) & *Cicero* (b) de oratione disputat, quam inter vincula & instrumenta humanæ consociationis numerant, id de Legatis

y) *Marselaer Legat.* l. 2. d. 28.
z) l. B. P. II. 18. 3.
a) 1. *Pol.*
b) 1. *Offic* p. 11.

c) *de Leg. c. 6.* legatis quoque *Paschalio* (c) non incongrue affirmatur: *Quod homini est loquela, hoc sunt Imperiis Legationes.*

§. 42. Ast uti sunt res humanæ incertæ, dubiæ, infirmæ, mobiles: ἔστι δ' ὅτε κατὰ τὴν ἰδίαν φύσιν ἄνθρωποι, ποτὲ μὲν ἐπὶ τὸ δέον ὁρμῶσι, ποτὲ δ' ἐπὶ τοὐναντίον, *suapte natura homines interdum modo ad salubria inclinant consilia, modo ad contraria*, recte ait *Polybius*; (d) ita sæpius hoc vinculum non satis validum ad continendum & constringendum genus humanum apparet. Unde ut socialis hic mutui amoris & benevolentiæ affectus eo intensior foret, ex unius hominis sanguine universum genus humanum prodire Deus voluit, ut *naturæ cognatio* consociaret, quos privatus amor distrahit, socialemque incenderet affectum, si eum remitti contingeret. *Augustini* eximiam de hoc argumento philosophiam supra (e) vidimus. Agnoscitque ipse *Cicero*, (f) *arctionem esse colligationem societatis propinquorum; sanguinisq; conjunctionem & benevolentiam devincire caritate homines.* Nec aliter *Seneca*, (g) cui breviter hanc formulam humani officii tradere placuit: *Omne hoc quod vides, quo divina, atq; humana conclusa sunt, unum est. Membra sumus corporis magni. Natura nos cognatos edidit, cum ex iisdem & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & sociabiles fecit.*

d) *Hist. l. 16. c. 13.*

e) *art. I. §. 1. seqq.*

f) *1. Offic. p. 11.*

g) *Epist. 95.*

§. 43. Sane si hominem homini ideo

quia homo est benefacere & bene velle decet, multo magis ideo humana exhibenda eidē sunt officia, quia est sanguis de nostro sanguine. Unde *Florentinus*, (h) *cum inter nos*, inquit, *cognationem quandam natura constituit, consequens est hominem homini insidiari nefas esse*: In seipsum enim & in sua saeviret viscera, cognatumque profunderet sanguinem, aeque iniquus in seipsum hoc ipso quod iniquus in suos, h. est. in consanguineos extitisset, atque in Menenii Agrippae apologo apud *Livium* (i) reliquae corporis partes iniquae in ventrem sibi consanguineum, & ex eodem semine, communi omnium origine, oriundum, fuerunt, quem fame domare stolide conspiraverant. Cognationis vim spectarunt in Gallia, qui Henrico III. Regi autores Anno 1588. fuerunt, ne caeso Henrico Guisio, eius fratri Cardinali parceret, *nulla enim illum conjugij dulcedine, nullis liberorum illecebris, nullis charitatibus, quae humaniores homines reddunt, tangi, proinde neminem esse in omni familia, quem acriorem ultorem Rex metuere debeat*, scriptore *Thuano*. (k)

h) *D. l. 3. de J. J.*

i) *2. Rom. Hist.*

k) *l. 93.*

§. 50. Incendere socialem amoris affectum debet, hominesque consociare, etiam *Naturae similitudo*, quum & bruta sibi invicem conciliet, ferasque à mutua revocet caede, secundum illud Poëtae: (l)

> *Indica tigris agit rabida cum tigride pacem*
> *Perpetuam; saevis inter se convenit ursis.*

l) *Juvenal. Sat. 15. v. 163.*

 accinit

m) *Epod.* 7. accinit *Horatius*: (m)

Neq; hic lupis mos, neq; fuit Leonibus
Vnquam, nisi in dispar feris.

n) 3. *Offic. p.* 57. Unde *Cicero* (n) eximie *hominem*, docet, *naturæ obedientem homini nocere non posse.* Prolixiora licet, insignia tamen sunt quæ ex naturæ similitudine, quã solam Gentilis agnovit, in sequentibus disputantur: *Absurdum est, quod quidam dicũt, parenti se aut fratri nihil detracturos, commodi sui causa: aliam rationem esse civium reliquorum. &c. qui autẽ civium rationem dicunt esse habendam, externorum negant: hi dirimunt communem humani generis societatem: qua sublata, beneficentia, liberalitas, bonitas, justitia funditus tollitur: quam qui tollunt, etiam adversus Deos immortales impij judicandi sunt. ab iis enim constitutam inter homines societatem evertunt: cujus societatis arctissimum vinculum est, magis arbitrari esse cõtra naturam, hominem homini detrahere sui commodi causa, quam omnia incõmoda subire vel externa, vel corporis, vel etiam ipsius animi qua vacent justitia.* Certe sicut consensus similium & dissensus dissimilium per universam viget rerum naturam; illaque hoc nomine ad se invicem ferri, hæc vero dissociari cernuntur; ita quoque naturæ similitudo hominem homini, nisi omnem humanitatis sensum excussit, conciliat. Hæc vero qualis sit, eximie rursus à *Cicerone* (o) docetur: *Nihil est unum uni tam simile, tam par, quam omnes*

o) 1. *de LL. p.* 161. *seq.*

inter nosmet ipſos ſumus. Quod ſi depravatio conſuetudinum, ſi opinionum vanitas non imbecillitatem animorum torqueret, & flecteret quocunque cœpiſſet: ſui nemo ipſe tam ſimilis eſſet, quam omnes ſunt omnium. Itaq; quæcunq; eſt hominis definitio, una in omnes valet. Ex hac ſimilitudine hominum non ſolum eorundem colligitur cognatio, ſecundum illud *Platonis*: (p) ὅμοιον τῷ ὁμοίῳ φύσει συγγενές ἐστι, *ſimile ſimili natura cognatum eſt*, ſed & naturalis illorum æqualitas, qua alter alterum non ut canem, ſed ut æque hominem, communisque naturæ participem, h. e. ſibi æqualem æſtimare debet, ne ei id faciat, quod ſibi non vult fieri, ſibique in alios non plus licentiæ eſſe credat, quam viciſſim alios adverſus ſe habere putat. Unde conditionis & ſortis humanæ memores varia & humanitatis & moderationis officia homines & populi ſibi invicem exhibere ſolent. Homo hinc hominem, populumque populus, ſi commode fieri poſſit, ab injuria defendere ſibi licere opinatur.

(p) *Protagor. f.*

§. 45. Datur præterea etiam unio generis humani *externa*. Hanc enim quam modo explicavimus, diſtinctioris doctrinæ ergo *internam* appellare licebit. Illa fluit ex hac, duobusque continetur vinculis, quorum alterum ſunt *pacta*, alterum *vitæ communio*, à benevolentiſſima animi interna propenſione, qua ſe invicem inter quos

actualis unio datur reapse prosequuntur, proveniens. *Hobbes.* (q) tantum pactis tribuit, ut illorum beneficio potissimum sublato belli statu, quem fingit, in unum corpus coivisse homines affirmet: Nos vero hæc non nisi pro vinculo externo conjungendi mortales habemus, cum inter præcepta legis naturalis, quâ interna generis humani unio constituitur, quæque externam hominum vitam dirigit, & hoc sit, ut *pacta servemus*, quo, uti lege naturali omnes consociamur, ita quoque exterius pactis conjungamur, ut si pacta sancte serventur, interiori quoque unione nos sub divino imperio conjunctos esse declaretur. Hæc quid in vita sociali præstent graviter *Isocrates* (r) exponit: *In fœderibus & pactis tanta vis est*, τοσαύτην ἔχουσι δύναμιν, ὥστε τὰ πλεῖστα τοῦ βίου, καὶ τοῖς Ἕλλησι καὶ τοῖς βαρβάροις διὰ συνθηκῶν ἐστί), *ut pleraq; res, tum Græcorum, tum barbarorum. fœderibus transigantur. His enim freti cõvenimus, & mutua commercia agitamus. Per hæc inter nos contrahimus: per hæc cum privatas inimicitias, tum communia bella deponimus.*

q) *de Civ. c. 2. & 3.*

r) *advers. Callimach. p. m. 807.*

§. 46. Cæterum uti de pactis, quæ duas, pluresve conjungunt gentes, dubium nullum est, cum pauci in orbe dentur populi, nisi plane sint barbari, & ab omni humanitate alieni, quibus non cum aliis certæ intercedunt conventiones, ita annon *pactum* aliquod *universale*, quo omnes obligantur

gantur homines, detur? quæri poteſt. Ex hiſtoricis de tali fœdere etſi certo non conſtet, dubium tamen non eſt, primævos illos Noachidas eiusmodi pactum aliquandiu, Noæ potiſſimum opera, penitus non ignoraſſe, quanquam mox, Nimrodo publicam turbante tranquillitatem, rurſum fuerit ruptum. Acta itaque generis humani, itemque gentium, cum de expreſſo eiusmodi pacto univerſali plane ſileant, annon in idem placitum omnium conſenſus, qui mutui vinculi vim habeat, à *poſteriori* inveſtigari poſſit, ut *reipſa* & *facto*, h. e. ut alias loquuntur, *tacite*, eiusmodi commune pactum dari dici queat, ſuo videbimus, Deo annuente, loco. Negari interim nequit, dari nonnulla, in quæ omnes videntur homines conſenſiſſe, qualia ſunt, *defenſio, dominium rerum, imperium*, & alia, quæ tamen nec expreſſo pacto conſtituta ſunt, nec ipſo etiam facto pactum exprimere poſſunt, niſi nexu reciproco in idem placitum conſentientes conſtringant. De Gentium pactis infra erit dicendi locus.

§. 47. Alterum vinculum homines exterius inter ſe conjungens dicimus eſſe *vitæ communionem*, prout hæc à charitate & benevolentia ſociali profecta, non inconvenienti denominatione eius effectus dicitur. Non de ea communione, quæ in minoribus datur ſocietatibus, nec de ea etiã,

quæ in civitate viventes respicit nobis sermo est, de qua sic *Cicero* (s) loquitur: *Multa sunt civibus inter se communia, forum, fama, porticus, via, leges, jura, judicia, suffragia, consuetudines praterea & familiaritates, multaq; cum multis res rationesq; contracta*: sed de communicatione & conversatione cum universo genere humano quæritur, quæ si decens & honesta fuerit, innoxia item, prudenterque atque pie instituta, nihil in se vitii habet. Hinc commerciorum gratia genti licet adire gentes etiam remotissimas, uti priscis temporibus Tyrii, *maria universa, terrasq; simul maritimas & insulas, multiplici negotiatione sua obtinuisse* dicuntur *Fullero* (t); quos post complurium seculorũ intervallum imitati Lusitani, lustrata primum australi Africæ ora, ad Indos tandem Orientis penetrarunt, idem Hispani, Angli, aliique fecerunt, institutis cum in has, tum in alias orbis partes navigationibus mercatoriis, ut ex *navigationibus Hulsianis*, aliisq; constat. A Sinarum Imperatore Batavi, missis Pekingam splẽdidissimis legationibus, commerciorum fœdus nostro tẽpore petere sustinuerunt, cum universum orbem terrarum aliquoties circumnavigassent, omnesque fere, quos adire licuit, populos maritimos, oblata commerciorum vel amicitiæ societate, salutassent. Quid cum Persarum rege, quem *Schach Sefi* nominarunt, Serenissimus Holsatiæ Dux

Fride-

s) 1. *Offic.*

t) *Misc. sacr.* *l.* 4. *c.* 19. *p.* 545.

Fridericus, molitus fuerit, explicat *Olearius*. (u) Magna hinc in celebrioribus orbis emporiis ex omnibus terris confluere solet hominum copia negotiationum ergo. De Amstelodamo *Gerard. Mercator.*(x) ita gloriatur: *In hac urbe stabulantur non solum Itali, Hispani, Lusitani, Britanni, Scoti, Galli, Sarmatæ, Cimbri, Sueci, Norvvegi, Livones, Germani: sed etiam Indi Americani, Orientales, Mauri, aliiq; ex omnibus pæne orbis plagis.* Hispani equidem ex affectato in Indicum Oceanum jure, suæque dominationis arcanis, Belgas fœderatos *à navigatione ad utramq; Indiam abstinere* voluerunt, An. 1608. maximisque animorum motibus hoc controversiæ caput inter utramque gentem agitatum docent *Baudius*,(y)& *Meteranus*.(z) Sed persuasum fuit Belgis bellum potius continuare, quam Indorum opes dimittere, commerciorum libertatem lege naturali omnibus gentibus communem esse contendentibus. Idem A. 1580. in Anglia fuit responsum, cum Hispani legatus *Oceanum Indicum ab Anglis navigari conquestus esset*, apud *Cambden*:(a) *sc. nil obstare, quo minus Oceanum illum vastum libere navigent, cum maris & aëris usus omnibus sit communis. Nec jus in Oceanum populo, aut privato cuipiam possit competere, cum nec natura, nec usus publici ratio occupationem permittat.*

u) *Itin. Moscov. Pers.*

x) *Atlant. Min. p. 319. ad. Berr.*

y) *de Induc. Belg. l. 2. p. 98. seqq. ad l. 3.*

z) *Rer. Belg. l. 28.*

a) *Annal. sub m. 309.*

§. 48. *Hugo Grotius* (b) putat, si populus

b) *I. B. P. II. 2. 22.*

lus aliquis externis promiſcue aliquid permittit, teneri eundem ad concedendum idem omnibus, ita *ut ſi unus populus excludatur, ei fiat injuria.* Verum cum externorum omnium non eadem ſit ratio, ſed alii ſint noti, alii ignoti; alii certæ, alii dubiæ amicitiæ, qui in ejusmodi rebus, quæ non omnibus promiſcue ex præcepto juris naturalis debentur, huic, non illi, aliquid citra ejus injuriam concedere non poſſim? ἢ οὐκ ἔξεσί μοι ποιῆσαι ὃ θέλω ἐν τοῖς ἐμοῖς; εἰ ὁ ὀφθαλμός σου πονηρός ἐστιν, ὅτι ἐγὼ ἀγαθός εἰμι; *annon licet mihi, quod volo facere in rebus meis? an oculus tuus malus eſt, quod ego bonus ſim?* reſpondetur operariis murmurantibus in parabola.(c) Eximie quoq; hæc diſcuſſerunt *Bœclerus*,(d) & *Pufendorfius.* (e) Quando itaque *Franciſcus a Victoria*(f) *ſi quæ ſint apud barbaros cõmunia tam civibus quam hoſpitibus, non licere* exiſtimat *barbaris prohibere Hiſpanos à communicatione, & participatione illorum.* v. g. *ſi licet aliis peregrinis effodere aurum, etiam Hiſpanis licere:* ſimpliciter ita poſitum & dictum ipſis Hiſpanis vix probabitur. Nam non ſolum res ipſa ita comparata eſſe poteſt, ut cum omnibus communicari nequeat; ſed & cum non ſit innoxiæ utilitatis, ut ſatis tuto de ea alii participare non poſſint. Unde ſequitur, quod ad quæ petenda alter jus non habet perfectum, citra etiam injuriam ob quam bellum moveat, eidem denegare ea li-

c) *Matth.* 20.15.
d) *Cõ. Grot. P. II. p. 89. ſeq.*
e) *de I. N. G.* 3.3.14.
f) *Rel. 5. ſect.* 8.

ea liceat; præprimis si illis æque bene carere possit.

§. 49. Nimirum cum homo primo omnium sui, & suorum habeat rationem, huncque ipsa natura amet ordinem, patet hinc, quod si res mea ita sit comparata, ut quando aliis promiscue ad usum patet, exin aliquid periculi mihi exoriri possit, cum ex jure dominii, tum ex propriæ salutis conservandæ studio, illos ab eiusdem usu arcere possim. Quod uti locum habet inter homines in vita privata, ita & inter gentes & populos: Unde non licet populo res alterius gentis eâ invita usurpare. Præcepto quippe Juris naturalis de *abstinendo à re aliena*, non solum alienæ rei occupatio, sed etiam eiusdem usurpatio, & possessio, & si qui alii proprietatis effectus sunt, repugnant. Nam uti tranquillitas vitæ hominum socialis dominia rerum distincta esse voluit, ita & ne quis alterius rebus eo invito uteretur; cum alias parum efficax adversus alios dominium, & quæ ei innititur consociationis humanæ tranquillitas, rerumque proprietas minus secura esset futura, si ad aliorum usum invito domino paterent. Res itaque innoxiæ utilitatis uti vocantur, etsi extraneis non hostibus ad usum permitti soleant; quod si tamen à concesso illarum usu, aliquid detrimenti vel periculi civitati accidere possit, vel ne accidat jure metua-

tur, uti res innoxiæ utilitatis hoc ipso esse desinunt, ita non violat jus naturæ civitas, si vindicata sibi illarum proprietate, earum usum vel limitat, vel ab illo alios excludit. Nec iniquus in jus Domini ille tantum est, illudque lædit, qui damnum aliquod reale infert, sed & qui alterius liberum rerum ipsius moderamen, quatenus est innocens, intercipit. Quanquam vero alter istud tertii arbitrium respectu sui innoxium non esse excipiat, cum illius loca hostis invadere, & inde irreparabilia damna dare possit, melior tamen Domini & possessoris quam invasoris est conditio, qui etiam plus juris ad retinendum, quam alter ad invadendum habet. Unde ex usu omnium seculorum, populorumque *neminem putare*, ait B. Bœclerus, (g) *se teneri ad permittendũ alteri, periculum ab hoste timenti, occupationem loci aut arcis suæ, si impedire possit.* Imo creditur tali si per vim loca tertii invadat, vel hosti in loco pacato tanquam in hostico vel suo eandẽ inferat, à gente pacata vim posse opponi, cum ejus jura tali facto varie lædi cõstet; nisi vel consentiat, vel ex pacto id ea permittere teneatur. Unde cum Angli anno 1665. naves Batavorum Indicas in Norvagiæ portu Bergensi aggressi essent, strenue insultum, non sine invasorum clade, excipiente Alefeldio Præfecto Regio; postmodum inde disceptatione, mox bello exorto, *ex pacto & consensu Daniæ Regis, imo rege invitante*, hoc se fecisse Angli

g) *ad Grot.* II.2.10.

Angli dixerunt, concedentes alias contra Gentium jus esse, *si quis in socij portum pacatum classem mittat, ut ibi illius socios hostili more tractet.*(h) Contra *Orosius Annilo*(i) *Anglos apud Daniæ Regem venia in portum irruendi frustra quæsita, improbis quorundam suggestionibus privatis incensos comitatem Regis Friderici, qua hostium asperitatem lenire volebat. suam licentiam esse interpretatos*, respondit.

h) *Vid. Diar. Europ. P. XIV App. P. III. p* 63.
i) *Differt. de Bell. Dano-Anglic.*

§. 50. Cæterum etsi qui sic inter Gentes superiori jure gaudet, de usu rerum suarum ex jure proprietatis, prout ipsius necessitas, & status ratio vera efflagitat disponere, earumque usu etiam alios excludere possit; sub hoc tamen temperamento id exerceri debet, ut, cum in commodo nostro promovendo etiam aliorum debeamus habere rationem, communisque omnium hominum erga se invicem hæc sit obligatio, ut alter alterius necessitates sublevare teneatur, ab earundem usu, quamdiu intra terminos innoxiæ utilitatis hic continetur, nemo arceatur. *Latissime patens hominibus inter ipsos, omnibus inter omnes, societas hæc est, in qua omnium rerum quas ad communem usum hominum natura genuit, est servanda communitas*, ait *Cicero* (k) Idem rursus: *quicquid sine detrimento potest commodari, id tribuatur cuiq;, vel ignoto.* Quanquam autem qui ea quæ sunt iis utilia, qui accipiunt; danti non molesta, denegatum cæteris ire sustinet, jure

k) 1. *Offic. p.* 11.

rigidus

rigidus & inhumanus dici poſſit, nec obſcure inimicum, ſuique tantùm ſtudioſum animum oſtendat, ni alia tamen urgeat neceſſitas, talem propterea bello non eſſe petendum, cenſuiſſe videtur Gallorum Regis ad Septentrionem pacandum miſſus Legatus *Thuillerius* apud *Bæclerum*, (l) quãdo Wittenio, Hollandico Legato *cunctas*, inquienti, *nationes graviter tuliſſe Danorum in Oreſunda vexationes: Gallos quoque ſæpe eo nomine offenſos*, reſpondit, *injurias tamen, quatenus tanti non viderentur, ut bello vindicari oporteret, toleraſſe.*

l) *Hiſt. Bell. Succo Dan. p. 279.*

§. 51. Conſervatur hæc communio conceſſo *libere commeandi jure*, quo extraneo non hoſti aditus & mora in alienis terris non denegatur, quo facto mutuus metus, qui alias homines diſſociat, non parum minuitur. Dici enim non poteſt, quantum mutua officiorum promtitudo homines ſibi invicem conciliet. Unde nec Hieronymus à Judæo literas Ebræas diſcere, nec Athenis ſtudiorum gratia vivere Gregor. Nazianz. dubitavit. Ab exteris etiam accepta beneficia, perceptamque civilitatem, domi ſolemus prædicare, eorumque memores eſſe. Tam ſancte hinc *jus hoſpitii* priſcis fuit obſervatum, ut hoſpitem peregrinum lædere pro graviſſimo ſcelere fuerit habitum:

Jove

Ἶσον δ' ὅς θ' ἱκέτην ὅς τε ξεῖνον κακὸν ἔρξει
par eſt delictum, ſi quis ſupplicem & hoſpitem malo afficiat,

ſecundum *Heſiodum.* (m) Et Stephanus Ungariæ Rex apud *Bonfinium* (n) ad latrones, qui peregrinos regis ſalutandi cauſa accedentes male tractaverant, *cur*, inquit, *contemptis numinibus & divina lege, præter jus & fas diri graſſatores, hoſpitum ſanguine manus infeciſtis?* capitalique ſupplicio damnatos *ad omnes regni aditus crucibus affigi juſſit, ut liberum peregrinis iter in Pannoniam quondam hoſpitabilem fore omnibus ſignificaret.* Prudentia tamen hic opus eſt, ne quod innoxiæ utilitatis eſſe debet, noceat; quanque enim ξενηλασίαν Spartanorum non probaverim, non tamen *Franciſco à Victoria* (o) ita nude ſubſcribendum eſſe cenſeo, quando *Hiſpanos* contendit *habere jus peregrinandi* in Americanorum *provincias, & illic degendi, ſine tamen aliquo nocumento barbarorum, nec poſſe ab illis prohiberi.* Cum enim non conſtat, amicusne an inimicus hoſpes ſit; num contagii aliquid ſecum ferat nec ne; exploratoremne, an fidelem inquilinum agere velit, in eo recipiendo vel admittendo caute omnino proceditur, ne ſerpentem vel peſtem impudenter foveamus. Inprimis autẽ religionis eſt habenda ratio, ne illis facile locum liberæ & perpetuæ habitationis concedamus, qui religione à nobis diſſident:

m) *Dier. Op.* v. 325.
n) *Rer. Ungar. Dec. II. l.1.f.185.*
o) *Relect.* 5. *ſect.* 3.

dent: quos tamen pellere propterea non licet, si vel pacto & reversalibus territorii Dominus prohibeatur, vel citra totius civitatis concussionem id fieri nequeat. Peregrini vero & incolæ in civitate officium quod sit, tradit *Cicero*:(p) *Nihil sc. præter suum negotium agere; nihil de alio inquirere, minimeq́ in alia Rep. esse curiosum.*

p) 1. *Offic.*

§. 52. Ad hanc vitæ communionem pertinent *connubia inter personas* diversarum gentium. Duplicia hæc sunt, vel inter personas *privatas*, vel inter *Illustres*, genus & sanguinem miscentes. Vinculum pacis illa amant esse, ceu ex amore profecta; nec interneciva adversus gentem odia fovenda sunt, ex qua ad intimam & suavissimam vitæ consuetudinem sociam eligimus, impii in consanguineos, & maxime affines futuri. Unde ut denegata exteris connubia bellum, ita concessa pacem conciliarunt. Cambyses Amasi Ægyptio bellum intulit ob denegatas, juste licet, filiæ ipsius nuptias, *Herodoto* (q) teste; cum apud Romanos cum Sabinis in foro pugnantes Sabinæ mulieres, Romanorum uxores, *quarum ex injuria bellum ortum erat, crinibus sparsis scissaq́ veste, victo malis muliebri pavore, ausæ se inter tela volantia inferre*, ut *Livius* (r) tradit, *non pacem modo, sed & civitatem unam ex duabus facerent.* Hac mente, ut cum Alexandro in gratiam rediret Darius, nuptias filiæ cum amplissima ei dote obtulit apud

q) *l. 3. ab init.*

r) 1. *Hist. Rom.*

Cur-

Curtium. (s) Unde Pimentellus ab Hispa- s) 4. 5. 5. 4. 11. 5.
no Rege Philippo IV. ad pacem cum Ludo-
vico XIV. Galliarum Rege stabiliendam
missus An. 1658. eius *auspicia ab Infanta ma-*
trimonio cum rege Galliarum desumendum cen-
suit; cum, uti *Viliottus* (t) loquitur, *ab animis* t) *Var. Europ. Event. Addit. p. 15.*
tali vinculo nexis immensa res, & tractatu dura
molliri facile posse viderentur. Gratulamur-
que hoc nomine Septentrioni, non redinte-
gratæ pacis tantum, sed & coniugali fœ-
dere feliciter unito. Spectat huc illud Lyci
apud *Senecam*: (u) u) *Hercul. Fur. v. 34.*

alieno in loco
haud stabile regnum est, una sed nostras potest
Fundare vires, juncta regali face
Thalamisq; Megara.

§. 55. Cæterum hanc matrimonio-
rum inter gentes libertatem, cum morum,
tum religionis dissensus multum coar-
ctat, dissuadetque. Nam etsi matrimo-
nia cum infidelibus & barbaris contracta
non dirimenda sint Christianis, cum inter
ejusmodi personas contractui conjugali
per se sua satis firmitas constet, infide-
litas etiam ipsi formæ & essentiæ conju-
gii non repugnet, nec eiusmodi matrimo-
niorum exempla desint: Ita enim Clodil-
dis Christiana nupsit Clodovæo Franco-
rum regi Ethnico apud *Gregor. Turonensem*; (x) x) *l. 2. c. 18.*
recte tamen ea legibus tam civilibus quam
Ecclesiasticis ne promiscue ineantur pro-
hibentur; *Tertulliano* etiam, *Cypriano*, *Au-*
gustino

y) l. 1. de Abraham.

gustino improbata. Bene *Ambrosius* (y) *cum sancto*, inquit, *sanctus eris, & cum perverso perverteris, si hoc in aliis, quanto magis in conjugio, ubi una caro, & unus spiritus est? quomodo autem potest congruere charitas, si discrepet fides, & ideo cave Christiane gentili aut Iudaeo filiam tuam tradere, cave gentilem aut Iudaeam atq; alienigenam h. e. haereticam & rem alienam à fide uxorem tibi accersas.*

§ 54. Sed quid si vicinæ gentes barbaræ & infideles à fideli & moratiore connubia petant? quin, quemadmodum illæ ambiendi & contrahendi matrimonia apud alios populos facultatem & libertatem habent, ita hi vicissim, si ista conjugia non è re sua esse, nec satis commode & pie contrahi vident, libertatem & facultatem denegandi habeant, dubio caret. Liber enim consensus connubialis esse debet, & si tales proci sunt mores, ut moratior ab illis sponta abhorreat, durum est & inhumanum ad nuptias sibi minimè gratas planè invitam cogere; siq; etiam à superiori potestate fuerit tali barbaro tradita, rectius illius pudicitiæ vis inferri, quam eidem consuli dicitur, nisi superveniente consensu tandem annuerit. Affectus enim conjugalis erga hanc vel illam personã, cum spontaneus potius, quam coactus esse malit, imo cogi non possit, ceu à libero voluntatis excercitio non simpliciter dependens, imperio quoque civili simpliciter non est obnoxius.

§. 55.

§. 55 Quod si vero non aliunde, quam à nobis, istam virginibus destitutam virorum manum mulieres ad connubia petere posse fingamus, quin illis & tum juste eadem denegentur, sub conditione tamen, *donec Christianam religionem professi, barbariem exuerent, & genus vitæ scelestum civilibus & honestis institutis commutarent*, cum B. *Bœclero* (z) dubium nobis non est. Justas proin Amasis Ægyptius filiam Cambysi Persæ abnuendi causas habuit, cum, memorante *Herodoto* (a), *eum non habiturum illam uxoris loco, sed pellicis, intelligeret*; etsi dolum quo Cambysi imposuit, æque non probaverim, atq; si repulsæ verborum adduntur contumeliæ. Fœminarum autem raptus frequens licet olim fuerit, ut ex *Herodoto* (b) constat, pro injuria tamen semper fuit habitus. Et quanquam cœlebs ideo quod in cœlibatu vivere non possit, cæteris matrimonii libertatem inhumane denegantibus, (etsi talis casus vix dari possit) vi fœminam rapiat, minime tamen factum hoc defendi potest præscriptione juris & directa via; *injustè enim facit*, ut *Felden* (c) loquitur, *qui quod ex amicitia proficisci debebat, vi acquirit.* Excusationem humanæ infirmitatis prætendere licet, ob quam affectui & necessitati, si vere talis, propter aliorum inhumanitatem, aliquid condonandum. De casu, quando civis nostræ nuptiæ sic petuntur sub denuntiatione belli, egit *Pufendorf.* (d)

z) *Comm. Grot. P. II. p. 88.*

a) *l. 3. Hist. sub init.*

b) *l. 1. sub init.*

c) *Not. in Grot. II. 2. 21.*

d) *Diss. Sel. p. 45.*

§. 56. Pudendum, non prætextu necessitatis excusandum, pactum fuit Mauregati Asturum Regis, quinquaginta nobiles puellas, totidemque plebei generis, Arabum libidini, *veluti tributum annuũ*, exponentis; cum ad impia & scelerata se adigi nemo pati debeat, ullo necessitatis prætextu.

§. 57. Licet vero inter gentes connubiorum communio detur, genusque & sanguinem cum externis tam privatæ, quam illustres personæ, & populorum Reges miscere soleant, qua tamen mente id fiat potissimum, & quomodo non idem animorum habitus sit, eleganti stylo notavit *Barclajus* (e): *Privatorum est eligere matrimonia ex amicitiæ affectu, & morum concordia. Nobis* (Regibus) *illa suavitas exuenda. Regum enim fortuna est, ut nunc indignos & exosos per sanctissima fœdera sibi conjungant, nunc omnium nexuum jura, omnisq; sanguinis charitatem inhumana necessitas negligat. Charissimus esse solet, qui utilitate præcipua potentiam nostram alit, & affinitates pulcherrimæ censentur, quæcunque regnum stabiliunt. Scio à regibus sæpe filias aut sorores spargi in eos, quos fallere amicitiæ specie volunt, aut ad tempus placare, nihilq; deinde sui sanguinis pignoribus, nihil nominum, quæ mutuo inierunt, reverentia motos pacem & bella ex temporum & fortunæ æstimare ingenio.* Commentarii instar esse possunt, quæ huc pertinentia passim tradunt Clarissimi Scriptores *Thuanus* & *Grammondus*.

(e) *l. 3. Argen. p. m. 318*

§. 58.

§. 58. Fovetur, & conſervatur hæc hominum & gentium inter ſe communio per uſum *curſuum publicorum.* Antiquiſſimum hunc eſſe, Cyroque & Xerxi uſurpatum, ex *Xenophonte* & *Herodoto* obſervant. Idem fecerunt Græci, Romani, celebraturque Auguſtus *Suetonio* (f) hoc nomine, quod *quo celerius, ac ſub manum annuntiari cognoſciq; poſſet, quid in provincia quaq; gereretur, juvenes primo modicis intervallis per militares vias, dehinc vehicula diſpoſuerit: quodque commodius id viſum ſit fuerit, ut qui à loco eidem perferrent literas, interrogari quoque, ſi quid res exigerent, poſſent.* Mentionem *Cæſar* (g) facit *nuncij per equos diſpoſitos allati*; quod de aliis Romani Imperii Principibus contra *Orlandum Malavoltam* defendit & probat *Forſtnerus* (h). In Gallia id ante inauditum inſtituit, *Comineo* (i) autore, Ludovicus XI. Hodie non ſolum univerſus Orbis Chriſtianus, ubi bellum non obſtat, imo & belli tempore, beneficio ejuſmodi curſuum publicorum inter ſe communicat; ſed & in ampliſſimo Turcarum imperio *Ulacides* veloci curſu mandata Sultani expediunt, & quid ubivis rerum geratur eidem nuntiant. Quo communionis inter homines conſervandæ medio uti vita hominum ſocialis carere neſcit, ita ob ejus inſignem neceſſitatem & uſum, & ut decenti ordine omnia gerantur, nec ex promiſcua ejus uſurpatione tranquillitas

f) *Aug. c. 49*

g) *3. de B. C.*

h) *Not. in Ta. P. I. p. 112*

i) *Com. l. 8. init.*

gene-

rigidus & inhumanus dici possit, nec obscure inimicum, suique tantùm studiosum animum ostendat, ni alia tamen urgeat necessitas, talem propterea bello non esse petendum, censuisse videtur Gallorum Regis ad Septentrionem pacandum missus Legatus *Thuillerius* apud *Bæclerum*, (l) quādo Wittenio, Hollandico Legato *cunctas*, inquienti, *nationes graviter tulisse Danorum in Oresunda vexationes: Gallos quoque sæpe eo nomine offensos*, respondit, *injurias tamen, quatenus tanti non viderentur, ut bello vindicari oporteret, tolerasse.*

l) *Hist. Belli Sueco Dan.* p. 279.

§. 51. Conservatur hæc communio concesso *libere commeandi jure*, quo extraneo non hosti aditus & mora in alienis terris non denegatur, quo facto mutuus metus, qui alias homines dissociat, non parum minuitur. Dici enim non potest, quantum mutua officiorum promtitudo homines sibi invicem conciliet. Unde nec Hieronymus à Judæo literas Ebræas discere, nec Athenis studiorum gratia vivere Gregor. Nazianz. dubitavit. Ab exteris etiam accepta beneficia, perceptamque civilitatem, domi solemus prædicare, eorumque memores esse. Tam sanctè hinc *jus hospitii* priscis fuit observatum, ut hospitem peregrinum lædere pro gravissimo scelere fuerit habitum:

Iove

Ἶσον δ' ὅς θ' ἱκέτην ὅς τε ξεῖνον κακὸν ἔρξει
par est delictum, si quis supplicem & hospitem malo afficiat,

ſecundum *Heſiodum.* (m) Et Stephanus Un m) *Dier. Op.* v. 325.
gariæ Rex apud *Bonfinium* (n) ad latrones, n) *Rer. Ungar. Dec. II. l. 1. f. 185.*
qui peregrinos regis ſalutandi cauſa acce-
dentes male tractaverant, *cur*, inquit, *con*
temptis numinibus & divina lege, præter jus &
fas diri graſſatores, hoſpitum ſanguine manus
infeciſtis? capitalique ſupplicio damnatos
ad omnes regni aditus crucibus affigi juſſit, ut
liberum peregrinis iter in Pannoniam quondam
hoſpitabilem fore omnibus ſignificaret. Pru-
dentia tamen hic opus eſt, ne quod innoxiæ
utilitatis eſſe debet, noceat; quanque enim
ξενηλασίαν Spartanorum non probaverim,
non tamen *Franciſco à Victoria* (o) ita nude o) *Relect. 5. ſect. 3.*
ſubſcribendum eſſe cenſeo, quando *Hiſpa-*
nos contendit *habere jus peregrinandi* in Ame-
ricanorum *provincias, & illic degendi, ſine ta-*
men aliquo nocumento barbarorum, nec poſſe ab
illis prohiberi. Cum enim non conſtat, ami-
cus ne an inimicus hoſpes ſit; num conta-
gii aliquid ſecum ferat nec ne; explorato-
remne, an fidelem inquilinum agere velit,
in eo recipiendo vel admittendo caute
omnino proceditur, ne ſerpentem vel pe-
ſtem impudenter foveamus. Inprimis autẽ
religionis eſt habenda ratio, ne illis facile
locum liberæ & perpetuæ habitationis
concedamus, qui religione à nobis diffi-
dent:

dent: quos tamen pellere propterea non licet, si vel pacto & reversalibus territorii Dominus prohibeatur, vel citra totius civitatis concussionem id fieri nequeat. Peregrini vero & incolæ in civitate officium quod sit, tradit *Cicero*:(p) *Nihil sc. præter suum negotium agere; nihil de alio inquirere, minimeq; in alia Rep. esse curiosum.*

p) 1. *Offic.*

§. 52. Ad hanc vitæ communionem pertinent *connubia inter personas* diversarum gentium. Duplicia hæc sunt, vel inter personas *privatas*, vel inter *Illustres*, genus & sanguinem miscentes. Vinculum pacis illa amant esse, ceu ex amore profecta; nec interneciva adversus gentem odia fovenda sunt, ex qua ad intimam & suavissimam vitæ consuetudinem sociam eligimus, impii in consanguineos, & maxime affines futuri. Unde ut denegata exteris connubia bellum, ita concessa pacem conciliarunt. Cambyses Amasi Ægyptio bellum intulit ob denegatas, juste licet, filiæ ipsius nuptias, *Herodoto* (q) teste; cum apud Romanos cum Sabinis in foro pugnantes Sabinæ mulieres, Romanorum uxores, *quarum ex injuria bellum ortum erat, crinibus sparsis scissaq; veste, victo malis muliebri pavore, ausæ se inter tela volantia inferre*, ut *Livius* (r) tradit, *non pacem modo, sed & civitatem unam ex duabus facerent.* Hac mente, ut cum Alexandro in gratiam rediret Darius, nuptias filiæ cum amplissima ei dote obtulit apud Cur-

q) *l. 3. ab init.*

r) 1 *Hist. Rom.*

Curtium. (s) Unde Pimentellus ab Hiſpano Rege Philippo IV. ad pacem cum Ludovico XIV. Galliarum Rege ſtabiliendam miſſus An. 1658. eius *auſpicia ab Infanta matrimonio cum rege Galliarum deſumendum* cenſuit; cum, uti *Viliottus* (t) loquitur, *ab animis tali vinculo nexis immenſa res, & tractatu dura molliri facile poſſe viderentur.* Gratulamurque hoc nomine Septentrioni, non redintegratæ pacis tantum, ſed & coniugali fœdere feliciter unito. Spectat huc illud Lyci apud *Senecam*: (u)

s) 4. 5. 5. 4. 11. 5.

t) *Var. Europ. Event. Addit. p. 15.*

u) *Hercul. Fur. v. 34.*

alieno in loco
haud ſtabile regnum eſt, una ſed noſtras poteſt
Fundare vires, juncta regali face
Thalamisq; Megara.

§. 53. Cæterum hanc matrimoniorum inter gentes libertatem, cum morum, tum religionis diſſenſus multum coarctat, diſſuadetque. Nam etſi matrimonia cum infidelibus & barbaris contracta non dirimenda ſint Chriſtianis, cum inter ejusmodi perſonas contractui conjugali per ſe ſua ſatis firmitas conſtet, infidelitas etiam ipſi formæ & eſſentiæ conjugii non repugnet, nec eiusmodi matrimoniorum exempla deſint: Ita enim Clodildis Chriſtiana nupſit Clodovæo Francorum regi Ethnico apud *Gregor. Turonenſem*; (x) recte tamen ea legibus tam civilibus quam Eccleſiaſticis ne promiſcue ineantur prohibentur; *Tertulliano* etiam, *Cypriano*, *Au-*

x) *l. 2. c. 18.*

guſtino

(y) l. 1. de Abraham.

gustino improbata. Bene *Ambrosius* (y) *cum sancto*, inquit, *sanctus eris, & cum perverso perverteris, si hoc in aliis, quanto magis in conjugio, ubi una caro, & unus spiritus est? quomodo autem potest congruere charitas, si discrepet fides, & ideo cave Christiane gentili aut Iudaeo filiam tuam tradere, cave gentilem aut Iudaeam atq; alienigenam h. e. haereticam & rem alienam à fide uxorem tibi accersas.*

§ 54. Sed quid si vicinae gentes barbarae & infideles à fideli & moratiore connubia petant? quin, quemadmodum illae ambiendi & contrahendi matrimonia apud alios populos facultatem & libertatem habent, ita hi vicissim, si ista conjugia non è re sua esse, nec satis commode & pie contrahi vident, libertatem & facultatem denegandi habeant, dubio caret. Liber enim consensus connubialis esse debet, & si tales proci sunt mores, ut moratior ab illis sponsa abhorreat, durum est & inhumanum ad nuptias sibi minimè gratas planè invitam cogere; siq; etiam à superiori potestate fuerit tali barbaro tradita, rectius illius pudicitiae vis inferri, quam eidem consuli dicitur, nisi superveniente consensu tandem annuerit. Affectus enim conjugalis erga hanc vel illam personã, cum spontaneus potius, quam coactus esse malit, imo cogi non possit, seu à libero voluntatis excercitio non simpliciter dependens, imperio quoque civili simpliciter non est obnoxius.

§. 55.

§. 55 Quod si vero non aliunde, quam à nobis, istam virginibus destitutam virorum manum mulieres ad connubia petere posse fingamus, quin illis & tum juste eædem denegentur, sub conditione tamen, *donec Christianam religionem professi, barbariem exuerent, & genus vitæ scelestum civilibus & honestis institutis commutarent*, cum B. *Bœclero* (z) dubium nobis non est. Justas proin Amasis Ægyptius filiam Cambysi Persæ abnuendi causas habuit, cum, memorante *Herodoto* (a), *eum non habiturum illam uxoris loco, sed pellicis, intelligeret*; etsi dolum quo Cambysi imposuit, æque non probaverim, atq; si repulsæ verborum adduntur contumeliæ. Fœminarum autem raptus frequens licet olim fuerit, ut ex *Herodoto* (b) constat, pro injuria tamen semper fuit habitus. Et quanquam cœlebs ideo quod in cœlibatu vivere non possit, cæteris matrimonii libertatem inhumane denegantibus, (etsi talis casus vix dari possit) vi fœminam rapiat, minime tamen factum hoc defendi potest præscriptione juris & directa via; *injustè enim facit*, ut *Felden* (c) loquitur, *qui quod ex amicitia proficisci debebat, vi acquirit.* Excusationem humanæ infirmitatis prætendere licet, ob quam affectui & necessitati, si vere talis, propter aliorum inhumanitatem, aliquid condonandum. De casu, quando civis nostræ nuptiæ sic petuntur sub denuntiatione belli, egit *Pufendorf.* (d)

z) *Comm. Grot. P. II. p.* 88.

a) *l. 3. Hist. sub init.*

b) *l. 1. sub init.*

c) *Not. in Grot. II, 2.* 21.

d) *Diss. Sel. p.* 45.

§. 56. Pudendum, non prætextu necessitatis excusandum, pactum fuit Mauregati Asturum Regis, quinquaginta nobiles puellas, totidemque plebei generis, Arabum libidini, *veluti tributum annuũ*, exponentis; cum ad impia & scelerata se adigi nemo pati debeat, ullo necessitatis prætextu.

§. 57. Licet vero inter gentes connubiorum communio detur, genusque & sanguinem cum externis tam privatæ, quam illustres personæ, & populorum Reges miscere soleant, qua tamen mente id fiat potissimum, & quomodo non idem animorum habitus sit, eleganti stylo notavit *Barclajus* (e): *Privatorum est eligere matrimonia ex amicitia affectu, & morum concordia. Nobis* (Regibus) *illa suavitas exuenda. Regum enim fortuna est, ut nunc indignos & exosos per sanctissima fœdera sibi conjungant, nunc omnium nexuum jura, omniuq; sanguinis charitatem inhumana necessitas negligat. Charissimus esse soles, qui utilitate præcipua potentiam nostram alit, & affinitates pulcherrimæ censentur, quæcunque regnum stabiliunt. Scio à regibus sæpe filias aut sorores spargi in eos, quos fallere amicitiæ specie volunt, aut ad tempus placare, nihilq; deinde sui sanguinis pignoribus, nihil nominum, quæ mutuo inierunt, reverentia motos pacem & bella ex temporum & fortunæ æstimare ingenio.* Commentarii instar esse possunt, quæ huc pertinentia passim tradunt Clarissimi Scriptores *Thuanus* & *Grammondus*.

(e) *l.3. Argen. p.m. 318*

§. 58.

§. 58. Fovetur, & conservatur hæc hominum & gentium inter se communio per usum *cursuum publicorum.* Antiquissimum hunc esse, Cyroque & Xerxi usurpatum, ex *Xenophonte* & *Herodoto* observant. Idem fecerunt Græci, Romani, celebraturque Augustus *Suetonio* (f) hoc nomine, quod *quo celerius, ac sub manum annuntiari cognoscique posset, quid in provincia quaq; gereretur, juvenes primo modicis intervallis per militares vias, dehinc vehicula disposuerit: quodque commodius id visum si fuerit, ut qui à loco eidem perferrent literas, interrogari quoque, si quid res exigerent, possent.* Mentionem *Cæsar* (g) facit *nuncii per equos dispositos allati*; quod de aliis Romani Imperii Principibus contra *Orlandum Malavoltam* defendit & probat *Forstnerus* (h). In Gallia id ante inauditum instituit, *Cominæo* (i) autore, Ludovicus XI. Hodie non solum universus Orbis Christianus, ubi bellum non obstat, imo & belli tempore, beneficio ejusmodi cursuum publicorum inter se communicat; sed & in amplissimo Turcarum Imperio *Vlacides* veloci cursu mandata Sultani expediunt, & quid ubivis rerum geratur eidem nuntiant. Quo communionis inter homines conservandæ medio uti vita hominum socialis carere nescit, ita ob ejus insignem necessitatem & usum, & ut decenti ordine omnia gerantur, nec ex promiscua ejus usurpatione tranquillitas

f) *Aug. c. 49*

g) *3. de B. C.*

h) *Not. in Ta. P. I. p. 112*

i) *Com. l. 8. init.*

G 2 genes-

generis humani aliquid detrimenti caperet, merito jus cursuum publicorum ab illis qui supremo inter homines gaudent imperio sibi vindicatur.

§. 59. Ex hac universali humani generis societate *Pax* quoque fluit *universalis*, cum omnibus hominibus, quantum per illos licet, exercenda; quæ hinc resultat, si homines sibi invicem secundum legem naturalem, quæ est commune generis humani vinculum, quæ debent promte præstent. Præcipua pacis hujus officia sunt: Unicuique secundum justitiam universalem suum tribuere; Neminem lædere; & quæ exoriuntur controversias amice transigere. Abesse proin jubemus Statum belli Universalis, *omnium contra omnes, quod statui hominum naturaliter adhærere Hobbes.* (k) existimavit; cum enim generis humani interitum respiciat, non potest non ei esse inconveniens. Socialis est hominum vita, quæ sine sociorum concordia stare nescit.

Pax optima rerum
quas homini novisse datū est, Pax una triumphis
innumeris potior. Pax custodire salutem
Et cives æquare potens:

rectè *Silius* (l) canit. Quare cum non solum homines, si suæ naturæ quæ rationalis & socialis est convenienter vivere velint, hoc ipso quia homines sunt, ex naturæ suæ conditione ad pacem cum quovis servandam obli-

k) *de Civ.* 1.

l) *XI.* v. 594.

obligentur, sed etiam lex naturæ eandem præcipiat, manifestum hinc est, obligationem hanc perpetuam, & æque immutabilem esse, atq; natura humana mutari nescit, vel lex ipsa naturalis est imutabilis; ut proin *Fernand. Vasquius* (m) multũ aberraverit, *posset*, inquiẽs, *Deus mentes hominum hac imbuere opinione, hancq; legem facere, ut hominem homini insidiari, aut necem inferre, vel quovis modo nocere fas non esset, non magis quam pecudes, armenta, feras, volucres, vel squameam turbam interficere.* Unde si per alterius injurias pax abrumpitur, ita ut exoriatur bellum, fiatque humanæ societatis dissolutio, non tamen ipsum vinculum, quo in societatem universalem consociamur, solutum in se, quod fieri nunquam potest, censeri debet. Etsi enim obligatio ad pacem colendam cum quovis homine mutua sit, ut proin vim vi legitimè opponere possimus, usus tamen belli non nisi subsidiarius est, eoque tantum nomine bella geruntur, ut id quod in vita sociali cuilibet debetur parti, obtineatur, tranquillaque sit & pacata humani generis societas. Relinquitur hinc, non solum propter pacem bellum gerendum esse, bellaque gerentes, ad priorem concordiam, ubi primum propriæ salutis ratio admittit, redire debere, quod prolixius *Alberic. Gentili* (n) explicatur; verum etiam statu belli non omnia dissolvi jura humana, sed illorum exerci-

m) *Controv. Illustr.* 1. 27. 9.

n) *de I. B. lib.* 1.

ercitium ad tempus ſuſpendi; nec omnem humanitatis tolli communionem, ſed illa tantum quieſcere ad tẽpus officia, quorum exercitiũ cum fine belli cõponi nequit. Quare cum non ob religionis, vel morũ diſſenſum, quatenus alter illo civiliter nõ læditur, bellum geratur, nec illo vinculum primævæ & univerſalis cõſociationis rumpatur, ſequitur hinc, quod licet alii ſint morati, alii barbari, alii etiam ſacris ſuis, & circa religionis capita ſenſu diverſo à nobis diſcrepent, nec in illos, nec in iſtos, hoc præprimis nomine ſævire liceat, uti rectè etiam *Ciceroni* (o) viſum fuit.

o) l.3. ad Q. Frat. Epiſt. l.1. Ep.1.

§. 60. Colligitur hinc, inter belligerantes omnia juris commercia non ſolum non eſſe ſublata; ſed nec illam partem, quæ prior pacem abrupit, omne illud alteri remiſiſſe parti, quicquid ab illa alias per jura naturæ poſtulare poterat, cum id ratio conſociationis univerſalis non ferat, cujus habitus ſemper manet, ceſſet licet nonnunquam, quando ſcil. alter ſocialiter mecum non vult vivere, ejus actus, ſuſpendaturque ad tempus. Et qui non caſus dari poſſit, ubi victus crudeli & impotenti victori, qui in vindicanda injuria nullam humanitatis & æquitatis habet rationem, objiciat: *Hoc non commerui, peccaverim licet. Cicero*(p) ſane *Aelianus*, (q) *Valerius Maximus*, (r) ceu crudele improbant factum Athenienſium

p) 3. Off. p. 61.
q) Var. hiſt. 2.
r) l. 9. 2. Ext. 8.

sium, *bello captis dextrum pollicem præciden-tium*, ὅπως δόρυ μὲν φέρειν μὴ δύνωνται, κώπην δ' ἐλαύνωσι, *quo lanceam ferre non possent, remigare possent*, uti refert *Plutarchus*(s). Promta autem his foret sui facti ratio: si hostes per jus naturæ nihil à se invicé amplius postulare posset, sublato inter eos omni juris commercio. s) *T.I. Lys. f.438.*

§. 61. Quod vero attinet facultatem bellum gerendi, & vim alteri, qui me lædit, opponendi in infinitum, putat *Grotius* (t), *qui me injuria parat afficere, eum mibi eo ipso dare jus, hoc est facultatem quandam moralem adversus se in infinitum; quatenus aliter malum illud à me arcere nequeo.* Quanquam enim hoc verum sit, quod is qui mihi injuriam intulit, non mihi defensionis meæ instituendæ modũ præscribere possit, loquendo de mediis jure naturali & divino concessis, & fini consequendo proportionatis; nõ tamen sequitur, licentiam hancce meam adversus illum per se in infinitum se extendere, quod nullum amplius habeat jus adversus me, quo minus extrema quæque à me expectare possit, cum hæc non quævis commereatur injuria. Et si propter pecora abacta tantum, vel nonnullas incensas domos, totum eius, qui hoc damnum dedit, regnum vastetur, quin hic jure de hostis iniquitate & crudelitate queri possit, dubium non est. Quis enim negaverit, uti alibi, ita quoque in bello excessum esse injustum? Cumque me- t) *I.B.P.II. 1.10.*

 ritum,

ritum, ob quod delinquens bello affligitur, non sit infinitum, sed secundum proportionem corrigi & vindicari possit, eandem etiam justitia vindicativa, ex qua bellum infertur, quæque naturalis est, in puniendo & vindicando servari præcipit. Quod si tamen asperiora media maior, vel crescens hostium ferocia provocet, quin & illis tum uti liceat, dubium non est.

§. 62. Cognosci hinc potest, quænam vera *Belli ratio* sit, & quid per illam contra hostes liceat. Multa equidem fœde, & crudeliter inter belligerantes gesta excusantur ceu ex ratione belli gesta, sed non citra tituli huius abusionem. Quanquam enim ea belli haud raro facies, rerumq; gerendarũ ratio sit, vel quoad certum statum belli, *vel quoad ejusdem peculiare momentum, vel quoad casus, tempora, eventusq; occurrentes aut concurrentes, ut extraordinaria & subsidiaria* quadam ratione *fortiter aut solerter*, uti B. Bœcleri(u) nostri verbis utamur, ad finem belli talia adhibeantur, quæ alias absque talibus circumstantiis pro justo licitoque non censentur; nunquam tamen ipsum vinculum quo in societatem universalem naturaliter consociamur, vel solutum, vel solvi posse quoad habitum censeri debet, suspendatur licet ex belli ratione eius exercitium quoad plura vel pauciora officia, adhibeanturq; etiam ob præsentẽ necessitatem rigidiora

u) *ad Hippol. à Lap. p. 9.*

diora media, quam alias fieri solet. Vera deinde hæc, non ficta debet esse necessitas, ex statu & conditione belli prudenter æstimata, in quam ab ipso hoste pertinaciter jus nobis debitum denegante, ob eius ferociam, vel per alias eiusdem actiones bellicas, vel alio etiam casu sumus conjecti, ut his, & non aliis mediis ad finem legitimum partem læsam pervenire posse certum sit, cum belli ratio minime pro facultate in infinitum sæviendi, absq; omni humanitate, haberi debeat, Uti enim jure ordinario nō omnia licent in hostem, ita quoque jure extraordinario, quando scil. necessitas urget extraordinaria, extraordinaria quoque media permissa sunt, ne fine quem altera pars juste intendit excidat, modo media ista rigidiora, ex saniori prudentiæ bellicæ dictamine sint adæquata, quando nimirum ea belli est indoles, ut finis vel universalis, vel etiam particularis & subordinatus, hoc medio & tutissime & certissime obtineatur. Quo nomine merito improbatur, quod *Artaxata* à Romanis *ignis immissus, deletaq; & solo adæquata sunt*, quod *Tacito* (x) autore, *nec teneri poterant, sine valido præsidio, ob magnitudinem mœnium*, nec id victori virium erat, ut præsidio firmaret. Hæc enim extrema belli, qualis tum erat, status & ratio non requirebāt, eximiè id docente *Forstnero* (y). Humanius Carolus M. ex eadem fere ratione Cæsar Augustam,

x) *XIII. Annal.* 41.3.

y) *in Tacit.* c.p.253.

gustam, veterum Numantiam in Hispania, in deditionem cum accepisset, *ne rebellare*
z) *Annal. l. 4. f.* 243. *posset, mœnia ejus*, ut *Aventinus* (z) refert, *dirui jussit*. Otto quoque II. Cæs. cum *Bathaviam* Bojorum recepisset, mœnia, *ne posthac*
a) *Annal. l. 5. f.* 396. *forent receptaculo hostibus*, eodem (a) teste *solo æquavit*. Sic denique oportet ex ratione belli ad certum finem directa media esse comparata, ne peccent contra præcepta juris universalis, quatenus sc. eius exercitium in bello tolli nec debet, nec potest: cum & alias ex ratione belli nō armis tantum, sed & perfidia in hostem grassari liceret.

§. 63. Cæterum hæc totius humani generis consociatio, & societas universalis, etsi ratione vinculi, & *habitualiter* considerata, perpetua sit, non uno tamen nomine imperfecta est, varieque concutitur; imo si exercitium spectes, nonnunquam penitus introductâ vitâ dissociali abrumpitur, & magna ex parte tollitur. Multum sane *Imperfectionis* huic universali generis humani societati adhæret ex sociorum, h. e. hominum malitia, cum ex imbecillitate intellectus, qua in judicando sæpe decipitur, id pro bono & honesto habendo, quod ab omni honesti & boni regula penitus aberrat; Sa-
b) 14. *Hist. c.* 13. pienter *Polybius* (b) ἔστι, inquit, δ᾽ ὅτι κατὰ τὴν ἰδίαν φύσιν ἄνθρωποι, ποτὲ μὲν ἐπὶ τὸ δέον ὁρμῶσι, ποτὲ δ᾽ ἐπὶ τοὐναντίον, *suapte natura homines interdum modo ad salubria inclinant consilia, modo*

ad

ad contraria; tum ex appetitus utriusque & affectuum ferocia exorta, qua feritati, sævitiæ, libidini, ambitioni se permittentes, cædibus & rapinis in alios grassantur, ita ut sævissimus homini homo hostis sit. *Cōsidera,* inquit *Seneca* (c) *quæ sint, quæ hominem in hominum perniciem instigent: invenies spem, invidiam, odium, metum, contemptum.* Audiunturque quotidie de rabie, ira, furore & immanitate hominum in homines querelæ, quorum genus φαυλότερον τῶν ἀλόγων esse scripsit supra laudat⁹ *Polybius*: (d) τὰ μὲν γὰρ ἄλλα ζῶα ταῖς τοῦ σώματος ἐπιθυμίαις αὐταῖς δουλεύοντα, διὰ μόνας ταύτας σφάλλεται· τὸ δὲ τῶν ἀνθρώπων γένος καὶ προσδοξοποιούμενον, οὐχ ἧττον διὰ τὴν ἀλογιστίαν, ἢ διὰ τὴν φύσιν ἁμαρτάνει, *nam cæteræ animantes, quæ solis cupiditatibus corporis serviunt, per has duntaxat in fraudem labuntur: at humanum genus hoc amplius adscitis imbutum opinionibus, non pauciora per inconsiderantiam & pravam ratiocinationem peccat, quam per naturam.*

c) *Ep.* 105.

d) *Hist.* l. 17. c. 13.

§. 64. Nec inter privatos tantum talia contingunt, sed & integras gentes & populos in se invicem variis de causis consurgere, orbisque quietem atrocissimis bellis concutere & turbare videmus, ita *ut tantum bellorum per omnia secula terris omnibus continuetur*, ut, censente ita *Iustino*, (e) *plus hominum ferrum & arma, quam naturalis fatorum conditio rapiat.* Et quanquam vel induciis initis, vel pace constituta, utrinque ab armis

e) 2. 2. 12.

cessent

cessent belligerantes, perpetuæ tamen gliscunt inter *gentes æmulationes*, odia, & inimicitiæ sæpe numero internecivæ, quas inter diversas intercedere gentes mirum non est, cum inter ejusdem gentis homines funestissima incendant æmulationes certamina, ut de Græciæ civitatibus hoc testatur *Herodianus* (f) & *Justinus* (g). Recte *Plinius* (h) *nihil*, inquit, *est tam pronum ad simultates, quam æmulatio, quæ alitur æqualitate, exardescit invidia, cujus finis odium est.* Æmulatione incensum Attilam, *primas mundi gentes Romanos, Vesegothasq; subdere peroptasse*, *Iornandes* (i) autor est: & ut vetera mittamus exempla, *Anglis omnibus quandam animi incitationem & alacritatem naturaliter innatam bellum in Galliam inferendi*, ait *Cominæus*, (k) cujus rei mox subjicit caussas. *Nativos* Germanorum *hostes* Ungaros vocat *Bonfinius*, (l), gloriaturque *Vngaricæ sævitiæ, vastationis & rapinæ*, Germaniam quondam *fuisse Gymnasium*. Idem de aliis constat. Sapienter enim *Cominæus* (m), *est sane*, inquit, *quædam nobis innata pravitas, adeo magna quidem, ut nulla plane ratio nos ab injuriis & violentia coërceat.* Minimum juris habet, quod Ungari olim Germaniam, Galliamque flamma ferroque vastantes, percunctanti Conrado I. Cæs. *cur tam dira Christianos odio insectarentur*, responderunt: *Humanorum scelerum sumus ultores, & ad supplicia vestra à Deo editi, quum vos persequi desinimus.*

f) *l.* 3. 2.
g) *l.* 8. 1. 1.
h) *Paneg. c.* 84.
i) *Reb. Getic. c.* 35.
k) *Com. l.* 8. *p. m.* 613.
l) *Rer. Vng. Dec.* 1. 10 *f.* 158.
m) *Com. l.* 10. *p.* 691.

mus, tunc à vobis, irato Numine, capimur, & obtruncamur, autore *Bonfinio*. (n) Seipsum enim inter pares ita judicem constituere non licet. n) *l.c.p.156. seq.*

§. 65. *Gentium in Gentes Latrocinia*, pro licitis olim habita, de quibus supra diximus, huc pertinent; fatalesque item *populorum* ad aliorum invadendas sedes *migrationes*, quibus humani generis consociatio & pax universalis vehementer sæpius fuit concussa. Ad latrocinia exercenda quid barbaras gentes excitaverit, locus *Thucydidis* (o) non obscure docet: οἱ ἕλληνες τοπάλαι, καὶ τῶν Βαρβάρων οἵ τε ἐν τῇ ἠπείρῳ παραθαλάσσιοι ἐτράποντο πρὸς λῃστείαν, κέρδους τοῦ σφετέρου αὐτῶν ἕνεκα, καὶ τοῖς ἀσθενέσι τροφῆς, καὶ προσπίπτοντες πόλεσιν ἀτειχίστοις, καὶ κατὰ κώμας οἰκουμέναις, ἥρπαζον, καὶ τὸν πλεῖστον τοῦ βίου, ἐντεῦθεν ἐποιοῦντο, οὐκ ἔχοντός πω αἰσχύνην τούτου τοῦ ἔργου, φέροντος δέ τι καὶ δόξης μᾶλλον, *Græci olim, & Barbarorum quicunq; in continente maritimi erant, ad latrocinium conversi sunt, tum sui quæstus, tum pauperum victus gratia, atque adorti civitates muro vacantes, vicatimq; habitatas, diripiebant, ac maximã victus partem hinc comparabant, nullo ob id pudore, nonnihil potius sibi gloriosum.* Notavit ad hæc Græcus *Scholiast.* Thucydidis: *Quum hoc factum nondum ignominiam, sed nonnihil gloriæ potius afferret.* Unde de Germanis, latrocinia, inquit *Iulius Cæsar* (p) *nullam habent infamiã, quæ extra fines cujusq; civitatis fiunt:* o) *l.1.f.2.* p) *l.6. B.G. c.23.*

ſunt: *atque ea juventutis exercendæ ac deſidiæ minuendæ cauſa fieri prædicant*. *Vaſtatis etiam finibus ſimul hoc ſe fore tutiores arbitrati ſunt, repentinæ incurſionis timore ſublato.* Barbara hæc feritas licet olim inter artes licitas relata fuerit, nec hodie apud Barbaros deſierit, tranquillitatem tamen turbat, publicamq; rumpit pacē, in leges naturales, de *nō lædendo proximo*, & *abſtinendo à re aliena*, iniqua, omnique conſociationi inimica, quæ ejuſmodi latrociniis non parum concutitur.

§. 66. Quanquam vero obligatione ex jure naturali proveniente ad vitam ſocialem omnes obſtringamur, ita ut nemo alteri quid debeat inferre, unde lites, diſcordiæ & bella exoriantur, ſed eundem jure ſecū eodē frui permittere teneatur; lumen tamen recti, ſemenque boni internū, dictamenque conſcientiæ juſtum præcipientis, non ſatis valide nonnunquam feroces homines ad mutua præſtanda officia continere poteſt, ita ut ſola lex naturæ conſociationi, & paci inter homines conſervandæ non ſufficiat, ſed imperio inſuper civili opus ſit, quod præſenti & in oculos incurrente vi & pœna fidem & pacem publicam turbantes coërceat. Ejusmodi univerſali imperio civili cum communis humani generis conſociatio deſtituatur, & hoc quoque nomine eandem imperfectam eſſe patet.

§. 67. Accedit aliud inſigne commercii humani impedimentum, *Linguarum ſc. diverſitas*,

versitas, quibus utuntur homines, variis linguis & linguarum dialectis distincti, qui hoc ipso à se invicem dissociari videntur; mutuo inter illos metu hoc nomine crescente. Vinculum sane, *Cicerone*(q) etiam judice, est *Oratio*, quam propter vitam socialem homini esse datam præclare docet *Aristoteles*(r): sine linguæ enim usu qui erit inter homines, inter parentes & liberos, maritum & uxorem, imperantes & obsequentes officiorum commercium? ita ut arctiori etiam concordiæ nexu inter se cives in Republica jungantur, ubi uno loquuntur ore; dissocientur vero, si diversa utantur lingua homines. Jure proin, quod terrarum orbis per complures linguas, variasque linguarum dialectos in tot quasi factiones distrahitur, inter incommoda quibus genus humanum ex justa Dei judicio premitur, meritoq; numeramus; quanquã universalis ista communitas, quæ in natura ipsa humana, non in signis illis externis fundatur, non tollatur, quemadmodum nec leges naturales, & officia inde manantia hominum erga se invicem, qui non sunt ejusdem labii, supremus universalis hujus civitatis Rector abrogatas & sublatas esse voluit, magna licet eadem ob γλωττοσύγχυσιν, laboret imperfectione.

§. 68. Solvitur humana hæc consociatio per *Bellum*, quod *Feldeno* (s) *in dissolutione humanæ societatis consistere* dicitur. Ho-

q) 1. Offic.

r) 1 Pol 2.

s) ad Grot. p. 7.

stili

ſtili quippe affectu mentes hominum non ſolum diſſociantur; ſed & cum cædibus impune rapinisq; in ſe invicem graſſentur homines, terrore, metu, deſperatione & fuga omnia implentur. Cæterum nec temeraria hæc diſſolutio eſſe debet, nec illa ipſius vinculi, & omnium humanorum jurium diſſolutionem fieri credendum eſt, quod uſus belli non niſi ſubſidiarius ſit, cum nimirum quies gentium non niſi armis obtineri poſſit: licitum enim tum non ſolum, ſed & neceſſarium fit bellum, cum quod liceat vim vi repellere, tum quod de conſervando meipſo, meorumque, teneat

t) *l.1.f.m.*40 eſſe ſolicitus. Non male apud *Thucydid.* (t) Corinthii: *ἐκ πολέμου μὲν εἰρήνη μᾶλλον βεβαιοῦται· ἀφ' ἡσυχίας δὲ μὴ πολεμῆσαι, οὐχ ὁμοίως ἀκίνδυνον, pax magis confirmatur ex bello; at ex otio non perinde periculo cares, ne bello laceſſaris.*

§. 69. Atrociſſime humani generis conſociatio concuſſa ſæpe fuit variis *gentium Migrationibus*, Germanicarum potiſſimum & Scythicarum, funeſtâ aliarum terrarum inundatione, non ſine urbium & populorum excidio factis. Inſigne inprimis, ut antiquiora taceamus, eſt hoc nomine ſeculum poſt N.C.V. quo Gothi, Vandali, Suevi, Franci, Angli, Saxones, Hunni, Heruli, Scythæ, ferociſſimæ gentes, ſedibus ſuis exciti, maximis ſtragibus per Romanum graſſati ſunt or-

u) *de Reb. Get.*35. bem. De Attila *Iornandes*(u) ſcribit, quod *Vir in concuſſionem gentium natus in mundo fuerit, terrarum omnium metus: qui neſcio qua ſorte terrebat cuncta, formidabili de ſe opinione vulgata.* Non minori terrore Longobardi, Venedi, Slavi, Normanni, Vgri, Saraceni, Tartari, aliique per varias orbis partes ſæva circumtulerunt arma, velut per univerſum orbem terrarum claſſicum buccinis canentibus.

ARTI-

ARTIC. II.

DE

Divisione humani generis in gentes & Civitates.

§. 1.

ITa quidem universalis humani generis societas habet. Cum vero ejus felicitas requirat ordinem imperandi & parendi, quem etiam naturæ jus præcipit, manifestum est, hunc societatis humanæ ordinem ea introducendum esse ratione, quam generis humani salutem necessario desiderare, consociationisque hujus indolem ferre posse apparet.

§. 2. Recte hinc infertur, humanum genus postquam in istam, qua terrarum orbem hodie replevit, multitudinem diffusum est, *uni humano imperio subjici nec posse, nec debere.* Cum enim moribus, lingua, ingenio, indole, cœlo, terra marique varient atq; distent mortales, unũ humanũ imperiũ ad tot populorũ & gentium felicitatem procurandam & promovendam sufficere non posse, inde satis constat, quod idem imperium certarum duntaxat gentium conjunctioni, & Reip. Systematicæ administrandæ non semper suffecerit. *Gens Thracum secundum Indos*

 omnium

a) 5. Hist. c. 3. *omnium maxima est*, ait Herodot. (a) εἰ δὲ ὑπ'
ἑνὸς ἄρχοιτο, *qua si aut unius imperio regeretur, aut idem sentiret, ut mea fert opinio, inexpugnabilis foret* : ἀλλὰ γὰρ τοῦτο ἄπορόν σφι καὶ ἀμήχανον μή κοτε ἐγγένηται, *sed quia id nimis arduum illis est, & nulla ratione contingere potest,*
b) 4. 13. 4. *ideo imbecilles sunt*. Parmenio apud *Curtium*(b) hostes, *quod moribus, linguis discordes forent*, facile opprimi posse censuit. Considerans
c) apud Londorp. t. 7. f. 1016. hoc Przimskius (c) à Casimiro Polonorum rege ad Carolum Gustavum Suecorum regem, ann. 1655. Poloniæ bellum inferentem, pacis petendæ gratia missus, negavit Suecis Polonos jungi posse, quod *disjunctissima forent regna, divisa naturâ mari, dissociata instituto, religione, legibus, moribus, habitu, lingua*. Et quæ contra nimiam imperiorum magni-
d) ad Tac. p. 770. tudinem disputarunt *Bæclerus*, (d) *Clapmarius*, (e) *Scipio Amiratus* (f), aliique, fortius
e) Arcan. Rerump. p. m. 132. universalem monarchiam, & universale cui omnes gentes subjiciantur imperium
f) Disc. in Tac. l. disc. 6 impugnant. Dubium sane non est, quin talis civitas, etsi foris nullum habeat, domi sit hostes inventura, internisque morbis & malis dilapsura. Ad quam proin, quo mi-
g) l. B. P. II. 22. 11. nus cum *Grotio*(g) applices illud Legati Persici apud *Curtium*(h), *Periculosum est prægrave*
h) l. 4. c. 11. 8. *imperium: difficile est continere, quod capere non possis. Videsne ut navigia quæ modum excedunt regi nequeant*; nihil obstat. Hinc de Ro-
i) t. I. Opp. Caton. Maj. f. 338. mana Republica *Plutarchus* (i) autor est, quod

quod fuerit τὸ καθαρὸν ὑπὸ μεγέθους ἢ φυλάττουσι, *quodq; provinciarum & gentium quibus imperabat mixta moribus, variorum vivendi institutorum susceperit exempla.* Omnes autem populos & gentes iisdem velle assuefacere legibus, contranitentemq; penitus naturæ genium velle extinguere, quam sit difficile, imo impossibile, tot turbæ passim & olim, & recentioribus exortæ téporibus docent. Eximia quoq; hac de re *Aristotelis* (k) est Philosophia, qui k) 7 *Polit.* 4.
χαλεπὸν, imo ἀδύνατον, judicat, εὐνομεῖσθαι πόλιν πολυάνθρωπον, *difficile & impossibile esse, ut quæ nimium populosa sit civitas optime gubernetur*; id quod præclare in sequentibus declarat. Sapienter *Seneca* (l): *Immodica nunquam regi possunt: nec diu durat quicquid regi non potest.* l) 6. *de Benef.* c. 31.

§. 3. Placuit tamen aliis ejusmodi universale imperium quod omnes agnoscerent gentes. De Alexandro M. scribit *Plutarchus* (m), quod crediderit, se missum esse θεόθεν κοινὸν ἁρμοστὴν καὶ διαλλακτὴν τῶν ὅλων νομίζοντα, *divinitus communem omnium nationum moderatorem* atque arbitrum, & proin *quos verbis non poterat, armis ad communitatem adegerit, omnesque undiq; gentes in unum corpus conduxerit, tanquam in amicitiæ cratera commiscens vitas, mores, nuptias, victus rationes: mandaveritq; ut universi mundum pro patria agnoscerent, castra pro arce & præsidio, bonos pro cognatis, malos pro peregrinis. Inter Græcum &* m) *t. II. Opp: de Fort. vel Virt. Al. f.* 329.

Barbarum non chlamyde, pelta, acinace, candya distinguerent: sed Græcum virtute, barbaricum vitiositate æstimarent. Communes autem ducerent vestes, mensas, conjugia, victus rationes, cum hæc omnia sanguine & prole invicem essent cōtemperata. Aliis conducere visum fuit universale imperium cui Orbis Christianus subiiceretur. Quod si *Campanella*(n) cujusdā otiosum tantum foret placitum, *Hispanorum Monarchiam ad hunc finem congregare mundum nutu Dei* somniantis, parum nos moveret; id miramur, Politioris ingenii homines non, uti *Grotius* (o) monet, quid materia ferat aut recuset inspicere, sed suis speculationibus plus justo hic sæpe indulsisse.

n) *de Monarch.* & *Polit.c.8. p.392.seq.*

o) *Apolog. c.5.*

§. 4. Et sane quod Hispanos attinet, in suspicionem affectatæ monarchiæ universalis illos incurrisse, atque apud alias gentes, Germanos præsertim & Gallos, male audivisse, currentis & superioris seculi acta satis testantur. Henricus IV. Gallorum Rex Gloriosus misso, ut est apud *Thuanum*, (p) ann. 1597. ad Germaniæ Principes Ancello, queritur, *Philippum Hispanum ex quo in Hispaniam reversus est, nihil aliud animo agitavisse, quam ut quod magnanimus ac præpotens parens ejus frustra armis tota vita conatus fuerat, astu & fraudibus perficeret, & monarchiam totius orbis Christiani, principibus cæteris sub jugum intolerandum missis usurparet.* In India Occidentali emblema Hispanorum idem significans exhibet *Camden.* (p)

p) *l. 118. f. 722.*

p) *Elis. f. m. 386.*

§. 5.

§. 5. Pro universali societate imperioque, quo illa ultimate contineatur, universali, etiam pronuntiat *Iohann. Feldenus*:(q) quanquam non serio rem agere vir doctissimus, certe in medio eam ceu dubiam relinquere videatur. Sic autem argumentatur: *Quod toti generi humano salutare est, tollitq; omnia injustitiam & vitiositates involventia, id respuere injustum est. Esse societatem inter omnes populos & mentem quandam, quæ eam dirigat, toti humano generi est salutare; ita enim cuiq; secundum rationem tribuetur, quod debetur, & habebunt cuncti ad vitam necessaria, quæ quidem natura nobis largita est, è contrario bella & omnia, quæ infelix reddunt humanum genus tollentur. Ergo respuere id injustum est.* Verum æque facile licet subsumere de humano genere in varios cœtus & civitates diviso, quod non minus conducat. Nam si populi & civitates sui esse juris jubentur, hoc ipso etiam iisdem conceditur, quod eis debetur. Natura quippe per se ei qui ad imperandum aptus est, quia sc. prudentior, non dat imperium & jus suo consilio cæteros qui tales non sunt dirigendi; ceu quod vitam hominum socialem perpetuis involveret bellis. Sibi duos esse oculos jactabunt Sinenses, cum Europæi uno tantum gaudeant; dicentque Turcæ se fortitudine, prudentia, frugalitate Christianis esse meliores, quos se moratiores, jurisque na-

q) *Not. in Grot. de I.B. P. II 9.12.*

turæ & gentium observantiores esse minime concessit olim Solymannus apud *Iovium*. Negavit recte *Grotius*(r), *si quid alicui est utile, id statim mihi licere ei per vim imponere.*

r) *l. B.II.* 22. 12.

s) *Not. in Grot. l. c. p.* 424.

§. 6. Excipit Dn. *Feldenus*: (s) *Omnino si quid alteri mihiq; utile futurum est, & is à natura mei gratia factus sit, possum eum juste vi subjicere. At homines, qui se habent ut corpora, natura sunt eorum gratia, qui animam humanam respectu illorum repræsentant, neutraq; pars sine altera esse potest; quia & homines liberi, & civitates liberæ talibus indigent instrumentis, estq; in eorum quoque utilitatem ita subjici: id quod ex rusticis nostris manifestum est. Recte ergo, si denegent imperium, vi adigi poterunt, quod enim naturaliter justum est, & nobis debetur, vi exigere licet.* Verum cui pro *Grotio* calamum stringere placuit *Graswinckelius*,(t) recte excepit, *naturam hominem hominis gratia fecisse, sed reciproca potius utilitate, quam serviendi jure præcise*; & cum potestate suadendi potius, quam juste cogendi alios ad id, quod illis mihiq; futurũ est utile. Neq; ut B. *Bœclerus* loquitur, (u) *recte* δουλικὸς, sive ἄξιος δουλεύειν *habetur, quicunq; non est* ἡγεμονικός. *Inter eum enim, qui est ingenio ad imperandum aliis, sive ad regendum se aliosq; idoneo, & eum qui magis ad serviendum est idoneus, quam ad imperandum, aut plane non ad imperandum aptus, multi sunt gradus interjecti.* Non etiam nisi aptitudinem à natura concessam meliores prætendere pos-

t) *Strict. p.* 225.

u) *Comm. Grot. l. 2. c. 5. p.* 180.

sunt,

ſunt, quæ non permittit ut invito aliquid extorqueatur, niſi aliunde ſimul ad id præſtandum hic teneatur. Unde bene rurſus *Graſvvinckel.* (x) *Communitati electio, ut meliores imperent: melioribus non debetur ex jure ſuo ſc.* perfecto, *ſed ex utilitate publica.* Vi demum id licet exigere, quod ex jure pleno nobis debetur. x) l.c.p.226.

§. 7 Pergit autem Vir doctiſſimus pro Monarchia univerſali ulterius: *Ubi ſocietatem natura, ibi & quiddam dirigens conſtituit, id autem natura est illud, quod optimum eſt, & præ reliquis perfectum virtutibusq; inſtructum.* Sed tale quid inter omnes gentes datur, cum ſi invidiam & æmulationem ſeponas, in omni natione invenire liceat, qui res ſuæ gentis ita dirigere norint, quantum conſociationis civilis neceſſitas requirit: Id quod de gentibus moratioribus inprimis affirmare licet; quæ non neceſſe haberent apud exteros quærere principes, niſi optimatum æqualitas, ut olim apud Perſas *Herodoto* autore, difficilem ſæpe numero populo electionem faceret. (y) Qui vero hæc ſocietas civilis univerſalis conſtitui debeat, explicat ulterius: Sc. *non ſingulos homines debere ſeorſim coire in ſocietatem univerſalem, ſed ſingulos primo in familiam, familias in vicum, vicos plures in civitatem, civitas plures in gentem & Populum; populos in illam ſocietatem univerſalem.* Aſt quid impediat, quo minus in

y) *conf. F r ln. in T. l 2 Annal. p. m. 117 ſeqq 122.*

orbe ejusmodi imperium universale constitui queat, jam diximus. Contra quidem excipit, *quare*, inquiens, *cessat hoc, quando dicunt, tam vastum spatium ab uno regi non posse. Neq; enim qui praeest singulorum curam habebit: id enim ad rectores civitatum pertinet: nihilominus tamen per eum qui praeest populis, & singuli salvi erunt, si rectoribus populorum imperet.* Verum horum fides rectorum haud raro dubia, industria vero sæpius remissior est, quam civitatũ & gentium quibus præsunt salus & necessitas patitur. Et quis præstabit, ne suam rem potius, quam populorum sibi commissorum agant tales gubernatores; aut ex suo lubitu omnia & libidine gerant, vel ne ex illorum pervicacia majores oriantur turbæ & calamitates, quam bella externa comitari solent. Ne vigilantissimus princeps malis his obviam ire satis posset. Expertus id prudentissimus princeps Philippus II. Hispanorum Rex, qui ambitioni Cardinalis Granvellani Belgii amissionem præprimis debuit. Nec credo genitorem illius Carol. V. Cæs. satis cognovisse immanem illam crudelitatem, ejusque rabiem, quam ab Hispanis experti sunt Americani, explicatam *Bartholomæo de las Casas.* (z) qui omnibus artibus istam immanitatem, ne in optimi Principis notitiam veniret, suppressam tradit. Ita motus internos quibus vastissima quæque concussa sunt

z) *de Hispan. crudel. in Ind. Occid.*

ſa ſunt imperia, paſſim Hiſtoriarum exponunt ſcriptores. Nec ad rem quadrat ſimile, quod *uti juſſa Ducis multa millia militum audiunt mediantibus tribunis & centurionibus, ita & eodem modo in hoc imperio univerſali ſe res habeat*; cum exercitus ad univerſum genus humanum non ſit proportio, ut proin non inferri debeat, illud ejusdem adminiſtrationis & modi gubernandi capax eſſe, qui in iſto animadvertitur. Uti vero recte oſtenditur, *omnibus hominibus ut ſingulis imperare velle, rem eſſe quæ fieri nequit: ita & inter ἀδύνατα numerandum* cenſemus, uni imperanti populo omnes totius orbis populos ſubeſſe; cum nullus tantæ potentiæ eſſe queat, ut tot gentibus, per univerſum terrarum orbem diffuſis, in officio continendis, & ab omni injuria defendendis, par eſſe poſſit; quem viribus tandem exhauſtum conſumi neceſſe eſt. Inter cauſas ſane quod minus frequens incolis ſit Hiſpania, referuntur bella Italica, Belgica, Gallica, item expeditiones in orbem occidentalem ſuſceptæ, quodque Hiſpanorum rex exteras iſtas provincias maxima ex parte Hiſpano milite in officio continere ſoleat. Unde *Gramondus* (a) Hiſpanum cum Gallo comparans, *vaſta illi*, inquit, *regna, ſed longiori terrarum intervallo disjuncta, eoq; invalida. Xenophontis* etiam apud *Forſtner.* (b) de Perſarum monarchia hoc fuit olim judicium, quod licet

a) *Hiſt. Gall.* l. 6. p. 315.

b) *in Tac.* 2. 371.

H 5 provin-

provinciarum amplitudine, & hominum numero maxima, tamen ob itinerum immania ſpatia, & quod copiæ militares hinc inde divulſæ ſint, infirma atque imbecillis fuerit. Cumque ut homines, ita quoque

c) l. 1. c. 7. gentes, ut cum *Vellejo Patercul.* (c) loquar, *creſcere, florere, concidere, reſurgere* ſoleant, ejusmodi revolutionibus obnoxius quoq; erit populus qui reliquis præeſt, non ſine ingenti orbis & humani generis concusſione.

§. 8. Hæc & complura alia ſatis docent, quam impoſſibile ſit omnes homines univerſali continere velle imperio. Imo quod generis humani in varias Respublicas & cœtus particulares diviſionem ipſa divina intendat Providentia, manifeſte co-

d) Act. 17. 26. gnoſcitur ex dicto *Pauli* (d) · Ἐποίησέ τε ἐξ ἑνὸς αἵματος πᾶν ἔθνος ἀνθρώπων κατοικεῖν ἐπὶ πᾶν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς, ὁρίσας προστεταγμένους καιρούς, καὶ τὰς ΟΡΟΘΕΣΙΑΣ τῆς κατοικίας αὐτῶν, *fecit Deus ex uno ſanguine omne genus hominum inhabitare ſuper univerſam faciem terræ, definiens ſtatuta tempora & terminos habitationis eorum.* Hoc ipſo enim dum unicuique Genti & Imperio tempora durationis, & fines habitationis atq; jurisdictionis determinavit, intendiſſe quoq; eandē, certe probaſſe iſtam generis humani in varios cœtus particulares diviſionem recte infertur. Reſpicit quippe Paulus verba *Moſis* in

Canti-

Cantico (e), quibus *hæreditatem distribuisse altissimus gentibus, filios hominis divisisse, & statuisse terminos populorum juxta numerum filiorum Israel dicitur.* Ipse itaque supremus generis humani Rector, non solum gentes divisas per universum terrarum orbem dispersit, sed & quam late cujusque populi limites se extendere debeant constituit. Admirabili hinc temperamento inter gentes & potentissima Imperia & regna supremum solet agere Numen, ne quando volent contra se invicem insurgant, aut pro lubitu alterum ab altero debelletur, sed sibi *divinitus metam positam* sentiat populus victor, uti pie de concussione Poloniæ à Carolo Gustavo Suecorum Rege victorioso Ann. 1655. & seq. facta judicat *Joachimus Pastorius*: (f) Quod etiã eidem, postquã bellũ contra Danos post pacem Roschildiæ 1658. initam continuare in animum induxisset, accidit; ubi cum toto regno fere potitus esset, Hafniam Rex obsessor capere non potuit, non sine clade victoris hactenus exercitus tentatam, qui superiori expeditione fulminis instar in Dania omnia protriverat. Credidit etiam, deceptus licet, Darius olim suo Imperio ejusmodi concussioné imminere ab Alexandro Macedone: Hinc *forsitan*, inquit apud *Curtium* (g) *ita Deorum fata ordinaverunt, ut Persarum Imperium, quod secundo cursu per ducentos triginta annos ad summũ fastigium evexerant,*

e) *Deut.* 32, 8.

f) *Flor. Polon. l.* 7. *p. m.* 559.

g) *l.* 4. *c.* 14.

xerant, magno motu concuterent magis, quam affligerent. Unde à *Iornande* (h) dicitur *Attila Vir in concussionem gentium natus in mundo.* Principes etiam animo & virtute pares gentibus terræ præponit Deus, Regum Rex supremus, ut cum utrumque regnum velit consistere, alter alterius consiliis feliciter occurrat, vel mutuus metus à vi iniquiori eosdem revocet.

h) *de Reb. Get. c. 35.*

§. 9. Pertinent huc ceu insigne monimentum divinæ *ὁροθεσίας τῆς κατοικίας*, *Fatales* gentium & Rerumpublicarum *limites*, ad quos tantum victricia arma proferre, non vero ultra feliciter progredi licet, ita ut intra eosdem gentis alicujus gloria circumscribatur; uti omnium temporum historia confirmat. Inter Scythas & Persas fluvium Araxen Deus terminum esse voluit. Hunc cum Cyrus, qui ante nullam gentem aggressus fuerat, quam non vicisset, transire sustinuisset, à Tamyride cæsus occubuit. Græciam mari à Persarum imperio separatam, infelicissime bello aggressi sunt Darius & Xerxes. Romani stupendo armorum vitricium successu ad Rhenum usq; & Danubium penetrarunt, ulterius non æque feliter progressi. Acceperunt equidem à transeuntibus Romanis Germani clades, sed vicissim reddiderunt, nunquamq; devictas retinere potuerunt Germanias hostes. Wallia Gothorum Rex, cum confe-

cta

cto Hispaniæ bello in Africam contenderet, exorta tempestate iterum fuit rejectus (i). Ita magnus Russorum Dux non hoc tantum, sed superiori quoque seculo Livoniam & Lithuaniam quidem armis appetiit, sed nunquam retinere potuit. Affligere sed non evertere Francorum regnum Anglos, quos per mare interjectum natura ipsa ab aliis terris separavit, potuisse, utriusque Gentis testantur Annales. Tenuerint enim licet aliquandiu provincias aliquot & oppida maritima Galliæ, tandem tamen Caleto ejecti (k) in Anglia se continere, inviti (l) licet, jussi sunt.

§. 10. Referre huc licet fatales rerumpublicarum Periodos & mutationes, variarumque conversionum circulos, quibus gentes sunt obnoxiæ, recte Cyro apud *Herodot. dicente*, *nihil esse in rebus humanis stabile.* Minime enim credendum est varias istas Imperiorum circumvolutiones sine divina voluntate & dispositione contingere, id quod Gentilibus hic cæcutientibus eximiè Christiani docuerunt: Ex quibus præter *Augustinum* (n) aliosque, ita *Cyprianus* (o) disputat: *Hæc sententia mundo data est: Hæc Dei lex est, ut omnia orta occidant, & aucta senescant, ut infirmentur fortia, & magna minuantur, ut cum infirmata & diminuta fuerint, finiantur.*

§. 11. Cæterum an hæc sit divisio generis humani in varia regna, & diversos distin-

i) *Isidor. Hispal. Chron. Goth. p. 167.*

k) *Thuan. l. 20. f. 603.*

l) *Camden. Elisab. p. m. 28. seqq.*

m) *l. 1. c. 86.*

n) *5. de Civ. Dei.*

o) *tract. l. Cypr. Demetr. f. n. 142.*

distinctosque cœtus, juris divini voluntarii, an vero naturalis? disquiri potest. Juri naturali illam non contrariari, inde satis affirmare licet, quod ipsum Deum habeat autorem. Quod vero ad divisionem orbis ex præcepto juris Naturalis faciendam ex naturæ humanæ lege homines commoti fuerint, ex fine ejus, qui in præceptis legis naturalis continetur, inferre licet. Cum enim citra imperii generisque humani divisionem, nullum ex imperio, quod itidem naturalis est originis, expectandum sit commodum, si universale maneat, ceu tali moli gubernandæ impar futurum; salutem & tranquillitatem humani generis, quam jus sociale respicit, eandem quoque imperii divisionem, inutile alias futuri, urgere manifestum est. Intendit lex naturalis generis humani consociationem, eamque salutariter in humani generis felicitatem ordinatam, qui salutaris ordo sub imperio universali locum non habere potest. Quare cum eandem generis humani societas necessario requirat, jure quoque naturali eandem divisionem urgeri recte infertur.

§. 12. Historia divisionis hujus non usque eo expedita est, ut plane satisfacere possit, quicquid sit de fragmento *Histiæi* apud *Eusebium*, (p) & de illis, quæ de hac re *Epiphan.* (q) *Cedrenus* (r) aliique tradiderunt: Nec ad liquidum perducta sunt, quæ de

p) *Præp. Ev. ang. l. 9. c. 15*
q) *Ancor. t. 2. Opp. n. 114. f. 116*
r) *Comp. Hist.*

duplici

duplici orbis divisione, *Salianus*, (s) *Usserius*,(t) quos & Interpretum nostratium nonnulli sequuntur, annotarunt; etsi non sine ratione Noachum filiis terræ partes quas peterent, illorum sc. numero aucto, primo assignasse credi queat. *Schotanus*(u) quidem casu Noachidas terras occupasse ex *Iosepho* it probatum; sed locus *Iosephi* adductus ab eo non solum id non probat, sed & ipsa partium orbis terrarum facta à filiis Noæ occupatio, accuratius examinata, non sine consilio accidisse cognoscitur. Antediluvianus etiam orbis divisum à cæteris Caini regnum vidit, cujus principes ex *Mose* (x) recenset *Augustinus* (y). Sisithri cujusdam principis antediluviani mentionem facit ex *Abydeni* commentariis *Eusebius* (z), quem Noachum fuisse (a) credunt. (b) Imperia tyrannica *Moses* (c) respicit, vitiaque in statu Politico grassantia notat, *gigantes super terram fuisse* enarrans, hoc est tyrannos & violentos oppressores.

s) *Annal. ad An. diluv.* 132. & 275.
t) *Annal.*
u) *de 2. Mund. at. f.* 5.
x) *Gen.* 4. 17. 18.
y) 15. *C.D.* c. 10.
z) *Præp. Evang.* l. 9. c. 12.
a) *Dikinson. Delphi phœn. Ap. p. m.* 14.
b) *Gen.* 6. 4.

§. 13. Cæterum quomodo in diversas regiones, distinctaque & divisa imperia mortales primo abiverint, sacra tradit Historia (d): Nimirum secundum linguas & familias, prout ejusdem idiomatis usus has in multitudinem sive gentem coëgerat.

d) *Gen.* 10. 5.

§. 14. Quanquam vero in ponendis Populorum & Imperiorum terminis suum agat divina providentia, humanam tamen

operam

operam hæc non penitus excludit; cum non solum mortales ditionis terminos proferre, donec ad metam divinitus sibi positam pertingunt, sed & de terminis cum aliis pacisci gentibus, munire etiam eosdem, & de amissis facta prætensione recuperandis solicitos esse videamus. Quare cum primo familiæ in multitudinem coactæ ad vacuas occupandas terras exirent, uti quæ occuparunt loca hoc ipso facta sunt occupantium, ita tranquillitatis humani generis intererat, agrorum occupatorum certos definiri limites, id quod, cum quilibet cœtus ab initio tantum occupasset, quantum suæ necessitati, vel etiam aliis usibus satisfacere credebat, inter contiguos populos & confines pacto postmodum fuit confirmatum(e). Estque hæc limitum ponendorum ratio naturæ & æquitati eximie consentanea, quæ populi alicujus usibus & necessitati respondet, ut cæteræ terræ portiones aliis relinquantur, cum æquitas naturalis in re ad omnes pertinente omnium velit haberi rationem. *Concessum* enim licet sit, ut *Cicero* (f) loquitur, *sibi ut quisq. malit, quod ad vitæ usum pertinet, quam alteri acquiri, non repugnante natura*; recte tamen rursus idem (g) monet, *qui civium rationem dicunt esse habendam, externorum negant, dirimere communem humani generis societatem.*

e) *Vid. Ziegl. in Grot. p.224.*

f) 3. *Offic.*

g) *ibid.*

§. 15.

§. 15. Hæc autem Gentium prima conventio, quæ renunciationem juris competentis, si quod prætendere sustinerent, continet, non cum hac exceptione facta dici debet, quod, uti Grotius (h) loquitur, *in gravissima necessitate reviviscat jus illud pristinum rebus utendi, tanquam si communes mansissent; quia in omnibus legibus humanis, ac proinde & in lege dominii, summa illa necessitas videtur excepta.* Nam illa divisio non erat arbitrii mere humani, quippe quam humanæ societatis tranquillitas, & sic ipsum jus Naturæ, tranquillam & felicem humani generis consociationem pro fine habens, exegerat: Unde homines juri naturali obsequentes, quod fini juris naturalis repugnaret, nihil excipere potuerunt. Repugnat vero vel maxime eidem ista exceptio casus necessitatis, quo rerum communio redire fingitur, cum sufficiens securitas possessionis isto tollatur, sine qua tamen, nisi, ut doctissimus Poloniæ Mareschallus Opalenius (i) ipse argumentatur, *omni ratione cauta sit, proprietas constare non potest.* Quî enim rerum mearum possessio satis certa & secura dici poterit, si tum res mea cõmunis, h.e. non mea esse incipiat, ubi alteri facta fuerit necessaria? Taceo rixis & contentionibus perpetuis hic præberi occasionem, hoc istum necessitatis casum negante, in quo rem versari alter contendit: Ut alia incommoda & confu-

(h) *I.B.* II.2.6. ad *Luc.* Opalen. de Off. l. 2. c. 2. p. m. 173. seq.

(i) *l.* c. p. 172.

confusiones tranquillitatem consociationis humanæ turbantes mittam. Nec indigentia & necessitas in ea constituto majus jus, quam imperfectum conciliat, quod domino invito in illius res ab altero exerceri non potest, ita ut cæteris paribus vim vi opponere jure posse Gentium judicio censeatur.

§. 16. Cæterum modum finium ponendorum quod attinet, num sc. limitibus manufactis, uti *terminales lapides Alemannorum & Burgundiorum confinia distinxisse* notat Ammian. Marcellinus (k); lapidemque *indicio limitis Suecici Danicique* olim etiam functum tradit *Bœclerus* (l); an vero terminis naturalibus debeant designari, instituti & pacti est humani. Unde non dubitamus, homines in diversas gentes per orbem terrarum abeuntes, & per eundem dispersos, indeque exorta imperia, utriusque generis limitibus fuisse à se invicem divisos. Antiquissimus sane *Sanchuniathon* Phœnicum, seu Anakœorum, gentis inter Cananæos celeberrimæ Theologiam exponens apud *Euseb.* (m) ἐπενόησε, inquit, Θεὸς Οὐρανὸς Βαιτύλια, λίθους ἐμψύχους μηχανησάμενος, *Baetylia reperit Deus Cœlus, lapides animatos fabricans*; respiciens lapidem, quem pro Jove Saturnus dicitur devorasse, rursusque evomuisse, cui nomen fuit Terminus; de quo ita *Lactantius* (n): *Quid qui lapidem colunt informem atque rudem, cui nomen est*

k) l. 18. c. 4.

l) Bell. Sueco Danic. l. 3. p. 269.

m) Præp. Evang. l. 1. c. 10 f. 37.

n) 1. Inst. c. 20.

nomen est Terminus. Hic est quem pro Iove Saturnus dicitur devorasse. Fabulam ipsam canit prolixius *Hesiodus* (o). Βαίτυλον autem dici Græcis saxum quod pro Jove Saturnus devoravit, ex *Hesychio* etiam observavit *Ludov. Vives.* (p). Cum itaque Uranus Deus *Sanchuniathonis* fuerit ipse Noachus, uti non solum ex antiquissimo hoc constat scriptore, sed & *Edmundo Dickinsono*(q) probatur; terminorum usum, & religionem de finibus, à posteris variis superstitionibus & fabulis involutam, Noachum ipsiusque filios non penitus latuisse, dubium non est.

o) *Theogon.* v. 459. *seqq.*

p) *Com. ad Aug. C. D.* IV 23.

q) *Delphi Phœn. App. p. m. 20. seq.*

§. 17. Relinquitur hinc, inter *effectus juris limitum* referri, quod qui in bello sunt medii, ab altera belligerantium parte, si vel maxime ejus ita efflagitaverit necessitas, suis munimentis inviti non pelli possint, si vel maxime nuda loci custodia sumatur, cum animo ejus reddendi, simulatque necessitas illa cessaverit. Cum enim intra cujusque gentis fines ejus quoque jura & imperia coërceantur, intra limites alienos ea se non extendent, ut proin gens libera quælibet jus habeat de rebus suis earumque usu libere disponendi, quod minus manifestum est, ubi per occupationem suorum locorum ab externo factam populus debito circa res suas arbitrio privatur, non sine grandi qua afficitur injuria. Etsi vero inter Gentes hoc fieri, factumque sæpius

contigerit, ubi tamen invadenti fuerit vis opposita, eodem jure id fieri recte creditur, quo alicui rerum suarum defensio est permissa. Quod si tamen certo constat, hostem locum in solo pacato situm esse intercepturum, & inde irreparabilia damna daturum, cum qui in bello est medius satis virium quibus id impediat non habeat, quin ubi altera pars belligerantium locum præveniendo talem occupaverit, excusationi locus debeat relinqui, nõ dubitamus.

§. 18. Exinde etiam infertur, quod invito territorii Domino non liceat externo in aliena ditione contrahere, exercere & ex alieno alere milites. Disputationem hoc nomine inter Hispanos copias suas per Westphaliam ann. 1599. distribuentes, & Germaniæ Principes ægre istud ferentes exortam exhibet *Meteranus* (r); cui malo, & Hispanorum conatibus armis obviam ire tãdem decreverunt apud *Thuanum*(s). Quod & aliâs inter causas belli justificas relatum constat: Cujus etiam mali avertendi gratia sæpius ineuntur fœdera.

r) *Hist. Belg.* *l.* 20.

s) *l.* 122. *f.* 846.

§. 19. Ad gentium jus provocatum, & ex prætenso gentium jure vi transitum per alienas ditiones vindicatum novimus. Frideric. I. Imperat. in Palæstinam iter faciens, *negata à Bulgaris regia via, eam vi obtinuit: Occisaque*, uti refert *Otto de S. Blasio* (t), *multitudine resistentium, multos ex eis captos ex utraq;*

t) *App. ad Ott. Frisf. m.* 213.

utraq; parte via ramis arborum illaqueatos suspendit: quod sæpius ita factum Historiarum Scriptores omnium tradunt ætatum. Cum vero iidem etiam transitum à monationibus, ab iis etiam qui ab aliis eundem peterant, sæpius negatum commemorent, ut proin *nemo*, quæ *Boecler.* (u) verba sunt, *dubitet, quin liceat sibi armatorum transitum impedire, si possit: Sicut omnes è diverso credunt, licere sibi, si possint, transitum vi aperire*; id quod liberæ meræque est permissionis à Gentibus jam concessæ, jam vero negatæ, ceu ex gentium jure perfecte debitum vix postulari poterit. Firmius quippe ex jure finium perfecto, quo territorii Dominus gaudet, quæstionem negari, quam ex jure necessitatis alienæ imperfecto affirmari, in Doctorum dissensu, censemus. Certe sicut alia bona jure diminuto possidentur, quando liberum in illis non datur moderamen, sic ut libertas prædii recte minui dicatur, sive jure servitutis, sive de facto quis illud transeat; ita, ut recte inferunt *Strauchius* (x) & *Zieglerus* (y), & libertas territorii, quod agrorum universitas est, minuitur, propria autoritate inconsulto vel invito Domino illud trãseundo. In re itaq; ancipiti & inter Gentes controversa, tranquillitati publicæ non infeliciter consulitur, si pactis & conventione quid fieri velint partes trãsigant: quæ si prohibent transitum, sicut

u) *Comm. Grot. P. II. p. 70.*

x) *Dissert. Acad. I. c. 8. § 2.*

y) *in Grot. II. 2 p. 234.*

hoc ipso is desinit esse res innoxiæ utilitatis, ita negatus jure armis non vindicabitur. Quare licet damnum reale Macedonum regi non intulerit Agesilaus, dicens; Βουλευέσθω τοίνυν ἐκεῖνος, deliberaturum enim se dixerat, cum Laco transitum postulasset, ἡμεῖς δὲ ἤδη πορευόμεθα, *deliberet ergo iste, nos interim transibimus*, autore *Plutarcho* (z): quin tamen jus dominii ipsius hoc ipso fuerit læsum, nos non dubitamus.

z) t. 2. Opp. *Agesil.* f. 604.

§. 20. Ex jure finium etiam exoritur, ut Princeps alterius territorium pacate ingressus, ejus imperium suam vim exerere, suum vero interim quiescere in alieno permittat, nec alterius jura turbet. Quali vero talis sit in statu, & quali imperio in talem vel captum, vel delinquentem, uti liceat, disceptatum est. *Romanos* captos reges occidentes, recte *æquo asperiores in victoria fuisse Cicero, aliiq; agnoscunt* apud *Grotium*. (a) Factum Henrici V. Imp. quo Reinoldum Burgundiæ comitem captum suspendi jusserat, *irrationabilis motus* dicitur *Ottoni Frisingensi*. (b) Simile etiam apud alios scriptores de simili legere licet facto judicium. Etsi enim victori victus & captus, si præsentem ejus intuearis statum, par hactenus non sit, ceu non liber & in victoris potestate constitutus; negat tamen *Alberic. Gentil.* (c) justum esse, ut hostium Princeps captus interficiatur, *nisi causæ speciales cædem probent*. Tutius

a) *I. B. P. III.* 11. 7.

b) *de Gest. Fred. I. l. 1. c. 11.*

c) *de I. B. l. 3. c. 8 p. m. 533.*

victor

victor abstinet manus reverentia dignitatis. Quid vero liceat principi in principem qui adversus eundem in ipsius territorio delinquit, superiori seculo inter Anglos, Scotos & Gallos, cum Maria Stuarta Scotorum regina conjurationis in Elisabetham rea ageretur, disceptatum constat. Vocata ad causam dicendam Scota, comparere, ut *Camdenus* (d) refert, primo recusavit, *se subditam reginæ Elisabethæ non esse* protestata, *sed reginam liberam & absolutam fuisse & esse, nec adigendam ut coram delegatis sistatur, aut quocunq; judice, quacunq; de causa; nisi uno Deo, judice supremo.* Angliæ vero Cancellarius, *protestationem hanc inanem esse* reposuit, *eo quod quicunque, cujuscunq; loci & ordinis sit, contra leges Angliæ in Anglia deliquerit, ibidem subjiciatur & judicetur.* Addebant alii, (e) *subditam illam esse, licet non originariam, tamen temporariam, quia duo absoluti principes quoad autoritatem regiam simul in uno regno esse non possunt: Hanc esse receptam jurisprudentum sententiam,* Rex extra suum territorium (nisi in expeditione bellica) privatus est. Contra vero, referente eodem *Camdeno* (f), *erant æqui boni rerum æstimatores, qui asperius cum illa actum existimabant, eo quod fuerit princeps libera & absoluta, in quam solius Imperium sit Dei. Quod in Majestatem peccare non potuerit, quia subdita non fuerit.* Iisdem fere rationibus Elisabetham à supplicio Mariæ inferendo capitali revocare

d) *Elis. f. n. 418.*

e) *ib. f. 442.*

f) *l. c. f. n. 441.*

tentavit Pomponius Belleureus Christianissimi regis Orator, apud *Thuanum* (g), judicium contra Scotorum Reginam institutum, in *regia dignitatis præjudicium* cedere contendens, *regesq; quamvis potentia ac opibus inter se dispares, in eo pares esse, ut alteri in alterum statuendi jus non sit, nec inferiorem se alter altero existimet*, affirmans. Nos in aliena ditione etiam extra expeditionem bellicam degentem principem, ibi quidem non in statu imperantis, sed nec propterea in statu subditi vel privati, sed in statu adhuc pari, si habitum dignitatis spectes, vivere existimamus; cum id maneat, quod in suo erat territorio, extra illud licet existens, quodq; alter apud quem moratur est in suis ditionibus. Nescio an mihi hoc nomine huc referre liceat, duorum potentissimorum Daniæ & Magnæ Britanniæ Regum factum apud *Meteranum* (h) Cum enim Danus affinem suum sororium Britannum invisurus ostium Tamesis ingressus esset, neminem navem suam conscendere permisit præter Regem, filiumque Regis primogenitum Walliæ principem. Hoc facto quæsivit ex Dano Britannus, *qui ausus fuisset non dato à se commeatu regnum suum intrare?* Ubi ille statim repoluit Britanno, *qui & ipse fuisset ausus sine eodem suam conscendere navem?* Mutuis tum amplexibus mutuam declararunt amicitiam. Unde sequitur, quod alterius

loci

(g) *l. 86 f. 1, 2. seq.*

(h) *Rer. Belg. l. 27. f. 370.*

loci & regni constitutionibus & legibus Princeps externus ibi degens non quidem subjiciatur tanquam subditus & privatus, sed quod ex præcepto juris N. quod in Gentium etiam jus transiit, *de abstinendo à re aliena*, illas intactas relinquere teneatur: quas si per vim tollere conabitur, recte ei ex permissa rerum & jurium suorum defensione vis opponetur, non vero tanquam subditus punietur. Ita si vitæ illius apud quem degit insidias struxerit, licebit in periculo constituto omnino suæ consulere securitati; sed non ex jure quod imperans habet in subditos, verum ex jure naturalis defensionis, idque ad imminens potius avertendum periculum, & ne novum exoriatur præcavendum, quam in facti periculo evanescente pœnam.

§. 21. Cæterum *finium* hæc inter gentes *contiguitas* complures sæpe parit *lites*, quas componi publicæ gentium quietis interest. Controversia de terminis *futuri belli* inter Carolum M. & Hunnos *seminarium* dicitur fuisse *Urspergensi* (i); qui & Saxones *cum finitimis suis, & maxime cum Francis lites atq; discordias habuisse* tradit, (k) *quia suberant causæ, quæ quotidie pacem perturbare poterant, termini videlicet amborum, pene ubiq; in planitie contigui.* Tales vero uti humano arbitrio & gentium transactione sunt primo constituti, ita secundum tenorem pacti de liti-

i) *Chron. f. m.* 186.
k) *ib. f.* 206.

 mitibus

mitibus exorta controversia rectius per se judicabitur. Sed cum frequenter contingat, populos per terminos naturales, montes sc. maria, vel etiam flumina separari: *Germania enim olim à Galliis quidem Rhætiis & Pannoniis Rheno & Danubio fluminibus; à Sarmatis vero Dacisq; mutuo metu aut montibus separabatur,* uti *Tacitus* loquitur; (l) exorta lite, si scil. vel flumen cursum mutat, vel si in eo enascuntur insulæ, vel si per flumen ripæ alterius aliquid apponitur, recte dispiciunt gentes, cum quales sint agri limitanei, an per manufactos limites definiti, quos limitatos appellant; vel certa mensura comprehensi & ad illam concessi; an vero finiantur mari, freto, flumine, fossa, montium superciliis, quos arcifinios vocare solent: Tum quæ sit ratio freti & fluminis, an vacuum sit relictum, quod tamen vix præsumere licebit; an integrum fretum, vel universus fluvius ad unū populum pertineat, quod itidem raro contingit, cum non facile populus naturali terrarum suarum munimento, si quod habere licet, videatur velle carere; an vero in medio fluvii terminos ponere gentes voluerint, ut citerior ejus pars ad hunc, ulterior ad illum populum pertineat. Quando itaque populi confines se immediate tam per agros manufactis limitibus delineatos, quam certa mensura comprehensos attingunt, manifestum est termi-

(l) *German, l.1.*

terminos jam constitutos, flumen cursum mutans non mutare, ut recte observat *Grotius* (m), cum non per flumen intercedens, sed dicto agrorum genere sua Imperia & regiones finiri primo isti populi voluerint. Unde si fluvius per alluvionem aliquid ripæ apposuerit, vel si in eo enascuntur insulæ, illius erunt insulæ & alluvio, intra cujus limites, quales ante mutatum fluminis cursum fuerunt, sunt exortæ. Cum enim termini fuerint contigui, & adhuc tales concipiantur, nihil quoque ut vacuum, quod non ad alterutram gentem pertineat, concipi debet: Nisi facta ista fluminis mutatione aliter inter populos vicinos transactum fuerit. Ubi vero flumen intercedens vacuum esse contigerit, insulæ cedent occupantibus, alluviones populo cujus adjiciuntur ripæ. Cum enim contiguæ reddantur illius agris, ita ut continuatio quasi & extensio illius agrorum exinde proveniat, ad eundem quoque potius cum cujus terris conjunguntur, quam ad ulteriorem populum, à quo separantur, pertinere censentur. Id quod statuere quoque licet eo in casu, quo flumen integrum unius tantum populi esse probatur: Etsi enim insulas in tali fluvio exortas ille jure sibi vindicaverit, alluviones tamen ad ripam alterius gentis adjectas, ob dictam contiguitatem & exortam continuitatem ad illam etiam

(m) l. B. II. §. 16.

iam pertinere, ni pacta gentium istarum obstent, credimus. Maluerunt tamen gentes inter quas freta & flumina intercedunt, quibus separantur, habere agros arcifinios, sic ut flumen sui medietate eos dirimeret, ut proinde in eadem exortæ insulæ ad utramq; quoq; spectarent gentem. Ita Galliam & Hispaniam Bidassoa exigui nominis fluvius separat, in cujus medio cum Phasianorum insula sita sit, in ea, ut *Viliottus* (n) autor est, *ligneam & dividuam domum exstrui* placuit, *in qua consessus haberentur, ne quis ex Plenipotentiariis*, qui à Gallo, & Hispano Rege ad pacem ad montes Pyrenæos factam ineundam 1659. missi erant, *in aliam, quam in sui regis ditionem pedem immitteret.* Ita quod alluvionem attinet, quamdiu fluvius idem manet, cursumque non mutat, ad eam gentem, ad cujus ripam adjicitur, eandem pertinere, hoc ipso quia agros habet arcifinios, relinquitur. Quod vero datis iisdem, *flumen mutato paulatim cursu, mutet & territorii fines, & quicquid parti adjecit alteri, sub ejus sit imperio cui adjectum est*, ut *Grotius* (o) docet, hoc ideo videtur inter Gentes introductum, partim ut minuerentur controversiæ de terminis, cum dentur flumina quibus solenne est de ulteriori ripa aliquid decerpere & citeriori id adjicere, & contra; uti constat de Rheno; partim quod propter exiguum detrimentum, quod æque facile

n) *Var. Eur. Event. lib. 7 c. 9.*

o) *l. c.*

facile resarcire atque dare solet fluvius, nec gentium quietem tollere, nec termini naturalis commoditatem dimittere vellent.

§. 22. Memorabilis est disputatio, quæ ann. 1658. inter inclytas Septentrionis gentes Suecos & Danos, de Insula Wena in freto Danico, intercessit, illis ad Scaniam per tractatum Roschildensem sibi traditam, his ad Sialandiam eandem pertinere contendentibus. Urgebant Sueci, (p) *Gentium jure omnes insulas quæ peculiares provincias non constituunt, qualis erat Wena, pertinere ad illas, quibus quam proxime adjacent, nisi in contrarium manifesto queat evinci, vel per conventionem, vel longißimi temporis præscriptionem aliud quid circa easdem invaluisse.* Contendebant insuper *antiquos regni Suedici ac Gothici limites in medio freti Oresundici*, & sic arcifinios, *fuisse*, & proin Wenam ad Scaniam, ceu ei viciniorem, pertinere. Addebant, constare ex Actis antiquissimis, & tam Sueciæ, quam Daniæ regum diplomatibus, Wenæ insulam una cum Scaniæ terris, ceu illarum particulam fuisse alienatam, *idemq; cum Scania fatum subiisse*; quod etiam ex variis scriptoribus probatum ibant. Quanquam nec Danis suæ deerant exceptiones, & scriptores *comprehendentes Wenam sub descriptione Insulæ Sialandiæ*; (q) quos tamen ab erroribus non esse immunes, vel non satis probatos Sueci replicabant. Instabant Dani, *Iuri-*

p) *Vid. Expos. caus. quibus S. R. M. Suec. bellum contra Danos post Pac. Rosch. continuare &c.*

q) *l. c.*

Iurisdictionem sæpe nominatæ Insulæ, tam secularem quam Ecclesiasticam semper dependisse ab Insula Sialandia; Suecis id negantibus, & ex instrumentis publicis non semper ita fuisse evincentibus. Urgebant Dani, *habitatores istius Insulæ uti eadem lingua, & eadem dialecto cum Sialandicis, & quod uti cæteri Sialandi sint adscriptitii glebæ*; Suecis illud partim commercio frequentiori cum Sialandis, vel coloniæ Sialandicæ eo deductæ tribuentibus: hoc vero ejusdem quidem juris usum, non vero quod Wena Sialandiæ pars sit probare contendentibus: ceu Acta publica prolixius hæc exhibent. Aliam de Mona Insula in medio inter Britanniam & Hiberniam cursu, controversiam, ejusque decisionem

r) *Britann.* p. 724. explicat ex *Gyraldo Camdenus*: (r) Nimirum *cum medio libramine inter boreales Hiberniæ & Britanniæ partes porrecta, utri terrarum applicari de jure debuerat, ab antiquis non mediocriter ambigeretur, demum in hunc modum lis ista quievit; Quoniam advectos periculi causa venenosos hæc vermes admisit,* (quod de Hibernia

s) *Camden.* l. c. p. 680. negatur (s)) *eam Britanniæ applicandam censura communis dictavit.*

§. 23. An & *in mari jus finium* locum habeat, limitesque dari queant disquiritur? Sane cum inter litora mare intercipiatur, variisq; distinguatur tam majoribus quã minoribus insulis, scopulis, complura etiam ab utroquẽ litore in mare promineant promonto-

montoria, facile horum beneficio terminos in mari figere licebit. Ita, ut ex Transact. Procerum Scaniæ cum Magno Rege Sueciæ, & peculiari Danorum Regis Woldemar. Diplom. (t) constat, limites olim regni Sueciæ, quando Scaniam conjunctam habuit, *in ipso passagio Orasund* constituti sunt. Angli quoq; nupero cum Batavis A. MDCLXXIV inito fœdere, art. 4. (u) cum Belgis velorum demissionem inter promontorium, quod *Capo Finis terræ* dicitur, & Septentrionis insulam, quam *t' lant van staten* appellant, pactis limites juris maritimi Regis sui procul dubio designare voluerunt. Ipse etiam Cromvvellus post cruentum cum Hollandis bellum gestum obtinuit, ne intra decimum ab Anglia Milliare piscarentur. Beneficio deniq; Mathematicæ, graduum nimirum longitudinis & latitudinis, quod huic succurri possit difficultati, docet Selden. (x) & ex eo *Strauchius.* (y)

t) *Incit. Expos. caus. quibus S. R. Maj. Suec. bellum &c.*

u) *Instrum. Pac. inter Carol II. R. A. & Ord. Belg. Confœd.*

x) *Mar. Clauf. l. 1. c. 22.*

y) *Diss. Acad de Imp. Mar. c. II. §. 6.*

§. 24. Cæterum hæc terminorum atq; limitum, quibus humanum genus in diversos atque separatos cœtus distinguitur, constitutio, populos atque gentes non sic in arctum constringit, quasi ditionis terminos proferre ulterius nullo liceret jure. Modestiæ non præcepti naturalis erat, quod referente *Iustino,* (z) veteres bellum gerentes, *non imperium sibi, sed populis suis gloriam quæsiverint; contentiq; victoria imperio abstinuerint.*

z) *hist. l. 1.*

rint. Et quanquam recte dixerit de Cambysi apud *Herodotum*(a) Æthiopum Rex: οὔτε ἐκεῖνος ἀνήρ ἐστι δίκαιος. εἰ γὰρ ἦν δίκαιος, οὔτ' ἂν ἐπεθύμησε χώρης ἄλλης ἢ τῆς ἑωυτοῦ, οὔτ' ἂν ἐς δουλοσύνην ἀνθρώπους ἦγε ὑπ' ὧν μηδὲν ἠδίκηται, *non justus ille vir est. Si enim justus foret, non alienam regionem affectaret, sed esset sua contentus, nec homines à quibus nihil est lacessitus in servitutem redigeret*; *Cicero* (b) hinc etiam scripserit: *Quod si omnes populi, penes quos sit Imperium, ipsiq; Romani, qui orbem totum possedere, justitiam sequi velint, ac suum cuiq; restituere, quod vi & armis occuparunt, ad casas & egestatem revertentur*: Dantur tamen justi terminorum proferendorum & imperiorum dilatandorum tituli, ita ut gentes & cismarinas & transmarinas sub commune cogere liceat imperium, uti bonis artibus rem familiarem augere justum censetur; cum jure naturali, non sic positi sint termini, ne unquam mutentur. Referas huc illud *Senecæ*: (c) *Sicut sapiens nullum denarium intra limen suam admittet male intrantem: ita & magnas opes, manus fortunæ, fructumq; virtutis non repudiabit, nec excludet.*

a) l.3 c.21.

b) 3. de Rep.

c) de Vit. Beat. c. 23.

§. 25. Occupatio, quæ species est acquisitionis Originariæ, terrarum vacuarum, uti justa est; cum enim sint nullius, citra aliorum quibus in eas nihil juris est occupari poterunt iniuriam; ita juste hic titulus ad occupandum terras incognitas à gentibus

tibus aliis jam possessas non semper allegatur, cum præceptum I. N. de *abstinentia rei alienæ*, tam ignotos quam notos respiciat, barbarique vicissim idem jus nos, ceu sibi æque incognitos, invadendi allegare possint. Tantum abest ut hic occupationis titulus cum legibus naturalibus: *Neminem lædere*, & *unicuiq; suum tribuere*, conciliari possit. *In perniciem humani generis natam* Romam olim dixit *Arnobius*(d), quod ut *una emineret, orbem subjugaverit innoxium*: In qua etiam *Cyprianus*(e) *rupta hospitii fœdera ad copiam civitatis augendam* reprehendit; quod hic etiam dicere licet.

d) *adv. G. l. 7. in fin.*

e *de Idolor. Vanit.*

§. 26. Datur etiam justa occupatio illarum uti rerum, ita quoque terrarum, quæ dominum habuerunt quidem, sed quod derelictæ talem habere desierant (f), nullius factæ sunt, uti Longobardos Rugiam, deletis ab Odoacro Turcilingorum & Herulorum Rege incolis relictam, *quia erat solo fertilis*, occupasse tradit *Paul. Warnefrid.* (g): qui & Hunnos, Longobardis *relicta Pannonia cum uxoribus & natis omniq; supellectili Italiam petentibus*, in sedes illorum concessisse memorat (h); *eo licet ordine, ut si quo tempore Langobardis necesse esset reverti, sua rursus arva repeterent.* Quo pacto etiam satis declararunt Longobardi, qua ratione pro derelictis haberi vellent Pannonias, cum haud raro alias derelictio non sine er-

f) *Grot. l. B. P. II. 3. 19.*

g) *de Gest. Longobard. l. 19.*

h) *l. c. l. 2. c. 7.*

 rore

rore præsumatur, & jactetur, quod conjecturæ ad voluntatem derelinquentis, tacitumq; eius in rerum hactenus suarũ ab alio faciendam occupationem consensum evincendum, satis validæ deficiant.

§. 27. Quod si vero abundante multitudine, quod alimenta non omnibus sufficiant, vel alia gravis sic urgeat ratio, ver sacrum emitti debeat, ad alias quærendas sedes, quod *more quodam antiquitus à multis tam Græcis, quam barbaris recepto*, sæpius contigisse
i) l.1.c.16. *Dionys. Halicarnas.* notat; exeuntem multitudinem, ubi patrios reliquit limites, sui juris factam patriæ quoque imperio exi-
k) l.1.c.13. mi, olim apud *Thucydidem* (k) contenderunt Corcyrenses: οὐ γὰρ ἐπὶ τῷ δοῦλοι, ἀλλ' ἐπὶ τῷ ὅμοιοι τοῖς λειπομένοις εἶναι ἐκπέμπονται, *neq; enim ea re coloniæ emittuntur, ut serviant iis qui relinquuntur, sed ut sint pares.* Ita Carthago Tyriorum colonia pari cum conditoribus jure vixit, nisi quod Herculi Patrono decimam omnium quæ in proventuum rationem cadebant, Tyrum transmitterent, refe-
l) 20.14. rente *Diodoro* (l). Quod etiam de Gallis Germanisve, in varias terras abundante multitudine sese effundentibus, constat. Quanquam vero & hac lege coloni fuerint deducti, ut reverentiam civitati matrici ob memoriam & beneficium originis exhiberent, uti Athenienses hoc nomine Jonas,
m) l.1.c.146. suos, ut *Herodotus* (m) testatur, colonos, in

suas

suas partes apud *Iustinum* (n) solicitaturi, meminisse illos jusserunt, *an bellum inferre olim conditoribus suis cogitarent? an ideo mœnia illorum condidissent, ut essent qui sua delerent?* Licet denique & Romani colonias passim à se positas suæ Reipublicæ subiectas esse voluerint, ceu ex *Livio*, aliisque rerum Romanarum Scriptoribus satis constat, quod & de Gallorum, Hispanorum & Batavorum in Americam, aliasque orbis partes, deductis hoc & superiori seculo coloniis docet *Morisottus* (n), ut parti nimirum illis locis *imperii propugnacula* essent, uti loquitur *Machiavellus* (o): Ubi tamen multitudo egressa, quod domi habitare non potuerit, mero aliarum gentium beneficio & humanitati sedes referre tenetur acceptas, jure sibi in eandem, ceu Cives suos, à qua emissa est civitas imperium non arrogabit, vel ditionem suam extendi credet, cum civis qui profugit, vel bona pace abiit atque valedixit, vel domo est pulsus, ex quo in aliam civitatem sedes fortunarum transtulit, vel *in exilium h.e. alienam receptus est civitatem*, ut *Cicero* (p) loquitur, civitatem mutet priorem, suo partim & reipsa, partim ipsius imperii cui suberat facto.

§. 28. Existimat *Hugo Grotius* (q), *perpetuam habitationem his qui sedibus expulsi suis receptum quærunt, denegandam non esse externis, dum & imperium quod constitutum est subeant, &* quæ

n) *l. 2. 12. 3.*

n) *Orb. Maritim. l. 2. c. 8. c. 34 seqq.*

o) *Discurs. l. 1. c. 1. p. m. 5*

p) *Orat. XII pro Cæc. p. 302.*

q) *l. B. P. II. 2. 16.*

quæ alia ad vitandas ſeditiones ſunt neceſſaria. Sed cum multum referat, quos & quot in domum recipias, ne humanitas aliis exhibita tibi fiat pœnitenda; multo magis ex rationibus domeſticis diſpiciendum, an tota multitudo adventans intra ſinum & viſcera recipienda ſit, ne quod tibi innoxium eſſe debet, noxium fiat beneficium, præſertim cum tot extent omni tempore exempla, quæ multitudinem receptam genti recipienti finitimisque populis exitio fuiſſe docent. Eximium erat beneficium, & inſignis humanitas Spartanorum erga Minyas Argonautarũ poſteros Lemno pulſos; *receptos enim & agris impertierant & in tribus cooptarant*, referente ita *Herodoto* (r). χρόνε δὲ ὐ πολλῦ διεξελθόντος, αὐτίκα οἱ Μινύαι ἐξύβρισαν, τῆς τε βασιληΐης μεταιτέοντες, καὶ ἄλλα ποιέοντες οὐκ ὅσια, *non longo verò tempore ſtatim elati ſuperbia, cum alia flagitioſa perpetrarunt, tum regnum affectarunt.* Gothi metu imminentium Hunnorum, missis, ut autor eſt *Ammian. Marcellin.* (s) *ad Valentem oratoribus, ſuscipi ſe humili prece poſcebant, & quiete victuros ſe pollicentes, & daturos ſi res flagitaſſet auxilia*; ſed conceſſum Barbaris beneficium orbi Romano ſatis poſtmodum luctuoſum extitit. Tulit etiam Suathes in Pannonia olim late regnans pœnas apud *Bonfinium*, *Avarus nimia quadam animi liberalitate*, uti videri volebat, ſedes in ſuis terris imprudenter promit-

r) *l.4. c.145 ſeqq.*

s) *l.31 c.9 ad. Iornand. de reb. Get. c. 25.*

t) *Rer. Vngar. Dec. I. 1. 9. f. 131. ſeq.*

promittens. Et ut complura alia mittantur exempla, Germaniæ suæ ferocissimos hostes fovit *Arnolphus*, Ugris, qui ex Scythia adventantes in Sarmatia Europæa incertis sedibus vagabantur, certas sedes, uti *Aventinus* (u) tradit, destinans pro stipendio præstiti contra Suatabogum rebellem auxilii. Cum itaque peregrinum excipere sit officium humanitatis, & inter res innoxiæ utilitatis referri debeat, quando sine incommodo & periculo recipientis fieri id non potest, ut hoc ipso res innoxiæ utilitatis esse definit, ita postulanti, qui non nisi jus imperfectum habet, jure denegatur, cum nemini suum beneficium noxium esse debeat. Præclare *Seneca* (x): *Cum summa amicitia sit amicum sibi æquare, utriq; simul consulendum est. Dabo egenti, sed ut ipse non egeam. Succurram perituro, sed ut ipse non peream.* Unde & latrocinantium numero habitos observat *Bæclerus* (y), qui negantibus sedes armis extorquere conati sunt.

u) *Annal. Boj. l. 4. f.* 360. 363.

x) 2. *Benef. c.* 15.

y) *in Grot. I B. II. 2. 16. p.* 82.

§. 29. Justè etiam armis ditionum termini proferuntur, necessitate scilicet ita urgente, ut nimirum quiete & secure vivamus, saluti etiam nostræ hostium vires frangendo consulamus, inimicos reprimamus, & jus nostrum eaque quæ nobis debentur obtineamus, ita ut securitatis & quietis publicæ turbatores tandem deniq; subigantur, intra tẽperamenti tamen limites, quos pro-

 lixius

z) I. B. P. III. 15. lixius jam *Hugo Grotius* (z) explicavit, & intra quos se Carolus Magnus *Vrspergensi* (a)
a) *Chronic. f. m. 177.* continuisse dicitur, octennali bello edomitis Avaris *a Vulgaribus ideo manum retrahens, quia videlicet Hunnis extinctis, regno Francorum nihil nocituri viderentur.* Unde eximie B *Au-*
b) *de Civ. Dei 4. 15. & V. opp.* *gustinus* jus victoriæ, cuius præcipua capita sunt ultio & securitas, respiciens, scribit: *Iniquitas eorum cum quibus justa bella gesta sunt, regnum adjuvit ut cresceret: quod utiq; parvum esset, si quies & iustitia finitimorum contra se bellum geri nulla provocaret injuria: ac felicioribus sic rebus humanis omnia regna parva essent concordi vicinitate letantia. Et ita essent in mundo regna plurima gentium, ut sunt in urbe domus plurimæ civium.* item: *quia pejus esset, ut injuriosi justioribus dominarentur, ideo belligerare & perdomitis gentibus dilatare regnum, non incongrue dicitur felicitas.*

§. 30. Cum verò ut res aliæ, ita & *imperia alienari* possint, ut ab eo in cuius sunt dominio juste transferantur in alium, cum hic sit effectus dominii pleni, quod etiam plene habetur, ut quis rei alienandæ etiam facultatem habeat; citra injuriam ab eo qui jus & voluntatem alienandi habet, possunt quoque accepta ditionis prioris terminis adjici. Nec incognitæ sunt alienationes terrarum & principatuum per venditionem, dotem, testamentum & donationes factæ: Quæ tum validæ censentur, si ab illis

illis qui alienandi jus habent, secundum leges & mores populorum fuerint factæ. Qua etiam ratione Franciscus I. Francorum Rex Carolo V. Cæs. legibusque Madrilianis se satisfacere posse negavit, cum non esset in sua potestate, de regni Francici corpore membrum aliquod separare, nisi ejusdem membri, ordinum ac totius regni consensu, probata à *Bodino* (c). Referri huc possunt pacta Gentilitia, quibus illustres inter se familiæ conveniunt, ut deficienti superstes succedat; uti Ducibus Saxoniæ sic obtigit Comitatus Hennebergicus, & Marchionibus Brandeburgensibus Pomerania. Laudat *Albericus Gentilis* (d) verba *Cujacii, de alienatione rerum regni & ipsius regni* monentis, *quod etsi nulla lege speciali prohibetur, generali tamen omnium regnorum cum ipsis regnis nata, & quasi jure gentium videatur vetita.* Nimirum loquitur, notante etiam *Bœclero* (e) nostro, de alienatione quæ facto hominis fit; quanquam enim regnum quod plene etiam & absolute habetur, vel partem etiam ejusmodi regni alienare regi, invito etiam populo si N.I. spectetur, liceat, consuetudine tamen gentium ex æquitate rei profecta hoc jus ita temperatur, ut consensus civium hoc nomine etiam requiratur. Denique ut bene observat *Grotius* (f), *propriè cum populus alienatur, non ipsi homines alienantur, sed jus perpetuum eos regendi, qua populus*

(c) *De Rep. l. 5. p. m* 932.

(d) *de* I. B. *l.* 3. c 15.

(e) *in Grot. l.* II *p.* 210.

(f) I. B. *P.* L. 3. 12.

sunt; quos proinde sua jura, leges, formamq; regiminis retinere æquum est. Quod & tunc inprimis obtinere debet, si populus quondam sui juris sponte sua, eaque lege Reipublicæ alicui *se* adjunxit, *ne invitus à Republica abstrahatur, cujus imperium non coactus subierit*, uti de Pomeranis Suecis tradendis loquitur *Historia Pacis Westphal.* Id quod haud raro etiam ipsi conventionis formulæ inseri solet.

g) *l.3.p.258.*

§. 51. Cæterum cum accessorium qua tale &. per se, assumat naturam principalis, uti vendito principali, intelligitur etiam venditum accessorium, ita alienato principali, *Pertinentiæ* per se cohærentes, & eidem accessionis instar accedentes & conjunctæ, nec in feudum aliunde recognitæ, alienatæ censentur, ut occupari, vindicari & possideri queant, eademque pro illis dentur remedia juris, quibus uti licet pro principali, cujus induunt & sequuntur hactenus naturam. Ne verò interpretationis diversitas lites pariat, præsertim in re minus favorabili, bene in formula alienationis, appertinentiæ quasi haberi loco debeant, exprimitur; uti in *Tractatu Roschildens.* (h) & *pactis Tostrupiens.* (i) clare factũ A. 1658. cõstat, *quando Sueciæ Regibus & Regnis ceduntur provinciæ Halland, Scania, Bleckingia, Bornholmia, una cum omnibus ad dictas provincias, Regiones atq; Præfecturas pertinentibus urbibus, arcibus, castellis, ac muni-*

h) *Art. 5.*
i) *art. 8.*

munimentis, insulis, scopulis, Superioritatibus, Præeminentiis, regalibus, jurisdictionibus tam Ecclesiasticis quàm secularibus, censu, proventibus, vectigalibus, redditibus, ac juribus, tam terræ quàm mari, sicut olim Reges Daniæ ac Norvegiæ eas possederunt. Nullis exceptis, uti habent *Tostrupiensia* (k) *pacta*. Similem formulam, qua Livonia à Suecis per inducias possessa, *in plenum eorundem dominium & proprietatem cum omnibus pertinentiis* transfertur à Rege & Ordinibus Regni Poloniæ, exhibet *Instrumentum Pac. Olivensis* (l).

k) *l.c.*

l) *art. IV.*

§. 32. Ratio limites ponendi qua usus est Alexander VI. Pontifex, qui accepto globo à primo meridiano 180. gradus versus Orientem Lusitano Regi, totidemque versus Occidentem Hispano Regi attribuit, recte Gentibus improbatur ceu invalida, & circa aliena, in quæ nullum Pontifici Jus, facta, meritoque hoc nomine ab Attaliba Indorum Rege apud *Benzon.* (m) ceu arrogans irrisa, quam jam olim *Philippus Pulcher* Francorum Rex, exaratis ad Bonifac. VIII. literis, per Responsum tunc Pontifici datum, quo communis principum causa agitur, amentiæ arguit. Satis etiam inepte Nicephorus Græcus Imperator, referente *Aventino* (o), Helmogaudo Caroli M. Francorum Regis legato Saxonum ducatum donavit, *orbis terrarum Imperium se tenere* jactitans.

m) *Hist. Nov. Orb. l. 4. c. 3.*

n) *Vid. Nicol. Gill. Chron Gallic.*

o) *Anal. l. 4. f. m. 262.*

§. 33. Quorum verò populorum fines coarctari contigit, illi pro *amissu finibus recipiendis* antiquos limites nude allegatos valide non urgebunt, cum sicut integræ provinciæ & civitates, ita & jus veterum finium in alium transferri, aut ab alio teneri possit. Non quod justum, sed bellum spirabat olim Artaxerxes Persa ap. *Herodianum* (p,) *omnem Europæ oppositam continentem, quæ mari Ægeo fretoq; Propontidos terminatur, atq; Asiæ nomen habet, ceu veterem Persarum possessionem vindicare sibi conatus, quòd jam inde à Cyro, qui primus imperium à Medis in Persas transtulit, ad Darium usq; extremum Persarum Regem, cuncta olim Ionia Cariaq; tenus à Persarum Satrapis gubernarentur.* προσήκειν οὖν αὐτῷ Πέρσαις ἀνανεώσασθαι πᾶσαν ὁλόκληρον ἣν πρότερον ἔσχον ἀρχὴν, *proinde sui muneris esse curare nunc, ut vetus atq; integrum imperium Persis restitueretur.* Cum enim à Cyro condita Persarum Monarchia fuerit ab Alexandro eversa; nec Persarum Principibus, sed Alexandri successoribus debellatis, istas prisci & deleti Imperii Persici provincias Romani occupaverint; quî recentius hoc, novumq; regnum Persicum à priori plane diversum, jus aliquod in provincias nunquam ei conjunctas, ejusq; ditionis factas, pro se allegabit, cum nullam successionem in illius jura docere potuerit? Tantum abest ut

p) 6. *Hist. c.* 2 *ad. c.* 4.

eſt ut *Περσῶν προγονικῷ κλήματι, Perſarum poſſeſſiones à Majoribus acceptas* legitime jactaverit rerum ſucceſſu elatus Artaxerxes, novi imperii & populi princeps, quas eodem jure, h. e. nullo, ad ſe pertinere hodierni Perſarum Reges fingere poſſent. Continuavit eadem repetere & urgere Sapor datis ad Conſtantium Cæſ. faſtuoſis literis apud *Ammian Marcellin.* (q) quibus cordatam oppoſuit Imperator reſponſionem.

§ 34. Eadem *vaniloquentia*, ut loquitur *Tacitus* (s), Artabanus Parthorum Rex, *miſſis qui veteres Perſarum ac Macedonum terminos repoſcerent, ſe invaſurum Cyro poſſeſſa & poſt Alexandro* minatus eſt, diverſi extinctique imperii fines, quod ab ipſius regno plane diverſum, neque bello, neque hæreditate, neque alio quovis titulo unquam tenuerat, affectans. Conſtat etiam poſt mortē Alexandri M. Orientis regna ſic inter ſucceſſores ejus fuiſſe diviſa, ut pari ſummoque jure omnes regnarent, neutrique in alterius regnum juris quicquam eſſet, niſi quod vel armis, trāſactione, pactove &c. ſibi acquiſiviſſet. Unde non in cæteras imperii Macedonici provincias à Romanis poſſeſſas, ceu à ſuo regno avulſas, cum quo tamen, ex quo iſta diviſio Monarchiæ Macedonicæ in peculiaria diſtinctaque regna contigerat, nunquam fuerant coniunctæ, jus aliquod ſibi supereſſe iactare potuit Artabanus,

q) *Rer. Geſtar. l. 17. c. 10. ſeq.*

s) *6. Annal. 31. 3.*

nus, quippe quod nunquam habuit. Meliori titulo Romani ius aliquod in Parthorum regnum fingere poterant, ob debellatam à Pompeio Syriam, à *qua præsidiis Macedonum pulsus*, uti loquitur *Ammian. Marcellin.* (s) duce Arsace defecerant, quod illis non aliter elidere licebat, quam ut una suum jus in veteres Persarum & Macedonum terminos eliderent.

s) *l.* 23. *c.* 16.

§. 35. Quando etiam magna imperia dividuntur in partes, uti non solum Macedonicum, sed etiam Romanum Imperium non semel divisum constat: an vindicari provinciæ olim coniunctæ repetique queant, divisionis Tabulæ rite se habentes docebunt. Quod si divisio saltem concernat administrationem, quam oneris tantum à se ex parte amoliendi ergo cum aliis communicat Princeps, uti Diocletianus, cum per orbem Romanum omnia turbarentur, Maximianum Augustum, Constantium autem atque Galerium Cæsares creavit, ita tamen *ut ipsius nutu omnia gererentur*, uti *Aurelius Victor* (t) loquitur; vel uti Arcadius & Honorius *commune imperium, divisis tantum sedibus, tenuisse Paulo Diacon.* (u) dicuntur; ad unius imperii corpus omnes pertinere recte creduntur provinciæ, quicquid sit de titulis & rerum externarum specie (x): Ast si divisio vera sit, separata constituens regna, quorum uni nihil juris sit in alterum, uti inter

t) *de Cæsar. c.* 39. §. 4.

u) *Hist. Misc. l.* 13. *c.* 19.

x) *Grot. l. B.* 1. 3. 10.

inter filios distribuuntur bona parentum, sic ut per hæreditatem ad posteros transeant, qui unum regnum sui facit juris, non recte propterea se jus in cætera quoque, ceu ad occupatum pertinentia, habere dicet, ut proinde vana fuerit Solymanni Turci apud *Iovium* jactantia, *qui se unum esse ad quem Romanorum Imperium legitimo jure pertineret, dicere solitus fuisse fertur: Quoniam magni Constantini, qui universi orbis Augustus Imperator extitisset, sedem & sceptrum, atq; urbes ejus Imperij teneret, uti proavus Mahometes expugnata Constantinopoli, & Constantino supremo Græcorum Imperatore superato occisoque, hæc omnia jure belli capta Ottomannicis regnis adjecisset.* Cum enim Imperatori Constantinopolitano nihil juris fuerit in Occidentale Imperium, nec Orientali debellato illud ad se pertinere jactare poterat Solymannus. Transegerat quippe jam olim cum Carolo M. de Imperii finibus Nicephorus, cujus fœderis hæ memorantur conditiones: *Vt alter Orientis, alter Occidentis Augusti fratresq; essent, dicerenturque. Simul hinc à Neapoli, illinc à Siponto quicquid ulterioris Italiæ in mare procurrit, cum suis è regione insulis à Græco, reliquum à Franco jura peteret. Inter duo Imperia medius cardo Venetiæ, utriusq; Imperii Majestatem pie conservarent.* Taceo falsum esse, Carolum Augusti nomine in Occidente tenuisse, quicquid ibi possederat, eximie hoc observante B. *Bœclero* (z).

y) *Hist. l.* 30. *p. m* 411.

z) *Cæsar p.* 31.

§. 36.

§. 36. In terminis priſcis vindicandis non ſemper ſatis valide ad *Scriptores* provocare licet, quos non raro affectu abreptos, vel male informatos, vel alienam auctoritatem ſecutos, memoriæ acta tradere conſtat. Sueci ſane in controverſia de Huena Inſula, iſtorum ſcriptorum teſtimonio, quibus Dani inſulam de qua diſputabatur ad Sialandiam pertinere probatum ibant, ſuam prætenſionem eludi paſſi non ſunt (a), quod *non producerent teſtes, qui ortu Dani, patriæ ſuæ hiſtoriam rite edocti, & materiem iſthanc curatius proſecuti fuiſſent; ſed extraneos ſaltem & peregrinos, qui in rebus ſeptentrionalibus nullam omnino merentur fidem, nec adhibita diligentia, vel prævia quadam inquiſitione ſtatum horum regnorum deſcripſerunt.*

a) *Expoſit. cauſar. quibus S. R. M. Suec. bellū contin. &c.*

§. 37. Non etiam limites imperiorum & terrarum dependent *à moribus & linguis* gentium, cum partim ob commercia cum vicinis illorum mores & lingua aſſumi poſſint; partim quod gentium migrationes, & coloniarum deductiones, aliorum populorum mores & linguas immutare queant. Nec ideò intra Germaniæ fines Tranſylvania ſita dicitur, quod Germanica ibi auditur lingua. *Omnibus*, inquit *Conringius*, *ſeculis paſſim terrarum diverſæ linguæ, variorumque morum homines, in unam tamen Rempublicam coierunt.*

b) *de Fin. Imp. l. 2. 15.*

§. 38

§. 38. Quanquam vero *Tituli* nonnunquam jura & potestatem eius cui tribuuntur exprimere & significare soleant, ita ut denegato titulo eius quoque jura & prætensiones, qui illo utitur, hoc ipso in dubium vocari & denegari censeantur; attamen cum haud raro titulus maneat, & more prisco respectu juris cuiusdam retineatur, amisso cuius erat index jure; uti Johann. Casimirus Poloniæ Rex, etiã si vigore *Instrumenti pacis Olivensis*(c) *solenniter ex tunc & in posterum renunciarit omnibus prætensionibus in regnum Sueciæ & magnum Principatum Finlandiæ, in regnum Sueciæ ejusq; provincias & bona nil quicquam prætensurus; ad dies vitæ suæ tamen integris titulis & sigillis, insignibusq; regni Sueciæ, in Polonia & ad omnes Principes, status & privatos extra Sueciam usus fuit, etsi sine ullo plenariæ Renunciationis præjudicio*; ad vindicandos veteres limites ex titulo non semper licet jura repetere. Daniæ Reges adhuc hodie Vandalorum sive Venedorum titulo utuntur, quos tamen cum possessione, tum jure in illas terras *Conringius* (d) excidisse scribit.

c) *art.* 3.

d) *de fin. Imp. l.* 1. *c.* 16.

§. 39. Quæ bello capiuntur, uti *jure belli* victor in illa dominium, & exinde natum jus consequitur, ita pari jure iterum id potest amitti. Quod si verò fœdere & pacto inito, victori quoque jure belli possessa adscribuntur, hoc ipso altera pars in eius-

modi

cultates autem negotii explicant *Bæcler.* (g) *Histor. Pac. Westphal.* (h) *Galeat. Gualdus* (i). Ex quibus satis cognoscitur, terminos & limites imperiorum valide jam extendi, iam rursus coarctari, cum expressum intercedat pactum, cum expressa iuris in hos vel illos limites renuntiatione atque cessione coniunctum.

g) *Bell. Sueco Dan. p. 325. seqq.*
h) *p. 160. seqq.*
i) *Hist. Pac. ad montes Pyrenaos fact. 1659.*

§. 40. De *terminis* per complurium seculorum decursum *perditis*, litem possessori movere per tranquillitatem consociationis gentium non licet, nisi prior possessor, alterius possessionem, si non suscepta vindicatione, quæ ob eius maiores vires non semper satis consulte instituitur, certe contradictione & protestatione interrumpendo, ius sibi salvum retinuerit, animumque retinendi docuerit. Si enim privata rerum dominia ad minuendas lites inter cives certa esse oportet; multo magis ad publicam interest pacem, ad vitandam orbis concussioné, & sic ex legis naturæ instituto, possessionem limitum *memoriam excedentem, non interruptam, nec provocatione ad arbitrum interpellatam, Dominium transferre* (k). Unde cum Antiochus M. ut apud *Appian.* (l) legitur, *Æolas & Ionas, quasi ad jus ipsius, ut regis Asiæ pertinentes, repeteret,* ὅτι καὶ πάλαι τῶν τῆς Ἀσίας βασιλέων ὑπήκουον. *quandoquidem etiam majores eorum regibus Asiæ subditi fuerant*; Minioque instituta cum Romanis Legatis disceptatione,

k) *Grot. I. B. II 4. 9.*
l) *de bello Syr. f. 86.*

ptatione, idem juris esse Antiocho in Smyrnæos, Lampsacenosque, quod Romanis in Neapolitanos; Reginos & Tarentinos, diceret; Sulpicius dissimilem causam ostensurus, *ab Reginis*, inquit apud *Livium* (m), *& Neapolitanis & Tarentinis, ex quo in nostram venerunt potestatem, uno & perpetuo tenore juris semper usurpato, nunquam intermisso, quæ ex fœdere debent exigimus. Potesne tandem dicere, ut ii populi non per se, non per alium quenquam fœdus mutarint: sic Asiæ civitates, ut semel venerunt in majorem Antiochi potestatem, in perpetua possessione regni vestri permansisse, & non alias earum in Philippi, alias in Ptolemæi fuisse potestate: alias per multos annos, nullo ambigente, libertatem usurpasse.* Quod si tamen ignorantia aliqua antecedens, vel dolus alterius, causa diuturni sit silentii, sicut cæteris paribus excusationis, ita prætensi quoque juris ratio hinc nasci potest. Unde Estensis apud *Possevin.* (n) *præscriptam* Regii Gonzágis *erepti possessionem* asserturus contra Wenceslaum Imp. *etiam ignorationem Caroli IV. Imp.* silentio annuentis, *nullam fingi posse*, it probatum.

m) *l.* 35.

n) *Gonzag. l.* 4. *p.* 418.

§. 41. Derelictionis finium, quæ non facto fit, species est non præstita, cum præstari potuisset & debuisset, oppressis cura & defensio, ita ut illis ratio suæ expediendæ salutis fuerit relicta; nec facta amissorum finium repetitio. Derelicta hinc ab Imperio

perio Germanico censetur Livonia, cum Moscho immani rabie, quam *Chytræus* & *Thuanus* prolixius exponunt, sæviente, frustra implorata iteratis precibus Imperii ope, incolæ depellendis tot calamitatibus impares, quod surdas aures pulsarent, alii ad alios sese inclinaverint, *urgente necessitatis telo*, ut loquitur *Pastorius*(o), & , quæ de Revaliensibus verba sunt *Loccenii* (p), *in ultimo discrimine, cum nec ab Imperio Romano, quod ante agnoverant, nec à Cæsare Ferdinando dum bello Turcico districtus, aliuve auxilium aliquod afferretur, nec à propriis viribus, ullum salutis præsidium in promptu esset.* Ita Batavi, cum post contra Hispanos frustra imploratam Germaniæ opem deserti, sibimetipsis præsidio esse cogerentur, dum sic ab Imperio deserebantur, in omnimodam se vindicarunt libertatem.

o) *Flor. Polon. l. 3. c. 7. §. 5.*

p) *Hist. Suec. l. 7. p. 349.*

§. 42. Juste quoque repetuntur fines, quando vel terras alii concessas alienandi facultate destituitur imperans, vel si per dolum possessori alienatio persuadetur. Ibi enim actus nullus est ob defectũ facultatis agendi, hic quod cõsensus alienandi abfuisse credatur. Unde *Conring*(q), invalidas judicat tabulas Henrici Luxelburgici in Pontificem sane perliberales, *cum quod neq; Electorum, neq; reliquorum Imperii Principum consensu fuerint probatæ, tum quod certum sit, Imperatori fuisse dolose impositum à Legatis Pontificiis,*

q) *de Fin. l. 2. c. 20.*

quasi tantum juris Papæ competeret per antecedentium Cæsarum liberales donationes.

§. 43. Cum verò haud raro terrarum suarum terminis minime contenti, ditionis limites ulterius proferre studeant mortales, cum viris tum operibus fines munire solent Gentes, quo vim ex improviso imminentem arceant. Ita *ad Rheni tutelam, quem* cum *Danubio fines Romani Imperii* vocat *Aurelius Victor*(r), *libertino milite* usum Augustum, tradit *Suetonius* (s). De Druso *Florus* (t) autor est, *quod in tutelam provinciarum, præsidia atq; custodias ubiq; disposuerit, per Mosam flumen, per Albim, per Visurgim, quodq; per Rheni ripam quinquaginta amplius castella direxerit.* Ingruente in Italiam Hannibale, Cremona *Tacito* (u) dicitur condita, *propugnaculum adversus Gallos trans Padum agentes, & si qua alia vis per Alpes rueret.* Vallo limites sui regni adversus Francos vicinos olim munivit Godofredus Danorum Rex, qua de re ita Annales Nuenarij: *Limitem regni sui qui Saxoniam respicit, vallo munire constituit, eo modo, ut ab orientali maris sinu, quem illi osterfalt dicunt, usq; ad occidentalem Oceanum, totam Egidora fluminis aquilonarem ripam munimentum valli prætexeret: Una tantùm porta dimissa, per quam carpenta & equites emitti & recipi potuissent:* Additque qui eadem tradit *Aventinus* (y), *adgesta terra truncis, & stipitibus arborum compacta, ingens sepimentum surrexisse.* Simili munimen-

r) *de Cæsar.* c. 4.
s) *Aug.* c. 25.
t) *l.* 4 *c.* 12.
u) 3 *Hist.* 34. 1.
x) *ad an.* 808
y) *Annal.* 4. *f.* 270.

nimen-

nimento, quod conſtat ex nemoribus deſectis & vallis, quod à Wolga fluvio ad Boryſthenem uſque excurrere ajunt, contra irruptiones Tartarorum Crimmenſium Ruſſiam tutam præſtare conatus eſt Czar Fœdor Ivanovvitz. De *muro Pictico*, aliisq; ſive vallis, ſive muris, quibus receptam Britanniæ partem à ſolo Barbarico ſeparârant Romani, prolixe *Camdenus* (z) egit. Omnes tamen finium munitiones ſuperat famoſus ille *Murus Sinenſis*, ſtupendæ cum longitudinis, quæ ad 300. milliaria Germanica ſe extendit, tum altitudinis, qua ad 45. pedem Geometricum exſurgit, tum latitudinis, quæ inæqualis licet, plerisque tamen in locis altitudini quoad dimidiam partem reſpondere dicitur *Iohann. Neuhoff* (a) αὐτόπτῃ, cujus defenſio adverſus Tartarorum invaſiones numeroſiſſimæ hominum multitudinis (exercitui 1000000. militum *Neuhoffii* (b) calculo) commiſſa eſt.

z) *Britan. p. m. 642. ſeqq.*

a) *Itiner. Sinenſ. p. 210. ſeq.*

b) *l. c.*

§. 44. Etſi verò vicina gens torvo ſæpius oculo munitiones finium alterius, arcesque ad limites poſitas aſpiciat, ita ut nonnunquam armis obviam ire, quam periculo & metui ſe exponere velit. Unde Scytharum Rex apud *Curtium* (c) ratus, urbem, quam in ripa amnis Macedones condiderant, ſuis impoſitam cervicibus, emiſſa militari manu dirui eam juſſit. Verum cum quæ ſui juris eſt gens etiam jure muniendi gau-

c) *l. 7.*

deat, quî, si sui defendendæ causa de muniendis suis finibus fuerit solicita, ei defensionis huius, quando manet innoxia, instituendæ facultas denegari possit, non apparet. Si domicilia privata claudere soliciti est patrisfamilias, providæ gentis erit, de claudendis finibus contra vim iniquam & potentiorem, mature agere curam. Et quæ

d) l. 7. Polit. c. 11.

Aristotel. (d) de munitione urbium disputat, locum habere possunt in quæstione de muniendis terminis Gentium, quando inter alia sic philosophatur: πρὸς μὲν ἂν τὰς πολεμικὰς πράξεις, αὐτοῖς μὲν εὐέξοδον εἶναι χρή. Τοῖς δ' ἐναντίοις δυσπρόσοδον καὶ δυσπερίληπτον, *ad bellicas actiones civibus facilem ad exeundum urbem esse oportet; hostibus autem difficilem accessu, & talem ut vix cingi capique possit.* Cordate

e) 2. I. B. P. 22. 5.

proin *Grotius* (e), *quare* inquit, *minime est probanda eorum sententia, qui justam belli causam statuunt, si vicinus nulla pactione impeditus in suo arcem faciat, aut munitionem aliam quæ damnum aliquando dare possit.* Bene equidem se habent, quæ Dn. *Feldenus* (f) notavit, sc.

f) Not. in Grot. l. c. p. 421.

si attendamus studium augendi potentiam, quia illud vitium est corrumpens tranquillitatem societatis humanæ, nec Magistratus sunt, quibus id corrigi possit; non videri absurdum statuere, populum ad sui felicitatem & conservationem in tempore illi vitio occurrere posse: Nec cum *Grauvincke-*

g) Strict. ad cens. Feld. p. 222.

lio (g) ego *temerarium* hoc *effatum* dixerim. Verùm respondet jam ipse ad hanc exce-

ptionem

ptionem *Grotius*, nimirum *adversus tales metus contrarias in suo munitiones, & si qua sunt similia remedia quærenda esse.* Unde ut controversiæ vitentur, pacto inter gentes nonnunquam res solet transigi, ut Leopold. Imperat. induciis cum Turcis ann. 1664. initis, sibi in locum Neuheuselæ, à barbaris belli jure possessæ, novæ munitionis limitaneæ extruendæ facultatem expresse reservavit. Cæterum quæ de munitionibus urbium pro contraria sententia disquirit *Machiavellus*(h), examinata sunt à *Conring.*(i) & *Scipione Amirato* (k).

§. 45. Etsi vero mortales, secundum linguas & familias vel segreges, vel in diversas gentes coadunatos, discedentes, ut supra (l) diximus, communi parenti Noacho reverentiam & obsequium aliquod se debere credidisse fingamus; licet Nimrodus, à suis postmodum בל hoc est *Dominus* dictus, unde Græcorum Βῆλος, Latinorum *Belus*, rebellionis impiæ complura præmature ediderit specimina, per vim ad bellandum rudes sibi subjiciens: Mox tamen plena usi sunt libertate, facti extincto Noacho sibi invicem pares, solo Deo inferiores civitates. De quarum nominibus, nominumque mutationibus hæc scripsit *Iosephus*: (m) *Gentium quædam adhuc servant derivatam à conditoribus appellationem,* (de quibus Historia sacra (n)) *quædam etiam mutaverunt,*

h) *de Princ.* c. 10. p. 63. *de Rep.* l. 2. c. 24. p. m. 321.

i) *Animadv. in Princ. Mach.* p. 110. *seqq.*

k) *Discurs. ad Tac.* l. 19. *disc* 4. p. m. 317. *seqq.*

l) *Art.* 2. §. 18.

m) *Antiquit. Iud.* l. 1. c. 6.

n) *Gen.* 10.

nonnullæ in familiarem accolis, & notiorem vocem sunt versa, Græcis potißimum talis nomenclaturæ autoribus. Hi enim posterioribus seculis veterum locorum gloriam sibi usurparunt, dum gentes nominibus sibi notis insigniunt, dumq; tanquam ad suum jus attinerent mores quoq; proprios in illas invehunt.

§. 46. Cæterum Gentes quanquam, ubi in diversos cœtus & civitates abierunt, manserint à se invicem divisæ & separatæ, non tamen ista divisio, qualem ab initio habebat, diu retinuit faciem, æmulatione, ambitione atque avaritia quietem humani generis turbantibus, & in mutuam perniciem gentes concitantibus. Unde bella, clades gentium, migrationes, confusiones, integrarum etiam civitatum excidia exorta sunt, fortiore & potentiore infirmiorem sibi subjiciente, & in multitudine terrarum subactarum, terminorum prolatorum amplitudine gloriam positam credente.

§. 47. Denique hæc universalis civitatis divisio in complures cœtus & civitates particulares, externa tantum est, & in exteriori humani generis facie contingit, salva interiori indivisione atque consociationis internæ unitate, de qua supra; (o) uti salva unitate civitas in cōplures pagos, Regnum in diversos Ducatus, Principatus, quorum singuli secundum suos mores & leges vivunt, haud raro dividitur, ut infra patebit.

o) *Art. 1.*

ARTIC.

ARTIC. III.

De
Statu Gentium & Cœtuum, in quos humanum Genus dividitur.

§. 1.

COnſiderandum jam eſt, quis & qualis ſit ſtatus cœtuum in quos humanum genus dividitur, tam *in ſe* & abſolute, quam in ordine cœtuum ad invicem & *relate*. Ratio enim & fundamentum hic eſt non ſolum jurium, quæ gentes qua tales ad aliquid juſte & licite habendum vel agendum habent; ſed & officiorum, quæ gentes qua tales ſibi invicem debent; & cauſa actuum earundem publicorum, qui inter illas ad invicem exercentur. Notat quippe talem Gentium conditionem, quam non ſolum certa jura, ſed & certum genus actionum iſti reſpondentium conſequitur.

§. 2. Utroque modo Gentium ſtatus, vel *ut naturalis* ſive primus, vel ut *adventitius*, conſiderari poteſt. Ille exoritur, quando cœtus iſti diſtincti concipiuntur ſecundum eam faciem, quam ſtatim poſt univerſalis ſocietatis diviſionem naturaliter habuerunt, vel doctrinæ gratia habuiſſe fingun-

 tur;

tur; quæ hæc eſt: Quod ſint multitudines quædam hominum, neminis inter mortales imperio ſubjectorum, ſed ſui juris exiſtentium, quibus jus & facultas competit, res ſuas ex proprio adminiſtrandi & ordinandi judicio.

§. 3. Abſolute & *in ſe* conſideratus hic ſtatus Gentium *mere* quidem *naturalis* dici poteſt, inſigni tamen laborat imperfectione, per imperandi & parendi ordinem introductum tollendâ. Ex ſumma vero & illimitata qua gaudent libertate, non ſolum Gentes pares ſunt, non equidem quoad vires ſeu corporis ſeu mentis, quæ *Hobbio* (p) cordi eſt paritas, ſed quoad ſtatum & conditionem, jurisque æqualitatem, ita ut antequam peculiare aliquod factum & pactum humanum intercedat, quo gens in Gentem ſibi jus aliquod acquirit, vel ex maleficio & damno per injuriam ab altera dato id læſa conſequatur, nihil poteſtatis in eam habeat, aut jure ſibi arrogare queat, ſed potius cæteras Gentes æquo jure ſecum vivere pati debeat. Summitatis proin, ut ſic dicam, etiam æqualitatem paritas hæc infert, cum qua componi neſciunt, quæcunq; ſunt vicaria, aliunde conſtituta, precaria, revocabilia, prælationemque quandam atq; reverentiam, quæ ex ſtatu adventitio exoritur, continent. Complectitur præterea hæc libertas naturalis paritatem arbitrii in eligen-

(p) de Cive c. 1. §. 3.

eligendis, & agendis iis, quæ gens quævis ad ſui defenſionem, conſervationem & incrementa facere judicaverit.

§. 4. Ex quo tamen non conſequitur, quod hic ſtatus gentium atque cœtuum, in quos humanum genus univerſum dividitur, *relate* ſpectatus, Belli potius ſit, quàm pacis, aut quod Latrocinia in ſe invicem impune populi exercere queant; ſunt enim cœtus humani. Eximia eſt *Polybii* (q) Philoſophia, qua hunc gentium, *impudenter & ferina rabie* ἀναιδῶς καὶ θηριωδῶς, in ſe invicem, majorumque in minores graſſantium ſtatum, *piſcium vita* id comparatum, ἐν οἷς φασὶν ὁμοφύλοις ὄσι τὴν τοῦ μείονος ἀπώλειαν τῷ μείζονι τροφὴν γίγνεσθαι καὶ βίον, *inter hos enim etiam ejusdem generis minoris perniciem majoris eſſe ajunt alimentum ac vitam.*

q) *l.15. Hiſt. c.20.*

Non pudor & juſtum, non pax eſt piſcibus ipſis,
Fœdus amicitiæ longe, ſed bella capeſſunt,
Hoſtilesq; gerunt animos, fortiſſimus horum
Imbelles laniat piſces, & mergit in alvum:

Canit *Oppiani* (r) interpres *Laurent. Lippius* (s). Sicut enim per naturam homo eſt rationale & ſociale animal, uti ſupra (t) diſputatum, ita quia in particulares cœtus diviſi mortales naturâ non exuunt, ipſos cœtus & gẽtes, cum ex animalibus ſocialibus conſtent, ſociales eſſe oportet, quos recta ratio, nobiliſſima hominis potentia, quæq; in facultates inferiores ferociter ſæpenumero rebel-

r) *Alieutic. l.2.*
s) *p.m.17.*
t) *Art.1.*

rebellantes, imperio si velit gaudet, antequam armis res fuerit committenda, judicio primo exortis controversiis disceptare jubet. Eximie *Cicero*(u): *Duo sunt genera decertandi. Vnum per disceptationem, alterum per vim; cumq; illud proprium sit hominis, hoc beluarum: confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore.*

u) 1. *Offic.*

§. 5. Huic statui naturali, quem sic distinctioris doctrinæ ergo concipimus, uti scientiæ Naturalis Doctores eandem materiam ut primam & secundam pro diverso statu considerant, succedit status *adventitius*, quo ille ceu imperfectior perficitur, qui & ipse, etsi non mere, *verè* tamen *naturalis*, à natura scilicet intentus, dici potest. Introducitur quippe per eum ordo imperandi & parendi, sic ut in civitates & Respublicas conjunctæ coëant familiæ, dum vel uni summi vis imperii obtingit, cæteris obsequii gloria relicta; vel primoribus, vel populo. *Nam*, ut *Tacitus*(x) loquitur, *cunctas nationes & urbes populus, aut primores, aut singuli regunt*; id quod per factum aliquod humanum fieri necesse est. Unde & mutationibus variis Gentes & Civitates redduntur obnoxiæ. Hinc, ut *Polybius* (y) loquitur, πολιτειῶν ἀνακύκλωσις. hinc illa φύσεως οἰκονομία, καθ' ἣν μεταβάλλει καὶ μεθίσταται, καὶ πάλιν εἰς αὑτὰ καταντᾷ τὰ κατὰ τὰς πολιτείας, *ille naturæ ordo, per quem Rerumpublicarum*

x) 4. *Annal.* 33. 1.

y) *l.* 6. *c.* 7.

rum ſtatus mutatur, transformatur & rurſus eodem redit.

§. 6. Abſolute & in ſe conſideratus hic ſtatus, eſt primò & per ſe ſtatus libertatis, quo quæ in tali vivunt Gentes & Respublicæ ſoli Deo ſunt ſubjectæ, ita ut immunes ſint ab omni imperio humano. Cum enim ſtatus hic adventitius ſtatui Gentium mere naturali ordinem imperandi & parendi introducit, libertatem quam invenit per ſe non tollit, ſed ſaltem bene ordinat. *Nihil* enim, ut recte *Cicero* diſputat, *tam aptum eſt,* z) 3. de LL.
ad jus conditionemq; naturæ, quàm imperium: ſine quo nec domus ulla, nec gens, nec hominum univerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt. Unde quæ ſunt libertatis in ſtatu naturali, ea quoque per ſe manent jura eiusdem in ſtatu adventitio, ita ut populi & civitates liberæ ex ſuo arbitrio ea quæ ad ſui defenſionem, conſervationem & incrementa honeſte pertinere cenſent, facere, formamque regiminis quæ illis placet introducere poſſint: Cum hic ſit character libertatis, habere facultatem ex proprio aliquid agendi & diſponendi arbitrio, quæ hinc *Platoni* (a) dicitur αὐτοκράτεια a) Def. f. 748.
ἐπὶ παντί. Ἐξουσία τοῦ καθ' ἑαυτὸν ἐν βίῳ. ἀφειδία ἐν χρήσει καὶ ἐν κτήσει, *ſumma in ſeipſo cujuslibet rei poteſtas: in unoquoq; ſita poteſtas vivendi ut velit: Libera facultas opibus uſu & poſſeſſione fruendi*; ut proin jure alii non intercé-

tercedere possint, cum summitatis æqualitatem etiam inferat hæc Gentium libertas.

§. 7. Hæc libertas & summitatis æqualitas etiam in gentes *Barbaras*, & servili potius quam ad libertatem nato ingenio præditas cadit, quamdiu alias gentes æquo secum jure vivere permittunt, cum ob legem de *abstinendo à re aliena*, & sic quoque à juribus aliorum, tum ob Justitiæ officium, quo unicuique suum, & sic etiam jura libertatis quæ ei competunt, tribuere tenemur. Agesilaum quidem *Plutarchus* (b) dixisse refert, τοὺς τὴν Ἀσίαν κατοικοῦντας, ἐλευθέρους μὲν κακοὺς εἶναι, δούλους δὲ ἀγαθούς; *Asiæ incolas si libertate fruerentur, malos, si servirent bonos esse.* Verùm, ut recte excipit *Grotius* (c), *non si quid alicui est utile, id statim mihi licet ei per vim imponere.* Et si vel maxime singuli Gentis alicuius homines servitutem ament personalem, naturali tamen libertate omnes qua integrum generis humani cœtum & populum constituunt, exuere propterea non licet, cum eandem sub suo Rege, qui sui juris est, servire queant servitutem. Taceo quod non detur gens, in qua non invenias, qui cæteris imperare queant, uti non solum exemplo Cappadocum, hominum plane servilium apud *Strabonem* (d), sed & Barbararum, Africæ v. c. Gentium, de quibus *Dapperus*, (e) patet.

§. 8. Salva tamen hac æqualitate Gentes,

b) *tom. 2. opp. Apophth. f. 190.*

c) *I. B. P. II. 22, 12.*

d) *l. 12. Geogr.*

e) *Afric. & Americ. descript.*

tes, Regesque, & qui par Regibus jús obtinent, non quidem pœnas poſcendi jus habere ob injurias ad ſe non pertinentes, ſed in alios contra naturæ & Gentium jus immaniter commiſſas, intercedendi tamen ejusmodi aliorum populorum factis facultate gaudere exiſtimamus: Illud enim jure & poteſtate ſuperioris, hoc paris eſt: Illud judicis eſt, hoc amici & fratris, quales omnes ſumus. Et quî non Genti Gentem ex communi ſocialique, quem invicem debemus, dilectionis affectu, honeſtatisque publicæ amore, ſcandali etiam dati avertendi, ſeductionisque ſuorum impediendæ ergo monere, & in ea emendare liceat, quod honeſtati publicæ, utilitati proximi, aut gloriæ Dei injurium eſt? pari in parem hoc permittente ex Theologis B. *Hülſemanno* (f); cum & hic, quin illud *Pauli* (g) locum habeat, nil obſtet: *Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum*, μᾶλλον δὲ καὶ ἐλέγχετε, *magis autem redarguite.* Quale verò hoc commune charitatis lege naturali præceptæ officium ſit, explicat *Iſocrates* (h): *Δίκαιον τοὺς ἐπ' εὐνοίᾳ νουθετοῦντας μὴ μόνον κατηγορεῖν τῶν πεπραγμένων, ἀλλὰ καὶ συμβουλεύειν, ποίων ἀπεχόμενοι, καὶ τίνων ὀρεγόμενοι παυσαίμεθ' ἂν ταύτην ἔχοντες τὴν γνώμην, καὶ τοιαῦτα ἐξαμαρτάνοντες, æquum eſt eos qui ex animo conſultum aliis velint, non tantum acta reprehendere, ſed etiam monere, quæ fugienda, quæ ſequenda ſint, ut mu-*

f) *de Corrept. Frat. p. 6. 35.*
g) *Epheſ. 5. 11.*
h) *Orat. de Pac. p. m. 317.*

ut mutatis tandem consiliis talia delicta comprimantur. Unde populum sanioris mentis apud populum sacrificiis v. c. humanis, aut esui carnium humanarum deditum, ad impietatem & feritatem hanc omittendam intercedere posse censemus eo jure, quo olim Ecclesiæ particulari, ejusque Doctori, licuit alienæ Diœceseos Ecclesiam ejusque Doctores, cum ob doctrinæ errores, tum ob morum vitia corripere; belli vero inferendi jus plenum non nanciscitur Gens, si amica correptione intercedendo, alterius publica, & non sine scandalo aliis gentibus dato commissa scelera reprimere non possit, nisi alterius immanitate læsa, vel à læsa gente in auxilium fuerit vocata, cum par paris judex non sit. Quòd si verò cum tali Gente, immani furore in Naturæ jura delinquente, bellum sit justa de causa gerendum, victorem victos ad scelerum consuetudinem exuendam cogere posse, dubium non est. Ita Alexander, *Plutarcho* (i) autore, *Sogdianis persuasit, ut alerent, non interficerent patres: Persis ut venerarentur, non uxorum loco haberent matres.* Eodem (k) memorante, Gelo cum devictis Carthaginiensibus pacem componens, *ἠνάγκασεν ἐγγράψαι ταῖς ὁμολογίαις, ὅτι καὶ τὰ τέκνα παύσονται τῷ Κρόνῳ καταθύοντες, coëgit eos inter conditiones pacis hanc quoque adscribere, ipsos in posterum Saturno liberos nunquam immolaturos esse.*

(i) de Fortun. Alex. Orat. I. f. 328. t. 2. Opp.

(k) ib. Apoph. f. 175.

§. 9.

§. 9. *Hugo Grotius* (l) *Reges, & qui par Regibus jus obtinent, jus habere pœnas poscendi* contendit, *ob injurias, quæ in quibusvis personis jus Naturæ aut Gentium immaniter violant:* Secutus *Albericum Gentilem* (m), qui *homines ferarum modo magis, quam hominum viventes, sine ulla omni religione, quasi piratas, communes hostes omnium bello persequendos, & cogendos in mores hominum* arbitratur, *quod videantur injurij omnibus hominibus.* Concedit idem de *atrocißimis sceleribus* gentium *Richard. Zouchæus* (n). Verum ut taceam, Religionem doceri, argumentisque suaderi, non verò cogi posse aut debere armis, cum non tantum voluntatis, sed etiam intellectus negotium sit; non sane apparet, qua ratione illi qui sunt in suos tantum injurii, hoc ipso statim injurii, & hostili in universum humanum genus animo esse censeri debeant, cum piratis comparandi. De hoc enim dubium non est, armis vindicari posse immanitatem, quamprimum aliis noxia esse incipit, uti *piratæ sublatis commerciis rumpunt fœdus humani generis*, uti *Florus* (o) loquitur, qui proinde secundum veterum formulam, rectè à *Loccenio* (p) *hostes publici* appellantur. Nec est quod *Grotius* (q) & *Zouchæus* (r) excipiant, *libertatem humanæ societati per pœnas consulendi, civitatibus & judiciis institutis penes summas potestates resedisse, non proprie quà aliis imperant, sed quà nemini parent;* conjungi enim

M hæc

l) *I.B.P. II. 20.40.*

m) *I.B.I.I. p. 65.*

n) *de Iure Fecial. P. II. s.7.1.p.242.*

o) *3. 6.*

p) *de Iure Marit. l. 2. c.3.n.1.*

q) *l. c.*

r) *l. c.*

hæc debent non ſeparari, cum imperio quod nulli eſt obnoxium, primo & per ſe jus puniendi ſuos competat. Et licet qui nemini parent, reparationem damni ſibi per injuriam dati, & cautionem de non lædendo in poſterum, bello à ſe invicem exigere queant, ubi tamen *in alium, cujus defenſio mihi peculiariter commiſſa non eſt, fuit peccatum, illius ultionem non magis extra cauſam fœderis mihi arrogare poſſum, quam jus dicere illis, qui mihi nō ſunt ſubjecti*, rectè ait *Pufendorf.* (s) intercedere autem pro alio licet. Reſpondemus hoc etiam *Grasvvinckelio* (t), cui *quod ſocietas quadam omnibus hominibus inter ſe ſit, non licere tantum, ſed in laude quoq; eſſe videtur, ſi genti injuſte oppreſſæ ſuccurratur.* Univerſalis enim hæc humani generis quæ fit ſub divino imperio, conſociatio inter cœtus, in quos humanum genus dividitur, non ad invicem introducit jus *Rectorium*, ſed *Æquatorium*, quod pro injuſte oppreſſis quidem intercedere, eosdem in tutelam & clientelam contra vim iniquam ſuſcipere, auxiliumque efflagitantibus ſubmittere concedit, non verò acceptas injurias illorum nomine ulciſcendi jus ſibi arrogare, aut pœnas ab illorum hoſtibus, in jus naturæ & Gentium iniquis, poſcere imperat aut permittit. Unde *Cicero* (u) *ſecundum naturam eſſe* ait, *pro omnibus gentibus, ſi fieri poßit conſervandis, aut juvandis, maximos labores, moleſtiasq; ſuſcipere:*

s) *de I.N.G.* 8.3.7.

t) *Strict. contra Feld. p.* 217.

u) *Offic. p.* 56.

pere. Ex Christianis *Lactantius* (x) ita scri- x) *l.6.c.10.*
bit: *Deus quia hominem nudum fragilemq; formavit, ut eum sapientia potius instrueret, dedit ei præter cætera hunc pietatis affectum, ut homo hominem tueatur, diligat, foveat, contraq; omnia pericula & accipiat & præstet auxilia.* Ita Romani implorati intercesserunt per Legatos pro Asiæ civitatibus apud Antiochum, τὰς ἐν Ἀσίᾳ πόλεις ὧν Φίλιππος ὁ Μακεδὼν ἦρχεν αὐτονόμους ἐᾶν. οὐ γὰρ εἶναι δίκαιον, Ἀντίοχον κρατεῖν ὧν Φίλιππον ἀφείλοντο οἱ Ῥωμαῖοι, *Asiæ civitates quas Philippus Macedo tenuerat, libertati suæ relinqueret. Inique enim usurpari ab Antiocho, quæ P.R. Philippo ademerit,* uti refert *Appianus* (y). y) *de Bell. Syr. p.87.*

§. 10. Paritatem Gentium & Rerumpublicarum, quæ sui sunt juris, non inæqualitas potentiæ minuit, cum infirmior hoc ipso non sit inferior, quod vires agendi nec summitatem constituant, nec jus in armis positum sit. Barbare olim *Brennus* apud *Livium* (z), *se in armis jus ferre, & omnia fortium* z) *l.5.*
virorum esse dixit. Non etiam amplitudo & multitudo provinciarum potiorem Domino istarum contra cæteros minus potentes, largitur dignitatem sive *præcedentiam* (a), a) *contra Fernand. Vasq. C. Ill. Præf.n.79.*
frustra eandem Hispano contra Gallum hoc nomine apud gentes urgente; Venetis, Polonis apud *Thuanum* (b), Pontifice etiam apud *Iustinianum* (c), pro Rege Francorum; Anglis quoque pro suo Rege apud b) *l.20. Histor f.622. l.56.f.951.* c) *Hist. Venet.l.15.f.514.*

 Metera-

d) *l.21. Hist. Belg. f. m. 96. seq.* *Meteranum* (d), contra Hispanum pronuntiantibus, negantibusque, *ob pluralitatem dignitatum aliquem esse præferendum, si nulla per se sit sufficiens ad præcedendum*, uti refert
e) *l.c. p.180.* *Zouchæus* (e). Multo minus eadem potentiorem, quoad imperii jura superiorem infirmiore constituet, cum regionum multitudine & terrarum spatiis immensis ista non definiantur. Unde cordate Eumenes
f) *Eumen. f.589.* apud *Plutarchum*, (f) etsi fractis rebus arcem tantum, in quam cum suis se receperat, haberet reliquam, *mandante Antigono Asiæ Rege, ad se sicut superiorem ut veniret*, ὐδένα (εἶπεν) ἐμαυτοῦ κρείττονα νομίζω, μέχρις ἂν τοῦ ξίφους κύριος, *neminem*, inquit, *quousq; gladii compos ero, me censeo superiorem.*

§. 11. Nec qui dignitatis prærogativam aliquam concedunt aliis Populi & Respublicæ, suam hoc facto imminutum eunt paritatem, sive id fiat ob ipsam majoris dignitatis substantiam, uti Regibus cedunt Duces, seu propter Gentis & Reipublicæ antiquitatem, sive ob inæquale fœdus, quod
g) *l.1. I.B.3. 21.* uti *Grotius* (g) loquitur, *ex ipsa vi pactionis manentem prælationem quandam alteri concedit.* Imperii reverentiam alias appellant. De
h) *de Bell. Punic. p.20.* Masanissa etiam *Appianus* (h) tradit, quod fuerit τὸ ἀξίωμα τῆς πόλεως αἰδούμενος, *majestatem Carthaginis reveritus*, etsi ea tempestate in castris Scipionis in Africa degeret, eaque sequeretur. Vicinos quoque Imperio

rio Germanico quondam florenti Reges, per legatos *cum debita reverentia & obsequio se frequentasse* scribit apud *Otton. Frising.* (i). Conrad. Cæs. ad Johann. Constantinopol. Imperatorem, quæ tamen regum istorum, quorum meminit, subiectionem minime arguunt. Talis enim concessa prærogativa, uti per se non minuit summitatem imperii, cum qui autoritate & dignitate superiorem agnoscit, nō hoc ipso agnoscat superiorem potestate; ita nec ex illa exorientem paritatem. Quam etiam non exuunt, qui vel ad redimendas tantum injurias, vel ad auxilia comparanda, certam pecuniæ summam aliis pendunt. Ludovicus XI. Francorum Rex prudentissimus, Anglorum Regi Eduardo, *Cominæo* (k) autore, *pensionem quinquaginta aureorum millia quotannis Londini persolvit*; qua pruritum Anglorum bellandi sedaret, eo securius Burgundicas res cæso Carolo observaturus, Anglo minime inferior factus, vel de dignitate sua aliquid delibans.

i) *de Gest. Frid. I. c. 23.*

k) *Commēt. l. 8. p. m. 614.*

§. 12. Cæterum uti nec summum desinit esse imperium gentis, licet ejus, penes quem illud residet, potestas pactis & conventionibus limitetur & restringatur; ita quoque non par esse desinit eadem, aut qui eam repræsentant Princeps, vel imperantes, aliis populis aut imperantibus. Etsi enim quando imperium non plene habetur, & promissis restringitur, id quodammo-

l) l.l.B.3.16. do coarctetur, sive, ut *Grotius* (l) loquitur, *obligatio duntaxat cadat in exercitium actus, sive etiam directe in ipsam facultatem*, quo minus tamen neminem præter Deum atque ensem superiorem agnoscendo, aliis quoad summitatem par sit & dicatur, nil obstat. Sicut enim imperium quod inter plures dividitur non desinit penes singulos, divisum licet, esse summum; ita nec summitas amittitur penes unum aut plures existens, coarctetur licet: Sive lato & libero, sive coarctato & impedito alveo labatur fluvius, idem manet.

§. 13. Libertate hac excidunt gentes & civitates aliæ plus, aliæ minus, aliæ juste, aliæ injuste. Aliæ subjiciuntur bello, subjectione nunc civili retenta personali libertate, sic ut vel victor directum Dominium, supremumque retineat imperium, concesso genti victæ, ejusque imperanti, subalterno: vel ut victis omne eripiatur imperium, sic tamen ut circa res privatas & publicas minores illis suæ leges, suique mores atque magistratus relinquantur (m): Aliæ subjiciuntur subjectione mere herili, erepta omni penitus libertate, suæque Reipublicæ administrandi potestate, uti Turcarum Sultano serviunt gentes devictæ. Brutiis, *Appiano* (n) autore, *pars agri adempta, armaq; erepta, omni etiam militia illis interdictum, ὡς οὐδ' ἐλευθέροις οὖσιν, ut qui jus libertatis amisissent: Romanos etiam Consules in provincias euntes ad publica*

m) Grot. 3. l.B.15.10.

n) de Bell. Annib. p. 348.

blica munia obeunda, famuli veluti ſequi juſſi ſunt. Alibi miſcetur imperium, civile cum herili, relicta aliquali libertate perſonali, potioribus verò juribus ademtis, regentisq; utilitati adſcriptis; quanquam & hic nonnunquam ſchematibus libertatis illudi, eximie paſſim *Tacitus* doceat.

§. 14. Conſtat etiam miſceri varie gentes, victosque cum victoribus, exterosque cum domeſticis, apud quos inſtitutis migrationibus ſedes occuparunt, in unum cœtum coire, iisdem legibus & jure utendo, genusque & ſanguinem miſcendo. *Rumor inceſſerat*, inquit *Tacitus* (o), *fore ut disjecti, aliisq; nationibus permixti* (Thraces) *diverſas in terras traherentur.* Ita Hiſpaniam diverſo tempore ingreſſi Romani, Gothi, Vandali, Arabes, Mauri, ſic inter ſe mixti ſunt, ut hodie ſanguinis hujus omnes ſint qui Hiſpani dicuntur: Malint licet Nobiles in Hiſpania non aliunde, quam à Gothis genus ſuum derivare. In Anglia genus ſanguinemque miſcuerunt Britanni, Angli, Saxones, Normanni, ex quibus hi etiam lingua Anglo-Saxonica extincta Normannicam introducere laborarunt. Diverſam hæc commixtio à priori reddit gentem, nomine ut ſæpius, ita indole atque habitu animorum, moribusque diſtinctam. Nec enim Græci hodierni ſunt, qui fuerunt Themiſtoclis, Ageſilai, Epaminondæ ætate, ita ut jam olim a-

(o) 4. *Annal.* 46. 4.

p) 2 *Annal.* §§. 1. pud *Tacitum* (p) Piso Athenienses insectari non dubitaverit, quod non forent *Athenienses tot cladibus extincti, sed colluvies nationum*; licetque eodem natos se solo quod incolunt olim gloriati sint, qui tamen ex variis Græciæ gentibus, quarum homines Athenas se conferebant, illorum res auctæ fuerint, *Thucydides* (q) tradit.

q) *l. 1. Bell. Pelop. ab init.*

§. 15. Datur etiam unio Gentium, ut maneat quæque integra & à cæteris distincta civitas. Sic Septentrionis regna, Suecia, Dania, Norvvegia in Margaretha, *hæreditatis* partim, partim *Electionis* titulo unita constat ex *Loccenio* (r): Unionis capita idem explicat (s). Ungaros & Polonos in Uladislao communi rege electo conjunctos tradunt *Bonfinius* (t) & *Pastorius* (u). Jacobus VI. Scotus successor declaratus ab Elisabetha Angliæ Regina, eam *Thuano* (x) & *Meterano* (y) autoribus, in animo habebat unionem regnorum, ut *abolitis Anglorum & Scotorum nominibus, vetus Britanniæ magnæ nomen in usum revocaretur, eademq; utriusq; gentis leges & jura forent.* Cum verò hanc unionem suis non carere difficultatibus & incommodis Angli docerent, tenuit tandem hoc *autoritas Regis, ut magnæ Britanniæ nomen reciperetur, & unio regnorum unius nominis appellatione sanciretur* (z); ita ut *Anglia & Scotia duo distincta regna manserint: Utrumq; etiam regnum proprias coronas, proprias leges, propria & distincta sigil-*

r) *Histor. Suec. l. 3. p.* 110. 118.
s) *l. c. p.* 121.
t) *Rer. Ung. Dec.* III. *l.* 4.
u) *Flor. Polon. p.* 149.
x) *l.* 131. *f.* 1100.
y) *Histor. Belg. l.* 28. *f. m.* 279.
z) *Thuan. l.* 5.

sta sigilla obtinuerit, uti disputatur apud *Zouchæum* (a). Duravitque hæc unio regnorum Britannicorum, etiam Tyrannis eadem vexantibus, Scotis Carol. II. *regem Scotiæ, Angliæ & Hiberniæ fecialium præconio declarantibus* apud *Bateum*, (b) Anglis verò Cromvvellum Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ Protectorem cōstituentibus (c). Matrimonii vinculo Angliæ regnū cæteris Hispaniæ & Italiæ, Indorumque regnis cōjungere, tentarunt Philippus Hispanus, & Carolus V, ejus parens. Carolum M, tradit *Aventinus* (d) tentato cum Irene connubio, simul cum Ocidente Orientem connectere voluisse. Fœdere etiam, aliisque modis, ejusmodi gentium uniones fieri non repugnat; exemplo fuerunt olim Achæi, hodie sunt Helvetii & Belgæ. Quæ tamen fœdera uti suis non destituuntur commodis, ita præprimis inter gentes magna locorum intercapedine à se invicem separatas, diversisq; moribus, indole, legibus & religione gaudentes, multiplici laborant incommodo. Sigismundus certe Sueciæ Princeps cum patrio regno Polonos conjuncturus, gentes lingua, moribus, animorum habitu, institutis, & religione diversas, Sueciæ regno non solum excidit, sed & posteros atroci cum Suecis bello exposuit. Obligationis capita, quibus tam Sueci quam Poloni rebus suis studentes, illi abeuntem, hi adventantem

a) *de Iure inter Gent.* *Part.* II. *s.* 2. *q.* 11.

b) *Elenchi Mot. Anglic.* P. II. *p. m.* 97. *seq.*

c) *ibid. p.* 252

d) *l.* 4. *f.* 261.

Principem constrinxerunt, exhibet *Loccenius* (e). Unio denique hæc gentium, uti alibi laxior, in communi scilicet tantum capite, alibi arctior, etiam quoad ipsas gentes inter se existit, ita variant jura civium & subditorum, ita *ut in altero regno natus, in alio jus quoq; subditi obtineat, in alio non obtineat* (f): quæ ex tabulis unionis sunt decidenda.

e) *Hist. Suec. l. 7. p. 405. seqq.*

f) *Zouch. l. 5. p. m. 134.*

§. 16. Trajectas sæpe à victoribus, & transplantatas quasi gentes commemorant historiarum Scriptores. De Helene Deucalionis filio, ejusque liberis, autor est *Thucydid.* (g) quod Græciæ gentes sic transplantarint: Notatque *Tacitus* (h), vulgatam Rom. Imperatoris vocem, *ut quondam Sugambri excisi, & in Gallias trajecti forent, ita Silurum nomen penitus extinguendum*: quod ad debilitandam gentem ferocem, & ad vires quo minus novos excitet motus succidendas, victori suæ securitatis causa facere licere, dubium non est. Dispergi etiam gentes, docet miserabilis Thebanorum, diruta urbe *sub corona* Alexandri jussu *venditorum*, status apud *Iustinum* (i). Fata hæc etiam fuere, & adhuc sunt Ebrææ gentis, inter cæteras orbis partes dispersæ, summoque imperio destitutæ, ubique servientis; quæ uti legibus & statutis civitatis in qua vivit tenetur, ita vicissim quæ ex jure Naturali & legum civilium favore ei debentur officia expectat, publica ex gentium jure tractare negotia,

g) *Hist. l. 1. f. 2.*

h) *Annal. 12. 39. 3.*

i) *l. 11. c. 4. 7.*

cum

cum non à cæteris distinctum humani generis cœtum constituat, incapax.

§. 17. Consideratur præterea status gentium etiam *relate*, vel *in ordine ad alias gentes*: Quo sensu alius est *naturalis*, h. e. à natura hominum sociali intentus & ordinarius, Pax; alius *subsidiarius*, bellum. *Inter bellum enim & pacem nihil medium esse* dicit *Cicero* (k), bellum, non simpliciter tumultum, contra Antiochum decerni urgens. Unde Popilius Legatus Romanus Antiochum virga, quam in manu gerebat, uti refert *Livius* (l), circumscribens, *consulere jubet, nec prius inde exire, quam responsum senatui daret, aut PACEM aut BELLVM cum Romanis habiturum*, scriptore *Iustino* (m). Quanquam verò Pacis nomine etiam longi temporis induciæ venire solent, ob similitudinem quam cum pace habent, induciæ tamen istæ bellorum feriæ ab iisdem etiam appellantur scriptoribus, à quibus pacis nomen illis tributum fuerat. Athenienses & Lacedæmonios *Pacem in quinquaginta annos fecisse* ait *Iustinus*; addit tamen, eos *inducias quas proprio nomine condixerant, ex sociorum persona rupisse*. Induciæ eædem cum fœderis rationem etiam habuerint, σπονδαὶ hinc appellantur apud *Thucydidem* (o) & *Xenophontem*, cui etiam quibus concessæ sunt induciæ, ἐν εἰρήνῃ relicti dicuntur (p). Rectius autem ad belli quam pacis statum has referri, docent *Grotius* (q), *Alber. Gentilis* (r).

k) *Orat. Philipp. p.* 215.
l) *l.* 45.
m) *l.* 34. 3. 3.
n) 3. *Hist.* 7. 13.
o) *Hist. l.* 5. *f.* 171.
p) *Histor. Græc. l.* 3. *f.* 490. *f.* 487. *seq.*
q) *de I. B* III. 1. 21. 1.
r) *l. B.* 2. 12.

§. 18.

§. 18. Pax enim, cum humani generis ſtatus ſemper tranquillus, quiesque Gentium perpetua eſſe debeat, non ſolum ipſa æterna eſſe gaudet, æternaque ſi propriam ejus indolem ſpectes eſſe debet; ſed & poſtquam ejus, qui mecum non pacifice vivere vult, ferocia & injuriis fuerit abrupta, quando rurſus publica gentium conventione eadem reducitur, paciſcentes, niſi fallaci *imagine pacis* ſibi invicem imponere velint, uti Pompejum juniorem Auguſtus *decepiſſe Tacito* (s) dicitur, non niſi æternam concordiam, perpetuo duraturam pacem animo concipere, & intendere decet, ita ut amice viventes ab omni in perpetuum abstineant injuria, exortasque lites jure non armis transigere malint, exigente ita ſocialitate humani generis & communi gentium ſalute. Per vim proinde eadem abrumpitur, ſi, cum æterna eſſe debet per ſuam naturam, in temporariam degenerat, & Gentium ſtatui naturali, qui pacificus eſſe mavult repugnat, induciarumque potius, quibus ſimilis redditur, quam veræ pacis naturam, induiſſe videtur. Vere enim ejusmodi pax temporaria, qui tãtum differt, non aufert bellum, intervallum temporis audit, quo deliberatur in perniciem humani generis, ut poſt quietem reſumtis novis viribus, eo majore rabie in ſe ferantur mortales.

(s) 1. *Annal.* 10. 4.

§. 19.

§. 19. Ne verò ex ante actis dissensio denuo exoriatur, *omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam* cum *Cicerone* (t) *censeri* debet, *ne qua præteritarum rerum mentio fiat*, ut loquitur *Valerius Max.* (u) quo animi utrinque prioribus injuriis, datisque vicissim acceptisque calamitatibus exacerbati sedentur, vindictæ libidine, æstuque cum memoria ante actorum, per ejusmodi publicam abolitionem sensim evanescente, atque in ejus locum constanti amicitia, perennique benevolentia redeunte. Sic enim Maximus similem *ἀμνηστίαν* occinens exercitui apud *Herodianum*, ἔστω, inquit, *πάντων ἀμνηστία, καὶ σπονδαὶ φιλίας βεβαίας, εὐνοίας τε καὶ εὐκοσμίας πίστις αἰώνιος*, *sit omnium oblivio, sit fœdus constantis amicitiæ, fidesque benevolentiæ ac moderationis sempiterna.* Fructum hujus oblivionis legis senserunt Athenæ, de quo sic Xenophon. (y): *Καὶ ὀμόσαντες ὅρκους ἦ μὴν μὴ μνησικακήσειν, ἔτι καὶ νῦν ὁμοῦ τε πολιτεύονται, καὶ τοῖς ὅρκοις ἐμμένει ὁ δῆμος*, *cum Sacramenta sancte præstitissent, injuriarum se nequaquam fore memores, etiam adhuc populo iis inhærente, quæ tunc jurejurando sancita sunt, in eadem conjuncti Republica vivunt.* Eadem *Valerius Maximus* (z) repetit: *Hæc oblivio, quam Athenienses ἀμνηστίαν vocant, concussum & labentem civitatis statum* in pristinum habitum revocavit. Sensissetque eundem Roma, si hoc exemplum, *relatum à Cicerone oblivionis præteritarum rerum*,

t) Orat. Philipp. I. p. 153.
u) 4. Mem. 2. Ext. 4.
x) l. 8. c. 7.
y) Histor. Græc. l. 2 f. 479.
z) l. c.

populi, quin hac de causa non solùm suam mediationem offerre, sed & eandem sine ratione, nec absque injuria rejicientes, vel honestam decoramque pacem repudiantes, armis cum altero conjunctis ad eandem amplectendam cogere possint, dubium non videtur esse; modo tantum vel autoritatis, vel virium habeant, ut honestas pacis leges aversantem terrere queant. Rhodii certe, quod occasione belli Macedonici à Romanis contra Perseum gesti, *per tres annos*, uti queruntur coram Senatu Romano apud *Li-*
e) l. 44. *vium* (e), *incommoda belli sensissent, mariq; intercluso inopia premerentur, amissis maritimis vectigalibus atq; commeatibus*, cum suæ conditionis parum memores denuntiarent, *per quos stetisset, quo minus belli finis fieret, adversus eos quid sibi faciendum esset, se consideraturos esse*, parum effecerunt; Romanis & *se visuros esse, quid sibi faciendum sit*, excipientibus. Unde *Vel-*
f) l. 2. c. 50. *lejus Paterculus* (f) Massiliensium *intempestive principalium armorū arbitria captantium*, taxans imprudentiam, *iisdem eos se debere interponere* ait, *qui non parentem coërcere possunt*. Sicut enim unicuique suum jus licet persequi, sine damno tamen & injuria tertii, ad quem alterius lites non pertinent: ita armis quidem injuriam vindicare, suaque asserere contra denegantes licet jura, sine damno tamen aliarum gentium, quæ propter aliorum dissidia ad omnis generis incommoda & mala

mala perferenda non tenentur. Hac mente Hagæ Comitis in Hollandia, bello inter Septentrionis Reges flagrante, d. 21. Maji An. 1659. convenerunt inter se Gallia, Anglia & Provinciæ Belgii confœderatæ, *de fida firmaq; pace super fundamento & basi fœderu Rotschildiæ initi, inter reges reducenda*, & qua ratione isti bello, non secuta pace, se immiscere, & cum alterutra parte arma jungere liceret: Id quod illis inprimis facere licet mediatoribus, qui simul sponsores pacis sunt, & ad pacem tuendam se obligarunt; quales tum erant Christianissimus Galliæ Rex, & Angliæ Protector Cromvvellus. Quo tamen in negotio genti liberum circa suas res arbitrium, nisi eo in perniciem aliorum populorum aperte abutatur, non debet intercipi. Unde & Carolus Gustavus Suecorum Rex *ad istas pacis leges Hagienses, Loccenio autore, alligari noluit, sed pacem voluit* (g) *ex more Gentium & libere tractari*; publice hoc nomine coram Mediatoribus Legatis contra protestatus apud *Londorpium*(h).

§. 22. Recte quoque, quo firma atque diuturna pax sit & maneat, Gentes inter alias pacis fœdere reconciliatas suam hoc nomine interponunt per sponsionem fidem, quod operam velint dare, quo pax & ea quæ utrinque promissa sunt rite serventur, & quæ contra pacta committuntur vindicentur. *Nutant enim*, uti eleganter *Iovius* (i) loquitur,

g) *Hist. Suec. l. 9. p.* 845.

h) *Londorp. tom. 8. f.* 625.

i) *Histor. l.* 39.

p) 2 *Annal.* §5.1. pud *Tacitum* (p) Piso Athenienses insectari non dubitaverit, quod non forent *Athenienses tot cladibus extincti, sed colluvies nationum*; liceatque eodem natos se solo quod incolunt olim gloriati sint, qui tamen ex variis Græciæ gentibus, quarum homines Athenas se conferebant, illorum res auctæ fuerint, *Thucydides* (q) tradit.

q) *l.1. Bell. Pelop. ab init.*

§. 15. Datur etiam unio Gentium, ut maneat quæque integra & à cæteris distincta civitas. Sic Septentrionis regna, Suecia, Dania, Norvvegia in Margaretha, *hæreditatis* partim, partim *Electionis* titulo unita constat ex *Loccenio* (r): Unionis capita idem explicat (s). Ungaros & Polonos in Uladislao communi rege electo conjunctos tradunt *Bonfinius* (t) & *Pastorius* (u). Jacobus VI. Scotus successor declaratus ab Elisabetha Angliæ Regina, eam *Thuano* (x) & *Meterano* (y) autoribus, in animo habebat unionem regnorum, ut *abolitis Anglorum & Scotorum nominibus, vetus Britanniæ magnæ nomen in usum revocaretur, eædemq; utriusq; gentis leges & jura forent.* Cum verò hanc unionem suis non carere difficultatibus & incommodis Angli docerent, tenuit tandem hoc *autoritas Regis, ut magna Britanniæ nomen reciperetur, & unio regnorum unius nominis appellatione sanciretur* (z); ita ut *Anglia & Scotia duo distincta regna manserint: Utrumq; etiam regnum proprias coronas, proprias leges, propria & distincta sigil-*

r) *Histor. Suec. l.3.p.* 110. 118.
s) *l.c.p.* 121.
t) *Rer. Ung. Dec.* III. *l.*4.
u) *Flor. Polon. p.* 149.
x) *l.* 131. *f* 1100.
y) *Histor. Belg. l.*28. *f.m.* 279.
z) *Thuan. l.* *c.*

sta sigilla obtinuerit, uti disputatur apud *Zouchaum* (a). Duravitque hæc unio regnorum Britannicorum, etiam Tyrannis eadem vexantibus, Scotis Carol. II. *regem Scotiæ, Angliæ & Hiberniæ fecialium præconio declarantibus* apud *Batum*, (b) Anglis verò Cromvvellum Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ Protectorem cõstituentibus (c), Matrimonii vinculo Angliæ regnũ cæteris Hispaniæ & Italiæ, Indorumque regnis cõjungere tentarunt Philippus Hispanus, & Carolus V. ejus parens. Carolum M. tradit *Aventinus* (d) tentato cum Irene connubio, simul cum Ocidente Orientem connectere voluisse. Fœdere etiam, aliisque modis, ejusmodi gentium uniones fieri non repugnat; exemplo fuerunt olim Achæi, hodie sunt Helvetii & Belgæ. Quæ tamen fœdera uti suis non destituuntur commodis, ita præprimis inter gentes magna locorum intercapedine à se invicem separatas, diversisq; moribus, indole, legibus & religione gaudentes, multiplici laborant incommodo. Sigismundus certe Sueciæ Princeps cum patrio regno Polonos conjuncturus, gentes lingua, moribus, animorum habitu, institutis, & religione diversas, Sueciæ regno non solum excidit, sed & posteros atroci cum Suecis bello exposuit. Obligationis capita, quibus tam Sueci quam Poloni rebus suis studentes, illi abeuntem, hi adventantem

a) *de Iure inter Gent.* Part. II. *s.* 2. *q.* 11.

b) *Elench. Mot. Anglic.* P. II. *p. m.* 97. *seq.*

c) *ibid. p.* 252

d) *l.* 4 *f.* 261.

Principem constrinxerunt, exhibet *Loccenius* (e). Unio denique hæc gentium, uti alibi laxior, in communi scilicet tantum capite, alibi arctior, etiam quoad ipsas gentes inter se existit, ita variant jura civium & subditorum, ita *ut in altero regno natus, in alio jus quoq; subditi obtineat, in alio non obtineat* (f): quæ ex tabulis unionis sunt decidenda.

e) *Hist. Suec. l. 7. p. 405. seqq.*

f) *Zouch. l. 5. p. m. 134.*

§. 16. Trajectas sæpe à victoribus, & transplantatas quasi gentes commemorant historiarum Scriptores. De Helene Deucalionis filio, ejusque liberis, autor est *Thucydid.* (g) quod Græciæ gentes sic transplantarint: Notatque *Tacitus* (h), vulgatam Rom. Imperatoris vocem, *ut quondam Sugambri excisi, & in Gallias trajecti forent, ita Silurum nomen penitus extinguendum*: quod ad debilitandam gentem ferocem, & ad vires quo minus novos excitet motus succidendas, victori suæ securitatis causa facere licere, dubium non est. Dispergi etiam gentes, docet miserabilis Thebanorum, diruta urbe *sub corona* Alexandri jussu *venditorum*, status apud *Iustinum* (i). Fata hæc etiam fuere, & adhuc sunt Ebrææ gentis, inter cæteras orbis partes dispersæ, summoque imperio destitutæ, ubique servientis; quæ uti legibus & statutis civitatis in qua vivit tenetur, ita vicissim quæ ex jure Naturali & legum civilium favore ei debentur officia expectat, publica ex gentium jure tractare negotia,

g) *Hist. l. 1. f. 2.*

h) *Annal. 12. 39. 3.*

i) *l. 11. c. 4. 7.*

cum

cum non à cæteris diſtinctum humani generis cœtum conſtituat, incapax.

§. 17. Conſideratur præterea ſtatus gentium etiam *relate*, vel *in ordine ad alias gentes*: Quo ſenſu alius eſt *naturalis*, h. e. à natura hominum ſociali intentus & ordinarius, Pax; alius *ſubſidiarius*, bellum. *Inter bellum* enim & *pacem nihil medium eſſe* dicit *Cicero* (k), bellum, non ſimpliciter tumultum, contra Antiochum decerni urgens. Unde Popilius Legatus Romanus Antiochum virga, quam in manu gerebat, uti refert *Livius* (l), circumſcribens, *conſulere jubet, nec prius inde exire, quam reſponſum ſenatui daret, aut PACEM aut BELLUM cum Romanis habiturum*, ſcriptore *Iuſtino*(m). Quanquam verò Pacis nomine etiam longi temporis induciæ venire ſolent, ob ſimilitudinem quam cum pace habent, induciæ tamen iſtæ bellorum feriæ ab iisdem etiam appellantur ſcriptoribus, à quibus pacis nomen illis tributum fuerat. Athenienſes & Lacedæmonios *Pacem in quinquaginta annos feciſſe* ait *Iuſtinus*; addit tamen, eos *inducias quas proprio nomine condixerant, ex ſociorum perſona rupiſſe*. Induciæ eædem cum fœderis rationem etiam habuerint, σπονδαὶ hinc appellantur apud *Thucydidem* (o) & *Xenophontem*, cui etiam quibus conceſſæ ſunt induciæ, ἐν εἰρήνῃ relicti dicuntur (p). Rectius autem ad belli quam pacis ſtatum has referri, docent *Grotius*(q), *Alber. Gentilis* (r).

k) *Orat. Philipp. p.* 215.

l) *l.* 45.

m) *l.* 34. 3. 3.

n) 3. *Hiſt.* 9. 13.

o) *Hiſt. l.* 9. *f.* 171.

p) *Hiſtor. Græc. l.* 3. *f.* 490. *f.* 487. *ſeq.*

q) *de I. B.* III. 1. 21. 1.

r) *I. B.* 2. 12.

§. 18.

§. 18. Pax enim, cum humani generis ſtatus ſemper tranquillus, quiesque Gentium perpetua eſſe debeat, non ſolum ipſa æterna eſſe gaudet, æternaque ſi propriam ejus indolem ſpectes eſſe debet; ſed & poſtquam ejus, qui mecum non pacifice vivere vult, ferocia & injuriis fuerit abrupta, quando rurſus publica gentium conventione eadem reducitur, paciſcentes, niſi fallaci *imagine pacis* ſibi invicem imponere velint, uti Pompejum juniorem Auguſtus *decepiſſe Tacito* (s) dicitur, non niſi æternam concordiam, perpetuo duraturam pacem animo concipere, & intendere decet, ita ut amice viventes ab omni in perpetuum abstineant injuria, exortasque lites jure non armis transigere malint, exigente ita ſocialitate humani generis & communi gentium ſalute. Per vim proinde eadem abrumpitur, ſi, cum æterna eſſe debet per ſuam naturam, in temporariam degenerat, & Gentium ſtatui naturali, qui pacificus eſſe mavult repugnat, induciarumque potius, quibus ſimilis redditur, quam veræ pacis naturam, induiſſe videtur. Vere enim ejusmodi pax temporaria, qui tãtum differt, non aufert bellum, intervallum temporis audit, quo deliberatur in perniciem humani generis, ut poſt quietem reſumtis novis viribus, eo majore rabie in ſe ferantur mortales.

(s) 1. *Annal.* 10.4.

§. 19.

§. 19. Ne verò ex ante actis dissensio denuo exoriatur, *omnem memoriam discordiarum oblivione sempiterna delendam* cum Cicerone (t) *censeri* debet, *ne qua præteritarum rerum mentio fiat*, ut loquitur *Valerius Max.* (u) quo animi utrinque prioribus injuriis, datisque vicissim acceptisque calamitatibus exacerbati sedentur, vindictæ libidine, æstuque cum memoria ante actorum, per ejusmodi publicam abolitionem sensim evanescente, atque in ejus locum constanti amicitia, perennique benevolentia redeunte. Sic enim Maximus similem ἀμνηστίαν occinens exercitui apud *Herodianum*, ἔστω, inquit, πάντων ἀμνηστία, καὶ σπονδαὶ φιλίας βέβαιοι, εὐνοίας τε καὶ εὐκοσμίας πίστις αἰώνιος, *fit omnium oblivio, sit fœdus constantis amicitiæ, fidesq; benevolentiæ ac moderationis sempiterna.* Fructum hujus oblivionis legis senserunt Athenæ, de quo sic Xenophon. (y): Καὶ ὀμόσαντες ὅρκους ἦ μὴν μὴ μνησικακήσειν, ἔτι καὶ νῦν ὁμοῦ τε πολιτεύονται, καὶ τοῖς ὅρκοις ἐμμένει ὁ δῆμος, *cum Sacramenta sancte præstitissent, injuriarum se nequaquam fore memores, etiam adhuc populo iis inhærente, quæ tunc jurejurando sancita sunt, in eadem conjuncti Republica vivunt.* Eadem *Valerius Maximus* (z) repetit: *Hæc oblivio, quam Athenienses ἀμνηστίαν vocant, concussum & labentem civitatis statum* in pristinum habitum revocavit. Sensissetque eundem Roma, si hoc exemplum, *relatum à Cicerone oblivionis præteritarum rerum*,

t) Orat. Philipp. 1. p. 153.
u) 4. Mem. 2. Ext. 4.
x) l. 8. c. 7.
y) Histor. Græc. l. 2 f. 479.
z) l. c.

rerum, *decretoq; Patrum*, uti testatur *Vellejus Paterculus* (a), *comprobatum*, secuta foret.

a) 2. *Histor.* c.88.

§. 20. Piam proin, atq; humano generi Gentiumque consociationi utilem & salutarem præstant operam, qui inter belligerantes munus pacis conciliatorium in se suscipiunt, cum de mortalibus præclarius mereri non possimus, quam si interneciva quæ inter illos vigent odia extinctum, & à sanguinis humani effusione eos revocatum imus, genus humanum statui suo naturali, paci se restituentes: Quanquam & id quod interest, propriæ nimirum salutis ratio, Gentiumque inter se connexio, à qua etiam ista dependet, suadeant aliis, ut bellum parantibus, aut gerentibus se interponant. Ad hoc officium intuitu communis humani generis Societatis, eo jure tenentur gentes, seu cives universalis hujus civitatis, quo in civitate particulari & Republica bonus civis operam dare debet, ne cives armis in se grassentur invicem. Unde exorto rursus inter Suecos & Danos post pacem Roschildiæ initam bello, Gallia, Anglia, Belgiumq; confœderatum in curam pacem reducendi sibi eo magis incumbendum esse crediderunt (b), *quod non agi solum animadverterent, de sancienda inter duos Reges vicinos, & vinculo cognationis sibi invicem adstrictos concordia, deq; amovendis, quas in perniciem populorum non paucas bella secum trahunt calamitatibus ac mise-*

b) *Decret. inter Illustr. Christianiss. &c. Vid. Diar. Eur. Cõtinuat. I. p.229.*

miseriis, deq; instaurandis per tractum maris Balthici commerciis, quæ interrupta longe plurimum incommodi tam vicinis, quàm remotis gentibus essent allatura; verum etiam quod metuendum præterea, & quidem unice videretur, ne mora belli hujus diuturnior Europam universam collideret, principibus plerisq; aut ex fœderum pactorumve lege, aut ex alia quavis necessitudine, Regum alterutri opem laturis, ac proinde inter sese manu mox armata committendis. Officium autem Mediatoris est, sincere agere, provide & caute rem tractare, & cum omni æquanimitate atque indifferentia in negotio pacis se gerere, eximie explicatum *Bœclero* (c).

§. 21. Mediator autem quo minus armatus esse possit, sæpe numero non tam jure, quam pacto, quo facultas alterutri belligerantium parti auxilium ferendi constricta est, impeditur; cum qui mediatorias offerunt partes, nonnunquam non nisi hac lege admittantur, quod bello se immiscere armis nolint, uti Leopold. Imp. Suecicam mediationem ann. 1674. tum demum accipere voluit, si Sueciæ Rex declaraverit, *se durante hoc bello, nulli ex belligerantibus astiturum.* (d) Etsi verò quod pares sint gentes, ob injuriasquæ alias tantum, ipsas autem peculiariter non tangunt, jus poscendi pœnas non habent; quod si tamen belligerantium dissidia, sua quoq; damna & perniciem secum certo trahere animadvertunt, alii popu-

c) *quies in turb. p. 221. P. II. Grot.*

d) *Vid. Act. Legati Suec. Benedict. ab Oxenstirn. in Aula Cæsar. Respons. II. Commiss. Cæsar. d. 23. Nov. 1674.*

populi, quin hac de causa non solùm suam mediationem offerre, sed & eandem sine ratione, nec absque injuria rejicientes, vel honestam decoramque pacem repudiantes, armis cum altero conjunctis ad eandem amplectendam cogere possint, dubium non videtur esse; modo tantum vel autoritatis, vel virium habeant, ut honestas pacis leges aversantem terrere queant. Rhodii certe, quod occasione belli Macedonici à Romanis contra Perseum gesti, *per tres annos*, uti queruntur coram Senatu Romano apud *Livium* (e), *incommoda bellisensissent. mariq; intercluso inopia premerentur, amissis maritimis vectigalibus atq; commeatibus*, cum suæ conditionis parum memores denuntiarent, *per quos stetisset, quo minus belli finis fieret, adversus eos quid sibi faciendum esset, se consideraturos esse*, parum effecerunt; Romanis & *se visuros esse, quid sibi faciendum sit*, excipientibus. Unde *Vellejus Paterculus* (f) Massiliensium *intempestive principalium armorū arbitria captantium*, taxans *imprudentiam*, *iisdem eos se debere interponere* ait, *qui non parentem coërcere possunt.* Sicut enim unicuique suum jus licet persequi, sine damno tamen & injuria tertii, ad quem alterius lites non pertinent: ita armis quidem injuriam vindicare, suaque asserere contra denegantes licet jura, sine damno tamen aliarum gentium, quæ propter aliorum dissidia ad omnis generis incommoda & mala

e) *l.* 44.

f) *l.* 2. *c.* 50.

mala perferenda non tenentur. Hac mente Hagæ Comitis in Hollandia, bello inter Septentrionis Reges flagrante, d. 21. Maji An. 1659. convenerunt inter se Gallia, Anglia & Provinciæ Belgii confœderatæ, *de fida firmaq; pace super fundamento & basi fœderu Rotschildiæ initi, inter reges reducenda*, & qua ratione isti bello, non secuta pace, se immiscere, & cum alterutra parte arma jungere liceret: Id quod illis inprimis facere licet mediatoribus, qui simul sponsores pacis sunt, & ad pacem tuendam se obligarunt; quales tum erant Christianissimus Galliæ Rex, & Angliæ Protector Cromvvellus. Quo tamen in negotio genti liberum circa suas res arbitrium, nisi eo in perniciem aliorum populorum aperte abutatur, non debet intercipi. Unde & Carolus Gustavus Suecorum Rex *ad istas pacis leges Hagienses, Loccenio* autore, *alligari noluit, sed pacem voluit* (g) *ex more Gentium & libere tractari*; publice hoc nomine coram Mediatoribus Legatis contra protestatus apud *Londorpium*(h).

g) *Hist. Suecica l. 9. p.* 845.

h) *Londorp. tom. 8. f.* 625.

§. 22. Recte quoque, quo firma atque diuturna pax sit & maneat, Gentes inter alias pacis fœdere reconciliatas suam hoc nomine interponunt per sponsionem fidem, quod operam velint dare, quo pax & ea quæ utrinque promissa sunt rite serventur, & quæ contra pacta committuntur vindicentur. *Nutant enim*, uti eleganter *Iovius* (i) loquitur,

i) *Histor. l.* 39.

quitur, *ſæpe apud Reges jura pacis & fœderis, ut verbis amicitiam colere, animis autem livore atq; odio turgidis bellum parturire videantur.* Suscipiunt hoc munus ſæpe in ſe ipſi Mediatores. Ita in Pacificatione inter Sueciæ & Daniæ Reges inita in caſtris ad *Hafniam* (k) An. 1660. *Chriſtianiſſimi Regis Franciæ & Navarræ, ut & Celſiſſ. Reipubl. Angliæ, & Præpotentium Dnn. Generalium Ordinum Fœderatæ Belgicæ reſpective ordinarii Legati, Commiſſarii ac Deputati plenipotentiarii pariter nomine ſuorum ſublimium Dominorum ac Principalium, in eo majorem ſecuritatem & confirmationem horum promiſerunt, & univerſe tres ſtatus junctim, mediante Generali Guarantigio, ut & ſinguli ſeparati in ſpeciali Guarantigio ſe obligarunt, veluti ſe hoc ipſo optimo modo, & in ampliſſima ac tutiſſima forma, qua fieri poteſt, ſe invicem obligant & obſtringunt, quod velint eſſe Guarandi ac Fidejuſſores pro omnibus hic peractis, quòd omnimodo & in omnibus ſuis clauſulis hæc integre teneri & in æternum obſervari, ut & in caſu contraventionis ex alterutra parte decenter vindicari debeant.* Solent nonnunquam mediatores rogari, ut pacis ſponſores eſſe velint, ut in *Pace Olivenſi* (l) Sueco-Polonica à Chriſtianiſs. Gallorum Rege Ludov. XIV. poſtulatur, quod *executionis & obſervationis pacis ipſius mediatione factæ* FIDEIUSSOR ſit; qui etiam promiſit, *ſe executionem horum pactorum, eorumq; obſervationem, in perpetuitatem omni meliori*

k) *art.* 34.

l) *art.* 36.

meliori quo fieri potest modo, etiam armis, ubi amicabilia media non processerint, asserturum. Præter illos tamen qui medias egerunt partes, etiam ad sponsionis officium & Guarantiam præstandam alii Principes interdum solent invitari, ut in *Tractat. Olivensi* (m) paciscentes sibi hoc expresse reservarunt. Sponsionis hoc & fidejussionis officium æque pium, humanum, atque inter Gentes necessarium est, ac mediationis: cum uti hujus beneficio pax reducitur, ita sponsorum opera & fide in arma prurientium impetus coërcetur; ad quod illi ex promisso & & velut ex fœdere tenentur.

m) *art. c.*

§. 23. Humanum præterea est, & ad bellandi ferociam constringendam non parum facit, quod ejusmodi fœderibus Gentium non solum alii Principes & populi comprehendi soleant, quorum quieti & securitati hoc ipso æque consulitur, atque illorum cum quibus principaliter transigitur; sed & alii si paci includi velint, ejusq; fructibus frui, hoc beneficium obtinere, suæque sic quieti consulere possint. Exempla, ut complura alia mittamus, exhibet pax novissima *Noviomagensis*, tam *Gallico Cæsarea* (n), quam *Cæsareo Succica* (o).

n) *art. 32. seq.*
o) *art. 9. 10.*

§. 24. Cæterum ea felicitas Gentibus & Rebuspublicis non semper obtingit, ut pace frui perpetua possint, unde exoritur status *subsidiarius*, Belli scilicet; qui uti

consociationi humani generis inimicus est, ita non aliter bellum gerendum est, quam ut nil aliud quam pax quæsita videatur. Nec armis res committi debet sine justis & plane necessariis causis, Augusti exemplo *apud Suetonium* (p). Recte apud *Thucydid.*(q) Archidamus: ἐπὶ τὸν (τὰς δίκας sc.) διδόντα, οὐ πρότερον νόμιμον ὡς ἐπ' ἀδικοῦντα ἰέναι, *qui judicio se offerunt, in eos tanquam injuriam inferentes ire legitimum non est.* Juri verò quod si non relinquitur locus, vim vi repellere imminentem non solum justum, sed & pium est: Confugiendum enim est ad vim, si disceptationi non relinquitur locus; immedicabile vulnus ense recidendum est, ne pars sincera trahatur: sic tamē ut memores simus dicti Corinthiorum apud *Thucyd.* (r) ἀνδρῶν σωφρόνων μὲν ἐστιν, εἰ μὴ ἀδικοῖντο, ἡσυχάζειν· ἀγαθῶν δὲ, ἀδικουμένους, ἐκ μὲν εἰρήνης, πολεμεῖν, εὖ δὲ παρασχὸν, ἐκ πολέμου πάλιν ξυμβῆναι· καὶ μήτε τῇ κατὰ πόλεμον εὐτυχίᾳ ἐπαίρεσθαι, *gravium quidem hominum est, si non lacessantur injuria, quiescere; fortium autem si lacessiti fuerint, pacem bello mutare: eosdemq; re bene gesta rursus in concordiam redire: neq; bellorum prosperitate abuti.*

p) *August.* c.21.
q) *Histor. Bell. Pelop.* f.28.
r) *l.1.f.38.*

§. 25. Ad Gentium statum adhuc pertinet, quod aliæ sint *moratæ*, aliæ *Barbaræ*: non eo quidem sensu, quo Græci insigni arrogantia olim omnes extra Græciam Barbaros appellarunt, quos *Aristotel.* (s) δουλικωτέρους τῶν Ἑλλήνων esse scripsit, probans (t) Poëtarum

s) 1.*Pol.*10.
t) 1.*Pol.*1.

tarum cantum: *Βαρβάρων Ἕλληνας ἄρχειν εἰκός, ὡς ταυτὸ φύσει βάρβαρον, καὶ δοῦλον ὄν, Græcos in Barbaros imperium habere æquum esse, tanquam idem natura sit, Barbarum esse & servum.* Unde perversum illud manavit, quod discipulo Alexandro, teste *Plutarcho*(u), suggessit cõsilium, quem jussit *τοῖς μὲν Ἕλλησιν ἡγεμονικῶς, τοῖς δὲ βαρβάροις δεσποτικῶς, Græcis se tanquam principem, barbaris ut Dominum præbere ; & illorum quidem ut amicorum & domesticorum curam gerere, his tanquam brutis aut stirpibus uti.* Primo autem ante hujus vocis abusionem, quinam Barbari dicti fuerint explicat *Strabo*(x).

§. 26. Quænam autem Gentes moratiores, quænam Barbaræ dici debeant, non pronunciandum secundum cujusque confessionem, aut aliarum accusationem, sed secundum notas certas Barbariem à morum cultura, feritatem ab humanitate distinguentes. Antiqui Scriptores, observante *Bœclero* (y), notam vetustissimæ barbariei, & vitæ non tam honestæ, quam inhumanæ, *inopiam & inscitiam legum* ponunt. Loca ex *Diodoro* (z), *Sallustio*. (a) aliisque allegari solita nota sunt: Ex quibus insignis est in *Sallust*. (b) Jugurtha, *quando Africam initio*, inquit, *habuere Gætuli & Lybies, asperi incultique, quis cibus erat caro ferina, atq; humi pabulum, uti pecoribus. hi neq; moribus, neq; lege, aut imperio cujusdam regebantur : vagi, palantes, quas nox coëgerat, sedes habebant.* A feritate Sar-

u) *t.2.opp.de Fort. Al. Or. I. f.339.*

x) *Geog. l. 14.*

y) *Diss. Pol. 4.*

z) *l.1.*

a) *Bell. Catil. c. 6.*

b) *Bell. Iug. c.18.*

c) l.4.c.12. matarũ barbariem describit *Florus* (c), quam *tantam* esse tradidit, *ut pacem non intelligant.* Idem Barbaros *rabiem & impetum pro virtute*
d) l. 3.c.3. *habere* notat (d). Barbaram Scytharum feri-
e) in Ruff. l.1. tatem *Claudianus* (e) ita cecinit:

Est genus extremos Scythiæ vergentis in ortus
Trans gelidum Tanaim: quo non famosius ullum
Arctos alit, tristes habitus, obscænaq; visu
Corpora; mens duro nunquam cessura labori.
Præda cibus, vitanda Ceres, fratresq; necare
Ludus, & occisos pulchrum jurare parentes.

Tribuunt iisdem ingenii quoq; hebetudinem. Taxat in Cimbris *Barbaricam stoliditatem*
f) l. c. rursus *Florus* (f): Arminiumq; Germanũ, *ultra Barbarum ingenio promptum* fuisse me-
g) Hist. l. 2. c.118. morat *Vellej. Paterc.* (g) *Civilem autem ultra quam barbaris solitum ingenio solertem, Tacitus.* *Barbariem,* h. e. rudem & agrestem vivendi
h) Indic. in Iust. Voc. Barb. rationem, *Berneggero* (h) interprete, *Iusti-*
i) l.43.4.1. *nus* (i) *usui vitæ cultioris* contradistinguens, ad hunc *legibus,* ad illam *armis vivere* refert. *Ciceroni* sæpe mores duri, feri, immanes, dicuntur barbaries.

§. 27. Barbari nimirum possunt dici vel ratione *patriæ,* vel ratione *morum.* Ad priorem significationem suo modo pertinet, quando Græci qui non suæ erant Gentis homines, Barbaros appellarunt, Græcis licet moratiores, vel certe æque morati essent; quales erant Ebræi, priscique Ægyptii. Ita hodie Gentile nomen est, nobilissimo

totius

totius Africæ tractui ab Ægypto ad fretum usque Herculeum excurrenti maritimo impositum. Rationem appellationis reddere conatur *Maginus* (k) jam non examinandam. Ratione *morum Barbaræ* gentes sunt, apud quas cultioris vitæ usus exulat, nullæque quæ feritatem morum emollirent introducta humanitate vigent literæ; quæ naturæ ferocientis feritatem potius, & ἕξις θηριώδεις, ut *Philos.* loquitur, sequuntur, quàm humanitatem à bona in moralibus disciplina & educatione provenientem, qua destituuntur, lubidinemque potius contumacis appetitus, quàm rectiora rationis dictamina audire malunt. *Barbaries*, inquit *Thomas* (m), *convenienter hoc signo declaratur, quod homines vel non utantur legibus, vel irrationabilibus, & similiter quod apud aliquas gentes non sint exercitia literarum.* Supra *Barbaros simpliciter nominari dixit*, qui ratione deficiunt: unde brutorum potius & ferarum, quàm hominum agunt nonnunquam vitam, homines illiterati, feroces, impudentes, jus in armis & robore corporis habentes, montani, sylvestres, cum humanitate religionem etiam exuentes: Sunt enim alii aliis ferociores, crassiores & stupidiores. Cultioris verò vitæ quibus usus est, cum humanitate, morumque & mentis cultura secundum bonas leges & rationis præcepta conjunctus,

k) *Nov. Geogr. p.* 185.

l) *Vid. Aristotel. l.* 7. *Ethic. c.* 5.

m) *Explan. in Arist.* 1. *pol.* 1. *Lect.* 1.

Gentes audiunt moratiores, naturæ hominum sociali & naturali convenienter viventes.

§ 28. Cæterum uti, ceu supra diximus, moratiores ob barbariem illis innoxiam Barbaras invadendi gentes jus non habent, ita hæ contra illas omni jure ad Gentium jus provocare possunt, si quid negotii aut controversiæ cum iisdem eis aliquid intercesserit. Vicissim etiam Barbaræ Gentes communi Gentium vinculo & jure, qua ad populorum consociationem internam id facit, sic obligantur, ut contra illud delinquentes vel vi injusta id rumpentes, bello coërceri & ad officium redigi juste queant, ceu rectæ rationis omnibus observanda dictamina ex naturæ ferocia, & indole ferina conculcantes.

ARTIC.

ARTIC. IV.

De *Vnitate humanæ consociationis per Gentium connexionem.*

§. I.

UNiversalem quandam societatem universi generis humani, vinculo juris naturalis omnes homines consociantem, supra dari diximus; quam quo minus generis humani unitatem primam, internam & simpliciter indivisibilem, indissolubilemque, ob juris naturalis quæ vitam socialem præcipit & dirigit immutabilitatem, appellemus, nihil impedit. Cum vero moles hęc major esset, quā ut feliciter unius imperio regi posset, necessario ejus administratio, diviso in cœtus humano genere, inter plures dividenda erat, assignato unicuique suo cui præesset cœtu. Cæterum quia ad administrationem Dei loco vicariam hæc tantum pertinet divisio, faciem humani generis externam ea saltem concernit, salva indivisione & unitate ejusdem interna & naturali, quæ suam vim per divisos istos, distinctosq; cœtus hominum particulares ita exerit, ut gentes inter se consociando etiam perpetuam externam moliatur unitatem, præci-

piatque; quam ita appellandam censemus, quod in exteriori humani generis facie, circa unionem particularium cœtuum qua talium contingat.

§. 2. Unitas enim externa hæc Gentium & Rerumpublicarum, in quas magna universi humani generis civitas nunc divisa est, in hoc consistit, ut licet qua divisæ à se invicem, de conservando suo statu, & declinando illo quod nociturum videtur, solicitæ esse possint; rursus tamen cœtus isti & totius humani generis partes in unum corpus, universalemque quandam societatem, quantùm divisio facta permittit coalescant. Necessaria est hæc unitas propter unitatem internam, quæ nulla & inefficax foret, nisi & inter Gentes civitatesque qua tales unionis vinculum intercederet. Quanquam enim obligatio & vinculum quod omnes homines in universalem cœtum sub divino cogit imperio, primo & per se insit singulis, vim tamen suam nondum amittit in iisdem, quatenus integros distinctosq; constituunt cœtus, quos æque sociales, ceu socialium hominum multitudines, esse oportet, atque singuli qui istos constituunt sociales sunt. Ut proinde ipsam Gentium consociationem in jure naturali fundari necessum sit: Quæ etiam ratio est, quare Gentium consilia & actiones Pacem potius, quam bellum respicere debeant.

§. 3. Pri-

§. 3. Primam illam atque fundamentalem humani generis unitatem, *internam* sc. inanem futuram diximus, nisi & altera illa unitas, *externa* nimirum, per Gentium connexionem accedat. Perpetuo quippe bello involutæ se invicem absorberent civitates, datis acceptisque cladibus seipsum conficiente humano genere. Status humani generis esset, qualem olim corporis humani apud *Livium*(a) fuisse finxit Menenius Agrippa, cum cætera contra ventrem conspirassent membra, quæ cum ventrem *fame domare vellent, unâ cum toto corpore ad extremam pervenerunt tabem*; vel qualem *Buchananus* (b) fuisse tradidit monstri in Scotia nati, quod *inferiore quidem corporis parte speciẹ maris; umbilicum vero supra, trunco corporis, ac reliquis omnibus membris geminis, & ad usum & speciem discretis fuit*; in quo *duo* ista *corpora* unita licet *secum discordia* fuisse, & *cum aliud alij placeret sæpe litigasse, interim velut in commune consultasse* memorat.

a) *l.* 2.

b) *Hist. Scotic. l.* 13. *p.* 458.

§. 4. Conjunguntur autem integri Gentium & Rerumpublicarum cœtus I. *mediate* per consociationem sub divino imperio, cui omnes Gentes & civitates etiam qua tales subjiciuntur; quæ proinde inter se quoque connectuntur, quatenus eodem, communique divino continentur regimine & imperio. Dividantur enim licet gentes ratione regiminis immediati, qua tamen ratione

tione sub divino consociantur imperio, non dividuntur, sed connectuntur populi. Αὐτὸς γὰρ τῆς κοινῆς προμηθούμενος εὐταξίας, τοὺς μὲν ἄρχειν, καὶ ἄρχεσθαι ὠκονόμησεν, *Deus enim communis ordinis curam gerens, hos quidem imperare, illos vero parere instituit*, uti pie loquitur B.

c) t.3. opp. f. 100. *Theodoretus* (c). Unde *Cicero* (d): *Universus hic mundus una civitas communis Deorum atque hominum existimanda.*

d) 1 de Legg. p. 160.

§. 5. Optandum itaque, ut cum sit εἷς Κύριος, μία πίστις, ἓν βάπτισμα, εἷς Θεὸς καὶ πατὴρ πάντων,

e) Eph. 4. 5. doctore Gentium praeclare docente,

f) Rom. 15 6. omnes, eodē monēte (f), idem *sentirent secundum Iesum Christum.* ἵνα ὁμοθυμαδὸν ἐν ἑνὶ στόματι, *ut unanimiter uno ore glorificarent Deum ac Patrem Domini nostri Iesu Christi*; diversitas enim sacrorum, & unicuique suus de Deo rebusque divinis sensus proprius, quem quilibet credit esse optimum, haud raro in diversa Gentes abripiunt studia, & in atrocissima saepe degenerant bella (g): Verum cum *animalis homo non percipiat ea quae sunt Spiritus Dei, quae stulta judicat* (h), cui etiam obicem ponit, variis caecos decipi mortales erroribus, quibus etiam pertinacissime inhaerent, mirum non est.

g) Vid. Lactant. l. 5. c. 8. ad. Grot. I. B. 2. 20. 44.

h) 1. Cor. 2.

§. 6. Etsi vero ideo, ut rursus loquitur *Lactantius* (i), *mala omnia rebus humanis quotidie ingravescere* contingat, *quia Deus mundi hujus effector, & gubernator derelictus est: quia susceptae sunt, contra quam fas est, impiae religiones.*

i) l. c.

ligiones; quæ prolixius etiam *Arnobio*(k) & *Augustino*(l) disputata sunt; non tamen qui sacris à nobis dissentiunt, malumque de Deo fovent sensum, impiumque instituunt cultum, à nobis ceu rei læsi juris Gentium puniri possunt, cum directe & immediate ista injuria non in Gentes, sed in Deum tendat, sine mutua gentium ad invicem intercedente obligatione. Unde sicut Gens per se non læditur, licet vicinæ diversas sectentur de Deo opiniones & religiones, ita religionis gratia præcise genti in gentem insurgere non licet, nisi peculiaribus religionem concernentibus pactis Gens Genti obligetur. Posset etiam gentium quies & connexio socialis sub diversitate religionis consistere, quandoquidem infidelitas vitam socialem non semper tollat, si, cum unitas ejusdem speranda non sit, constitutam religiosam pacem bona fide Gentes servarent, satis validi vinculi loco inter illas, quorum diversa sunt sacra, futuram: cum nec religionis concordia Gallos & Hispanos, Anglos & Batavos, Suecos atque Danos concordes retinere sæpe potuerit.

k) *contr. Gent.*

l) *de Civit. Dei.*

§. 7. *Francisc. Baconus de Verulamio*(m) *de Bello sacro contra Infideles, solummodo propter propagationem fidei, sine alia quapiam hostilitatis causa* [suscipiendo disputat, inclinatq; contra Turcas, aliosque. Sed gladio & armis

m) *de Bell. Sacr Opp. f.* 1304 *seqq.*

quitur, *sæpe apud Reges jura pacis & fœderis, ut verbis amicitiam colere, animis autem livore atq; odio turgidis bellum parturire videantur.* Suscipiunt hoc munus sæpe in se ipsi Mediatores. Ita in Pacificatione inter Sueciæ & Daniæ Reges inita in castris ad *Hafniam* (k) An. 1660. *Christianißimi Regis Franciæ & Navarræ, ut & Celsiß. Reipubl. Angliæ, & Præpotentium Dnn. Generalium Ordinum Fœderatæ Belgicæ respective ordinarii Legati, Commissarii ac Deputati plenipotentiarii pariter nomine suorum sublimium Dominorum ac Principalium, in eo majorem securitatem & confirmationem horum promiserunt, & universe tres status junctim, mediante Generali Guarantigio, ut & singuli separati in speciali Guarantigio se obligarunt, veluti se hoc ipso optimo modo, & in amplißima ac tutißima forma, qua fieri potest, se invicem obligant & obstringunt, quod velint esse Guarandi ac Fidejussores pro omnibus hic peractis, quod omnimodo & in omnibus suis clausulis hæc integre teneri & in æternum observari, ut & in casu contraventionis ex alterutra parte decenter vindicari debeant.* Solent nonnunquam mediatores rogari, ut pacis sponsores esse velint, ut in *Pace Olivensi* (l) Sueco-Polonica à Christianiss. Gallorum Rege Ludov. XIV. postulatur, quod *executionis & observationis pacis ipsius mediatione factæ* FIDEIUSSOR sit; qui etiam promisit, *se executionem horum pactorum, eorumq; observationem, in perpetuitatem omni meliori*

k) *art.* 34.

l) *art.* 36.

meliori quo fieri potest modo, etiam armis, ubi amicabilia media non processerint, asserturum. Præter illos tamen qui medias egerunt partes, etiam ad sponsionis officium & Guarantiam præstandam alii Principes interdum solent invitari, ut in *Tractat. Olivensi* (m) paciscentes sibi hoc expresse reservarunt. Sponsionis hoc & fidejussionis officium æque pium, humanum, atque inter Gentes necessarium est, ac mediationis: cum uti hujus beneficio pax reducitur, ita sponsorum opera & fide in arma prurientium impetus coërcetur; ad quod illi ex promisso & & velut ex fœdere tenentur.

m) *art.* 6.

§. 23. Humanum præterea est, & ad bellandi ferociam constringendam non parum facit, quod ejusmodi fœderibus Gentium non solum alii Principes & populi comprehendi soleant, quorum quieti & securitati hoc ipso æque consulitur, atque illorum cum quibus principaliter transigitur; sed & alii si paci includi velint, ejusq; fructibus frui, hoc beneficium obtinere, suæque sic quieti consulere possint. Exempla, ut complura alia mittamus, exhibet pax novissima *Noviomagensis*, tam *Gallico Cæsarea* (n), quam *Cæsareo Suecica* (o).

n) *art.* 32. *seq.*
o) *art.* 9. 10.

§. 24. Cæterum ea felicitas Gentibus & Rebuspublicis non semper obtingit, ut pace frui perpetua possint, unde exoritur status *subsidiarius*, Belli scilicet; qui uti

consociationi humani generis inimicus est, ita non aliter bellum gerendum est, quam ut nil aliud quam pax quæsita videatur. Nec armis res committi debet sine justis & plane necessariis causis, Augusti exemplo *apud Suetonium* (p). Recte apud *Thucydid.*(q) Archidamus: ἐπὶ τὸν (τὰς δίκας sc.) διδόντα, οὐ πρότερον νόμιμον ὡς ἐπ' ἀδικοῦντα ἰέναι, *qui judicio se offerunt, in eos tanquam injuriam inferentes ire legitimum non est.* Juri verò quod si non relinquitur locus, vim vi repellere imminentem non solum justum, sed & pium est: Confugiendum enim est ad vim, si disceptationi non relinquitur locus; immedicabile vulnus ense recidendum est, ne pars sincera trahatur: sic tamẽ ut memores simus dicti Corinthiorum apud *Thucyd.* ἀνδρῶν σωφρόνων μέν ἐστιν, εἰ μὴ ἀδικοῖντο, ἡσυχάζειν· ἀγαθῶν δὲ, ἀδικουμένους, ἐκ μὲν εἰρήνης, πολεμεῖν, εὖ δὲ παρασχὸν, ἐκ πολέμου πάλιν ξυμβῆναι· καὶ μήτε τῇ κατὰ πόλεμον εὐτυχίᾳ ἐπαίρεσθαι, *gravium quidem hominum est, si non lacessantur injuria, quiescere; fortium autem si lacessiti fuerint, pacem bello mutare: eosdemq; re bene gesta rursus in concordiam redire: neq; bellorum prosperitate abuti.*

p) *August.* c.21.

q) *Histor. Bell. Pelop.* f.28.

r) *l.1.f.38.*

§. 25. Ad Gentium statum adhuc pertinet, quod aliæ sint *moratæ*, aliæ *Barbaræ*: non eo quidem sensu, quo Græci insigni arrogantia olim omnes extra Græciam Barbaros appellarunt, quos *Aristotel.* (s) δουλικωτέρους τῶν Ἑλλήνων esse scripsit, probans (t) Poëtarum

s) 3.*Pol.*10.

t) 1.*Pol.*1.

tarum cantum: Βαρβάρων Ἕλληνας ἄρχειν εἰκός, ὡς ταυτὸ φύσει βάρβαρον, καὶ δοῦλον ὄν, *Græcos in Barbaros imperium habere æquum esse, tanquam idem natura sit, Barbarum esse & servum.* Unde perversum illud manavit, quod discipulo Alexandro, teste *Plutarcho*(u), suggessit cõsilium, quem jussit τοῖς μὲν Ἕλλησιν ἡγεμονικῶς, τοῖς δὲ βαρβάροις δεσποτικῶς, *Græcis se tanquam principem, barbaris ut Dominum præbere ; & illorum quidem ut amicorum & domesticorum curam gerere, his tanquam brutis aut stirpibus uti.* Primo autem ante hujus vocis abusionem, quinam Barbari dicti fuerint explicat *Strabo*(x).

§. 26. Quænam autem Gentes moratiores, quænam Barbaræ dici debeant, non pronunciandum secundum cujusque confessionem, aut aliarum accusationem, sed secundum notas certas Barbariem à morum cultura, feritatem ab humanitate distinguentes. Antiqui Scriptores, observante *Bæclero* (y), notam vetustissimæ barbariei, & vitæ non tam honestæ, quam inhumanæ, *inopiam & inscitiam legum* ponunt. Loca ex *Diodoro*(z), *Sallustio*,(a) aliisque allegari solita nota sunt: Ex quibus insignis est in *Sallust.*(b) Jugurtha, *quando Africam initio,* inquit, *habuere Gætuli & Lybies, asperi incultique, quis cibus erat caro ferina, atq; humi pabulum, uti pecoribus. hi neq; moribus, neq; lege, aut imperio cujusdam regebantur : vagi, palantes, quas nox coëgerat, sedes habebant.* A feritate Sarmata-

u) *t.2.opp.de Fort. Al.Or. I.f.339.*

x) *Geog. l. 14.*

y) *Diss. Pol. 4.*

z) *l. 1.*

a) *Bell.Catil. c. 6.*

b) *Bell.Iug. c.18.*

c) l.4.c.12. matarũ barbariem describit *Florus* (c), quam *tantam* esse tradidit, *ut pacem non intelligant.* Idem Barbaros *rabiem & impetum pro virtute*
d) l.3.c.3. *habere* notat (d). Barbaram Scytharum feri-
e) in Ruff. l.1. tatem *Claudianus* (e) ita cecinit:

Est genus extremos Scythiæ vergentis in ortus
Trans gelidum Tanaim: quo non famosius ullum
Arctos alit, tristes habitus, obscœnaq; visu
Corpora; mens duro nunquam cessura labori.
Præda cibus, vitanda Ceres, fratresq; necare
Ludus, & occisos pulchrum jurare parentes.

Tribuunt iisdem ingenii quoq; hebetudinem. Taxat in Cimbris *Barbaricam stoliditatem* rursus *Florus*
f) l.c. (f): Arminiumq; Germanũ, *ultra Barbarum ingenio promptum* fuisse me-
g) Hist.l.2. c.118. morat *Vellej. Paterc.* (g) *Civilem autem ultra quam barbaris solitum ingenio solertem*, *Tacitus*. *Barbariem*, h. e. rudem & agrestem vivendi
h) Indic.in Iust. Voc. Barb. rationem, *Berneggero* (h) interprete, *Iustinus* (i) *usui vitæ cultioris* contradistinguens, ad
i) l.43.4.1. hunc *legibus*, ad illam *armis vivere* refert. *Ciceroni* sæpe mores duri, feri, immanes, dicuntur barbaries.

§. 27. Barbari nimirum possunt dici vel ratione *patriæ*, vel ratione *morum*. Ad priorem significationem suo modo pertinet, quando Græci qui non suæ erant Gentis homines, Barbaros appellarunt, Græcis licet moratiores, vel certe æque morati essent; quales erant Ebræi, priscique Ægyptii. Ita hodie Gentile nomen est, nobilissimo

totius

totius Africæ tractui ab Ægypto ad fretum usque Herculeum excurrenti maritimo impositum. Rationem appellationis reddere conatur *Maginus* (k) jam non examinandam. Ratione *morum Barbaræ* gentes ſunt, apud quas cultioris vitæ uſus exulat, nullæque quæ feritatem morum emollirent introducta humanitate vigent literæ; quæ naturæ ferocientis feritatem potius, & ἕξεις θηριώδεις, ut *Philoſ.* loquitur, ſequuntur, quàm humanitatem à bona in moralibus diſciplina & educatione provenientem, qua deſtituuntur, lubidinemque potius contumacis appetitus, quàm rectiora rationis dictamina audire malunt. *Barbaries*, inquit *Thomas* (m), *convenienter hoc ſigno declaratur, quod homines vel non utantur legibus, vel irrationabilibus, & ſimiliter quod apud aliquas gentes non ſint exercitia literarum.* Supra *Barbaros ſimpliciter nominari dixit*, qui ratione deficiunt: unde brutorum potius & ferarum, quàm hominum agunt nonnunquam vitam, homines illiterati, feroces, impudentes, jus in armis & robore corporis habentes, montani, ſylveſtres, cum humanitate religionem etiam exuentes: Sunt enim alii aliis ferociores, craſſiores & ſtupidiores. Cultioris verò vitæ quibus uſus eſt, cum humanitate, morumque & mentis cultura ſecundum bonas leges & rationis præcepta conjunctus,

k) *Nov. Geogr. p.* 185.

l) *Vid. Ariſtotel. l.* 7. *Ethic. c.* 5.

m) *Explan. in Ariſt.* 1. *pol.* 1. *Lect.* 1.

Gentes audiunt moratiores, naturæ hominum sociali & naturali convenienter viventes.

§ 28. Cæterum uti, ceu supra diximus, moratiores ob barbariem illis innoxiam Barbaras invadendi gentes jus non habent, ita hæ contra illas omni jure ad Gentium jus provocare possunt, si quid negotii aut controversiæ cum iisdem eis aliquid intercesserit. Vicissim etiam Barbaræ Gentes communi Gentium vinculo & jure, qua ad populorum consociationem internam id facit, sic obligantur, ut contra illud delinquentes vel vi injusta id rumpentes, bello coërceri & ad officium redigi juste queant, ceu rectæ rationis omnibus observanda dictamina ex naturæ ferocia, & indole ferina conculcantes.

ARTIC.

ARTIC. IV.

De

Vnitate humanæ consociationis per Gentium connexionem.

§. I.

UNiversalem quandam societatem universi generis humani, vinculo juris naturalis omnes homines consociantem, supra dari diximus; quam quo minus generis humani unitatem primam, internam & simpliciter indivisibilem, indissolubilemque, ob juris naturalis quæ vitam socialem præcipit & dirigit immutabilitatem, appellemus, nihil impedit. Cum vero moles hęc major esset, quã ut feliciter unius imperio regi posset, necessario ejus administratio, diviso in cœtus humano genere, inter plures dividenda erat, assignato unicuique suo cui præesset cœtu. Cæterum quia ad administrationem Dei loco vicariam hæc tantum pertinet divisio, faciem humani generis externam ea saltem concernit, salva indivisione & unitate ejusdem interna & naturali, quæ suam vim per divisos istos, distinctosq; cœtus hominum particulares ita exerit, ut gentes inter se consociando etiam perpetuam externam moliatur unitatem, præci-

piatque; quam ita appellandam censemus, quod in exteriori humani generis facie, circa unionem particularium cœtuum qua talium contingat.

§. 2. Unitas enim externa hæc Gentium & Rerumpublicarum, in quas magna universi humani generis civitas nunc divisa est, in hoc consistit, ut licet qua divisæ à se invicem, de conservando suo statu, & declinando illo quod nociturum videtur, solicitæ esse possint; rursus tamen cœtus isti & totius humani generis partes in unum corpus, universalemque quandam societatem, quantùm divisio facta permittit coalescant. Necessaria est hæc unitas propter unitatem internam, quæ nulla & inefficax foret, nisi & inter Gentes civitatesque qua tales unionis vinculum intercederet. Quanquam enim obligatio & vinculum quod omnes homines in universalem cœtum sub divino cogit imperio, primo & per se insit singulis, vim tamen suam nondum amittit in iisdem, quatenus integros distinctósq; constituunt cœtus, quos æque sociales, ceu socialium hominum multitudines, esse oportet, atque singuli qui istos constituunt sociales sunt. Ut proinde ipsam Gentium consociationem in jure naturali fundari necessum sit: Quæ etiam ratio est, quare Gentium consilia & actiones Pacem potius, quam bellum respicere debeant.

§. 3. Pri-

§. 3. Primam illam atque fundamentalem humani generis unitatem, *internam* sc. inanem futuram diximus, nisi & altera illa unitas, *externa* nimirum, per Gentium connexionem accedat. Perpetuo quippe bello involutæ se invicem absorberent civitates, datis acceptisque cladibus seipsum conficiente humano genere. Status humani generis esset, qualem olim corporis humani apud *Livium*(a) fuisse finxit Menenius a) l. 2.
Agrippa, cum cætera contra ventrem conspirassent membra, quæ cum ventrem *fame domare vellent, unâ cum toto corpore ad extremam pervenerunt tabem*; vel qualem *Buchananus*(b) b) *Hist. Sco-*
fuisse tradidit monstri in Scotia nati, quod *tic. l.* 13. *p.*
inferiore quidem corporis parte speciē maris; um- 458.
bilicum vero supra, trunco corporis, ac reliquis omnibus membris geminis, & ad usum & speciem discretis fuit; in quo *duo* ista *corpora* unita licet *secum discordia* fuisse, & *cum aliud alii placeret sæpe litigasse, interim velut in commune consultasse* memorat.

§. 4. Conjunguntur autem integri Gentium & Rerumpublicarum cœtus I. *mediate* per consociationem sub divino imperio, cui omnes Gentes & civitates etiam qua tales subjiciuntur; quæ proinde inter se quoque connectuntur, quatenus eodem, communique divino continentur regimine & imperio. Dividantur enim licet gentes ratione regiminis immediati, qua tamen ratione

ligiones; quæ prolixius etiam *Arnobio* (k) & *Augustino* (l) disputata sunt; non tamen qui sacris à nobis dissentiunt, malumque de Deo fovent sensum, impiumque instituunt cultum, à nobis ceu rei læsi juris Gentium puniri possunt, cum directe & immediate ista injuria non in Gentes, sed in Deum tendat, sine mutua gentium ad invicem intercedente obligatione. Unde sicut Gens per se non læditur, licet vicinæ diversas sectentur de Deo opiniones & religiones, ita religionis gratia præcise genti in gentem insurgere non licet, nisi peculiaribus religionem concernentibus pactis Gens Genti obligetur. Posset etiam gentium quies & connexio socialis sub diversitate religionis consistere, quandoquidem infidelitas vitam socialem non semper tollat, si, cum unitas ejusdem speranda non sit, constitutam religiosam pacem bona fide Gentes servarent, satis validi vinculi loco inter illas, quorum diversa sunt sacra, futuram: cum nec religionis concordia Gallos & Hispanos, Anglos & Batavos, Suecos atque Danos concordes retinere sæpe potuerit.

k) *contr. Gent.*

l) *de Civit. Dei.*

§. 7. *Francisc. Baconus de Verulamio* (m) *de Bello sacro contra Infideles, solummodo propter propagationem fidei, sine alia quapiam hostilitatis causa* suscipiendo disputat, inclinatq; contra Turcas, aliosque. Sed gladio & armis

m) *de Bell. Sacr Opp. f.* 1304 *seqq.*

armis nec obtinere licet, nec obtinere fas est, quæ ſolius divini verbi virtute fiunt, & fieri poſſunt. Nec intellectus ad aſſenſum dogmati & propoſitioni præbendum ſe pati cogitur, qui argumentis ſecum agi, convincique mavult: Sunt vero talia ſublimitatis noſtræ religionis myſteria, ut ſuis viribus homo infidelis, proponantur ei licet, minime dijudicare illa poſſit. Afris *ridiculum* Gallorum reſponſum fuit viſum apud *Froſſardum* (n), cum cauſam belli contra ſe ſuſcepti inquirentibus reſpondiſſent: *Ideo potiſsimum, quod majores ipſorum indigna morte Servatorem Orbis necaſſent: Deinde quod baptiſmū excluderent, quod in Deum eſſent impÿ, quod de virgine matre irreverenter ſentirent.* Improbat cruentam Chriſtianæ religionis propagationem *Tertullianus* (o): *Humani juris & naturalis poteſtatis eſt unicuiq; quod putaverit colere: nec alÿ obeſt, aut prodeſt alterius religio. Sed nec religionis eſt cogere religionem, quæ ſponte ſuſcipi debeat non vi: cum & hoſtiæ ab animo libenti expoſtulentur.* Cumq; nec Genti in religionem alterius poteſtas competat, cum ad cujusque hæc pertinet jura alteri non obnoxia, ἀνθρωποθυσίαν, execrabilem licet, *Hiſpanis juſtam cauſam tribuiſſe Territoria Indorum invadendi*, cum *Bacono* (p) ego nondum pronunciaverim.

n) *Hiſt. l. 3. p. m. 245.*

o) *ad Scapul. 552.*

p) *l. 1. f. 1310.*

§. 8. Quod ſi tamen juſtis de cauſis Chriſtianæ genti contra infidelem neceſſarium

ctum ſit gerendum bellum, quin unâ hac occaſione ad propagandam veram religionem, ſine vi tamen conſcientiis inferenda, & abolendum paganiſmum victor reſpicere poſſit, non dubitamus. Notant etiam ſcriptores rerum à Carolo M. geſtarum, ad bellum cum Saxonibus gerendum, non parum ei addidiſſe ſtimuli ſtudium religionis Chriſtianæ deſtructo Paganiſmo propagandæ: Unde uti *Adamus Bremenſis* (q) tradit, *omnibus qui reſiſtere ſolebant profligatis, & in ſuam poteſtatem redactis, ea conditio à rege propoſita, & ab illis ſuſcepta eſt, ut abjecto dæmonum cultu, relictisq; patriis ceremoniis, Chriſtianæ fidei ſacramenta ſuſciperent.* Propoſuiſſe autem hic dicitur Saxonibus *conditionem* dictam, non vero ad eandem amplectendam victos ferro coëgiſſe: Quod victori adverſus debellatos, inque deditionem ſimpliciter acceptos facere licuiſſe, negari nequit. B. noſtri *Bœcleri* (r) hæc de facto Caroli M. eſt ſententia: *Si gentem aliquam Chriſtiano nomini infeſtam eſſe conſtat, & ad illud delendum ſemper intentam, quidni liceat, cognito hoſtili animo, bello eam aggredi, & victoria ita uti, ut abolitis paganiis Chriſtiana religio introducatur?*

q) *Hiſt. Eccl. l. 1. c. 7.*

r) *in Wite-kind. M. p. 5.*

§. 9. Etſi vero quod jure belli & victoriæ etiam ſacra cedunt victori, cultum is idololatricum & impium, rectæ etiam rationi contrarium abrogare poſſit, niſi ſpeciali interveniente pacto impediatur: ob diſſen-

dissensum tamen religionis atrocius in victos sævire non licebit; cum quod religione perversa mortales ducantur, non tam voluntatis, secundum quam de bonitate & malitia morali judicandum, quam intellectus error sit, qui nisi convincatur, voluntatis imperium assensum ita crude imperantis non admittit; tum quod ad veritatem religionis non Gens Genti, sed Deo obligetur, uti supra dictum. Cananæorum Gentes autem quod excidio supremus orbis Rector per arma Ebræorum destinarit, cum ad Theocratiam pertinet, quod consequenter non nisi in Theocratia, qualis regiminis forma hodie nõ datur, sub imitationem cadet; tum quod cmopluribus & execrabilibus sceleribus, de quibus Levit. 18. superstitiones cumulaverant, divino jussu expresso, & judiciario, non humano factum est arbitrio.

§. 10. Pacta etiam cum victis circa religionis avitæ, discrepet licet ab ea quam victor sequitur, usum inita, factaque hoc nomine promissa servari, non indulgentiæ tantum, sed & juris gentium est. Cum enim Jus sibi tali acquisiverint transactione, sine fidei datæ violatione illud revocare non licet, nisi altera pars prior à pacto recesserit; vel nisiquod fuerint delinquentes, subditi in pœnam publico suæ religionis exercitio priventur. Romani, etsi de

Judæo-

Judæorū ſacris, ut ex *Tacito* (s) conſtat, ſatis abjecte ſenſerint, jus etiam Pontifices conſtituendi ad ſe pertraxerint, cenſumq; eoſdē ſibi ſolvere coëgerint, jurisdictionem deniq; criminalem reſtrinxerint, illorum *tamen ſancta, Ioſepho* (t) teſte, ſic *reverebantur, ut licet cum iſtis nulla eis eſſet ſocietas, manus cohiberent.* Alibi (u) idem Romanos *Iudæorum leges tueri, ſacraq; Deo reddi compellere*, aſſeverat. Objicit etiam rebellibus Titus (x), quod *leges patrias ipſis ſervaverint* Romani, cum jure *tributum accipiendi Dei nomine, atq; donaria colligendi.* Mahomet. II. Conſtantinopoleos expugnatorem, *edicto propoſito gravia minatum eſſe illis* ſcribit *Martin. Cruſius* (y), *quicunq; moleſtarent aut calumniarentur aliquem Chriſtianorum, in eosq; graviter animadverti juſſiſſe:* qua conſcientiarum libertate adhuc hodie ſub jugo Barbarorum gaudent Eccleſiæ Græcanicæ; quos etiam externam ſacrorum Chriſtianorum curam agere autor eſt *M. Antonius de Dominis* (z), *Turcicos*, inquiens, *ego Magiſtratus in mea diœceſi Spalatenſi, quæ ex maxima parte Turcis ſubeſt, expertus ſum invigilantes ſuper Chriſtianos ſubditos, ac præſertim Eccleſiaſticos miniſtros, ut leges proprias in religione, & rebus ſpiritualibus externi Divini cultus exacte ſervarent.*

s) *5. Hiſt. 4.*

t) *Bell. Iud. l. 6. 11.*

u) *l. 7. 4.*

x) *ap. Ioſeph. B. I. 7. 13.*

y) *Turco-Græc. f. 119.*

z) *Oſtenſ. Error. Frāc. Suar. p. 927.*

§. 11. Connecti vero debent etiam II. *immediate & proxime* ipſi cœtus humani generis & Gentes inter ſe vinculo omnibus

communi & universali. Non minus enim mortalium cœtus sociales esse debent, atque singuli sociales sunt mortales, cum socialitatem nunquam exuere debeamus, sive solitariam agamus vitam, sive in cœtus peculiares ab aliis separatos coëamus. Ergo uti qua singuli copulamur vinculo juris communi, lege sc. naturali, in universalem quam humanum genus constituit societatem, quod nos qua homines sumus mutuo nexu ad reciproca obligat officia, ita oportet vinculum quoq; juris quoddã intercedere inter mortales, qua peculiares & integros cœtus, qui à seinvicem distincti sunt, constituunt, quod gentes qua gentes sunt ad certos actus publicos obliget, illarumque ad invicem operationes ita dirigat, quo omnes socialem & felicem agere possint vitam, ne perpetuis bellis, mutuisque injuriis Populi se invicem conficiant, non sine funèsta universi generis humani dissociatione, qua data magna illa humani generis & universalis societas stare non potest. In hoc enim consistit Gentium hæc connexio, quod cum omnes sub divino consocientur imperio, etiam inter se invicem ad mutua socialitatis societatisque officia devinciantur, uti homo homini, civisque suo concivi, provinciis provinciæ sub eodem capite conjunctæ ea præstare tenentur, tanquam cœtus particulares Deoque subditi,

diti, universalem cœtum constituentes; uti diximus.

§. 12. Connectuntur autem, continenturque Gentes etiam qua tales cum reciproca ad socialitatis officia obligatione, *Iure naturali.* Cum enim hoc inter alias leges socialis quoque vitæ præcepta complectatur, negari nequit, ad gentium socialitatem & consociationem, prout nimirum fert illius indoles, eadem pertinere, iisdemque populos & civitates qua tales obligari. In distinctos enim cœtus boni ordinis ergo coacti iidem manemus, qui ante eramus, cum eandem retineamus naturam rationalem & socialem, quæ lege naturali perpetuo & ubique obligatur. Eximie hinc *Augustinus* (a), *cives civibus, Gentes Gentibus, & prorsus hominibus homines primorum parentum recordatione, non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate conjungi* docet; Gentium consociationem innuens.

a) *t. 1. Opp. de Mor. Eccles. l. 1. c. 30.*

§. 13. Vinculum præterea quo nexu mutuo gentes & civitates connectuntur, sunt II. *Consuetudines* cum *reciproca obligatione* receptæ; quæ inter gentes æque necessariæ sunt ut cum mutua obligatione præceptis Juris Naturalis, quæ Gentium societatem dirigunt, adjiciantur, atque in civitate necesse est, ut legibus naturalibus adjiciantur ab eo qui ferendi jus habet leges civiles. Uti enim perfectio civitatis atq;

boni ordinis ratio in civili consociatione requirunt, ut legibus naturalibus positivæ addantur, quibus vel specialis agendi modus actionisque conditio determinatur, vel quibus LL. naturales, quo eo sanctius observentur, præmuniuntur, *uti de sepimento, quod instar προφυλακῆς ad legis divinæ violationē avertendam Ebræi pro re nata fecerunt*, disputat doctissimus *Frischmuthus* (b): vel quibus ea quæ jus naturæ non attingit, secundum rationem boni publici definiuntur; ita quoque consociatio Gentium conservanda, confirmanda, & ubi fuerit concussa restituenda, ut salva maneat, indiget præter vinculum legis naturalis vinculo insuper aliquo exteriori, quo non solum velut sepimento illud interius gentium vinculum I. N. custoditur, sed etiam eidem aliquid rationi naturali valde cognatum superadditur, quod vel istud Gentium jus internum ad socialem vitam magis exprimat, vel quæ ad Gentium societatem eximie conferunt, nec I. N. præcepta sunt, jubeat, illarumque ad invicem actus ad specialem agendi modum socialem determinet, vel in publicis commerciis populos sic dirigat, prout ex usu omnium esse communis omnium ratio dictat.

b) *de Sepim. quod ad L. divinæ violat. &c.*

§. 14. Pertinent huc ceu vincula Gentium III. *Fœdera*, quibus vel ad Juris naturalis debita sibi invicem exhibenda denuò

se po-

se populi obligant; Arco contra Callicratem apud *Livium* (c) differens, vocat *commercium tantum Iuris præbendi repetendiq;* vel confirmatæ aut redintegratæ amicitiæ nonnulla adjiciunt, quibus actus illorum ad invicem, publicumque inter eosdem tam belli quàm pacis tempore commercium, cum reciproco nexu diriguntur. Fructum hujus necessitatemque eximie explicat *Seneca* (d): *Societas nostra lapidum fornicationi simillima est, quæ casura, nisi invicem obstarent, hoc ipso sustinetur.* Faciunt enim talia fœdera, *ut civitates diversa inter se exerceant commercia, & contra hostes communes consocientur, curentq; ne una alias absorbeat*, ut loquitur *Cumberland.* (e) qui ingeniose hæc persequitur. Unde *Cominæus* (f) quoties, inquit, *illi qui fœdere conjuncti sunt, secessionem faciunt, & se dissipari patiuntur, dubitari amplius non debet, quin paulatim omnes cladem aliquam accipiant, idq; pertinet tam ad Principes quam ad Civitates.* Etsi verò non ex vinculi, sed connexorum vitio contingat, ut judicio *Francisc. Guicciardin* (g). *fœdera inter multos icta non ea firmitate & consensione animorum sua natura sint: quin sperari possit, quempiam aut remissiorem fore, aut ab aliis disjunctum iri.* Cujus & alibi (h) hæc est sententia, quod *ubi Principes, qui se pares existimant, conjunguntur, facile inter ipsos suspiciones controversiaq; existant:* ex quo *sæpe fieri* ait, *ut res magna spe cœpta in multas difficultates incidant,* ac tan-

c) *l.* 41.

d) *Epist.* 95.

e) *de LL. Nat. p.* 320. *seq.*

f) *l.* 2. *Com. p. m.* 360.

g) *Histor. l.* 2.

h) *Hist. l.* 7.

ac tandem evanescant. Feliciter tamen huic malo occurri posset, si qui sic cõveniunt memores essent istius Nestorei ad Achillem apud *Homerum* (i).

i) *Iliad. l. 22. p. 784.*

> — ἄγε δεῦρο θεοὺς ἐπιδώμεθα· τοὶ γὰρ ἄριστοι
> Μάρτυρεσι ἔσσονται, καὶ ἐπίσκοποι ἁρμονιάων,
> *age hic Deum respiciamus, hi enim optimi*
> *Testes erunt, & custodes pactorum.*

Præclare etiam *Thucydidis* (k) verbis olim Mitylenæi: *Scimus* οὔτε φιλίαν ἰδιώταις βέβαιον γιγνομένην, οὔτε κοινωνίαν πόλεσιν ἐς οὐδὲν, εἰ μὴ μεθ' ἀρετῆς δοκούσης ἐς ἀλλήλους γίγνοιντο, καὶ τ' ἄλλα ὁμοιότροποι εἶεν, *neq; amicitiam inter privatos initam esse stabilem, neq; consortium inter civitates aliquid pollere, nisi mutua opinio intercedat virtutis, & circa cætera morum vitaq; consensio.*

k) *l. 3. Bell. Pelop. f. 86.*

§. 15. Fœdera hæc jam armorum, jam commerciorum gratia inter gentes ineuntur, prout illas conjungi necessitas urget, vel è re sua esse credunt, libere tamen, ut qua libertate gens genti societatem offert, eâdem hæc oblatã offerenti remittere queat, si vel sibi eandẽ periculosam, vel minus tutã esse, sibiq; damnum & incõmodum adferre judicaverit: In pari enim semper potior & prior est conditio possidentis. Nec tenetur gens ad commercium cum alia, quod aliquando sibi noxium futurum esse prudenter colligit. Unde cum Eduard. VI. Angliæ Rex commerciorum fœdus à Gustavo Suecorum Rege petiisset, quod

privi-

privilegiis & juribus suorum subditorum id vim facere, peregrinisque etiam Mercatoribus parum è re sua futurum videret Rex Suecus, annuere, *ut Locen.* (l) refert, noluit. Notum etiam est, quid nostra ætate Batavi apud Sinensem Imperatorem pro commerciorum libertate, & quo successu tentaverint. Causam reddit *Osorius* (m) hodie allegari solitam, quam sufficienté tamen, *Iustitiæq; usquequaque consentaneam* esse negat *Bœclerus* (n). Libertatis Gentium hic est effectus, ut ex proprio arbitrio decidere queant, & ex proprio dispicere judicio, cum quibus inito fœdere commercia exercere velint: quo facto licet nonnunquam in humanitatis leges peccetur, ita ut ob portum prohibitum bella etiã sint exorta, cum tamen jus petendorum cõmerciorum non nisi imperfectum sit, bello contra negantem id vindicare non licebit læso populo, nisi aliunde jus perfectum is quæsitum habeat, uti Megarenses apud *Thucyd.* (o) Athenienses coram Lacedæmoniis accusarunt, quod παρὰ τὰς σπονδὰς, *præter fœdera sibi interdictum esset portubus Atheniensis imperii, & Attico foro.*

l) *Hist. Suec. l. 6 p. 327.*

m) *de Reb. Immanuel Lusit. l. 2.*

n) *de civit. Marit. c. 3.*

o) *l. 1. f. 2.*

§. 16. Perpetuo nonnunquam fœdere gentes uniuntur in Rempublicam, uti loquuntur, Systematicã: Cujus hæc est indoles, ut diversæ illæ Gentes in unum corpus coalescentes, communem omnium salutem, & illorum summi imperii jurium

exercitium, quæ ad id quod omnium interest pertinent, communi quoque omnium sociorum consilio committant, reservato sibi illarum imperii partium exercitio libero, quæ, ut Dn. *Pufendorf.* (p) loquitur, *quomodo gerantur, reliquarum partium parum aut nihil, saltem directe, interest.* Talis olim fuit Respublica Achæorum, ex Peloponnesiis in nominis & Reipublicæ societatem coalescentibus exorta, de qua sic loquitur *Polybius* (q): Τῆς ἰσηγορίας καὶ παῤῥησίας καὶ καθόλου δημοκρατίας ἀληθινῆς σύστημα καὶ προαίρεσιν εἰλικρινέστερον οὐκ ἂν εὕροι τις τῆς παρὰ τοῖς Ἀχαιοῖς ὑπαρχούσης, *non est invenire ullam hominum societatem, in qua juris æquabilitas, libertas, & ut brevi absolvam, popularis vere status magis vigeat, aut instituta sinceriora, quam apud Achæos.* Alibi (r). *unam illis semper fuisse Reip. suæ administrandæ rationem*: addit, dum ad *æqualitatem & libertatem communi consilio* contendebant. Unum etiam Prætorem designari placuit, καὶ τούτῳ πιστεύειν ὑπὲρ τῶν ὅλων, *cui rerum summam permitterent.* Ex *Trogo* Epitomator *Iustinus* (s) de Achæis, *licet*, inquit, *per civitates veluti per membra divisi sint, unum tamen corpus & unum imperium habent; singularumq; urbium pericula mutuis viribus propulsant.* Simili fœdere connexæ sunt Belgii, quæ ab Hispanorum imperio in libertatem se vindicarunt, provinciæ; Pagique Helvetiorum.

p) *de I.N.G. l. 7. c. 5. § 18.*

q) *l. 2. 38.*

r) *l. 1. c. 42.*

s) *l. 34. Hist. 1.*

§. 17. Cæterum cum socialitatem humani

mani generis religionis diversitas, ceu superveniens incommodum, non tollat, nec Gentes qua vel fideles vel infideles, sed qua sunt cœtus humani in universam quandam societatem consociandi, ad constituendum tanquam partes unum corpus sub divino imperio, facultate fœdera pangendi gaudeant, etiam cum populis qui à vera religione alieni & infideles sunt, licite fœdera iniri patet. Quid juris, non quid consilii, aut hinc provenientis peccati hic sit, disquirimus. Hujus enim est prudenter æstimare, funestane potius sint, quam utilia ejusmodi fœdera, inprimis si bellicam concernant societatem. Nec censeri debet id jure naturali non permitti, quod incaute usurpatum nocuit, vel nocere potest (t). Non prodest, quod non lædere possit idem, verè canit *Ovidius* (u). Καλὰ μὲν γὰρ ἅπαντα καὶ συμφέροντα φαίνεται τοῖς χρωμένοις, ὅταν τις αὐτοῖς χρήσηται καλῶς· αἰσχρὰ δὲ καὶ ἀσύμφορα, ὅταν πονηροὺς λάβῃ προστάτας, *omnia enim honesta & utilia videntur tantisper dum usus eorum rectus est: quo per eos, qui illis præsunt depravato, eadem turpia habentur & utilia*; recte monet *Dionysius Halicarnas.* (x) Quin nec ratio Juris Naturæ obstare videtur, quo minus cum infideli contra fidelem barbaro & infideli ferociorem & iniquiorem, si sic necessitas urgeat, fœdus defensionis ergo prudenter tamen ineatur. Ut enim sacrorum communio non impedit, quo minus legiti-

t) *cōtra Alberic. Gent. l.B.* 3. 19. *p.* 659.

u) 2. *Trist.*

x) *l.* 5. *sub fin.*

me adversus fidei consanguineum vim mihi inferentem arma stringam, sic nec eadẽ per se prohibet, quo minus id faciam opera hominis infidelis; cum defensio non religionis, sed juris naturalis sit, quod hominem homini, qua homo, non qua præcise fidelis vel infidelis est, commendat. Quæ ex V. T. objicere solent, ad regimen partim Theocraticum, partim ejusdem in regno Ebræorum reliquias, pertinere arbitror.

§. 18. Recedere à fœdere licet, quando vel socius fœderis legibus non satisfacit, cum pactum & promissum utrinque factum suspendatur à præstita alterius partis fide: vel summa, quæ saniori prudentum judicio excepta videtur, necessitas ita præcipit. Auxilia sibi ferri postulant à Lacedæ-
(y) l. 1. f. 23. moniis Corinthii apud *Thucydidem* (y), *ne se cæterosq́; cogant præ desperatione ad aliam aliquam se convertere societatem: nihil profectò injuste acturos, aut erga Deos, quos juraverant, aut erga homines qui sensum aliquem habent*; gravi addita ratione: *λύουσι γὰρ σπονδὰς οὐχ οἱ δι' ἐρημίας ἄλλοις προσιόντες, ἀλλ' οἱ μὴ βοηθοῦντες οἷς ἂν ξυνομόσωσι, non enim qui destituti ad alios se conferunt, fœdifragi sunt, sed qui cõjuratis suis auxilia denegant.* Ita Veneti anno 1573. *animadverso rerum suarum periculo, ob parum servatas fœderis leges,* à fœdere facta cum Turcis pace sibi recedere licere crediderunt apud *Iustinian.*

nian(z). Thuanus(a) ita explicat: *Veneti ut honestius & citra offensionem sociorum à fœdere discessisse viderentur, necessitate factum excusarunt, cum ejus culpam in Hispanorum affectatas moras, & malignam tarditatem rejicere potuissent.* Extatque hac de re prolixior sermo Nicol. Pontani coram Pontifice hoc nomine habitus apud *Iustinian.* (b) Admisisse etiam hanc *à necessitate* petitam excusationem Philippum II. Hisp. autor est *Thuanus* (c), quando Oratore Veneto perbenigne compellato, *nec iniquo animo fero, senatum, si quidem è re sua existimavit, ut cum Turcis conveniret, rebus suis in tempore consuluisse.* *rem quemq; suam nosse verum est*, inquit, Eandem necessitatem Ordines Belgii confœderati à fœdere cum Germanis inito discedendi anno 1679. allegarunt(d). Habent enim actiones & instituta humana exceptionem summæ & veræ necessitatis, quæ *temporis lex* dicitur apud Senecam (e).

z) *Hist. Ven. l. 16. f. 352.*
a) *l. 55. Hist. f. 893.*
b) *l. c.*
c) *l. c.*
d) *Vid. Ep. ad El. Brand. deb. d. 8. 18. Aug. 1679.*
e) 4. *Epist. Controv. 4.*

§. 19. Contendit etiam *Grotius* (f), fidem à parte corpori seu civitati præstandam, *exceptione necessitatis pereundi limitari*, uti *Bœclerus* (g) loquitur. Tali quippe obligatione, quâ pars simpliciter interitum potius & excidium, quàm alienum eligere tenetur imperium, non videntur se invicé constringere voluisse qui primi in societatem civilem coiverunt, sed semper sibi hunc casum reservasse, quod si à corpore auxilia necessaria, quæ

f) *l. B. II. 6. 5.*
g) *Com. l. c. p. 214.*

quæ id ex lege consociatonis laboranti parti
debet, vel non ferat, vel non ferre queat;
huic jus sit, cum aliter se servare non pos-
sit, sibi consulendo alienæ se permittere fi-
dei; ita ut factum hoc non tantum ignosci
debeat, *veniaq; dignum* sit, uti censet *Felde-*
h) *ad Grot. 2.l.B.6.5.* *nus*(h), sed & directa via & præscriptione ju-
i) *l.c.* ris defendi queat, *uti Grotius* (i) & *Bæclerus* (k)
k) *Comm. Grot. l.c. & P.I.p. 105. ad. Pufendorf. l.N. G.2.6.2.* disputant: præprimis quando pars oppressa,
si vel maxime extrema quæque atque exci-
dium patitur, hac sua clade toti corpori
ne minimum commodi aut utilitatis adfe-
rat. Laudandi omnino Saguntini, quod
cum spem se suaque conservandi haberent,
Hannibali restiterint, non verò quod re-
bus desperatis *inclusi cum conjugibus ac liberis*
domos super se ipsas concremare, quam pacem
ab hoste oblatam accipere maluerint: Qui-
l) *l.21.* bus saniora suaserat Alorcus apud *Livium*(l):
Hæc quæ victor hostis imperat, inquiens, *patien-*
da censeo potius, quam trucidari corpora vestra,
rapi, trahiq; ante ora vestra conjuges ac liberos bel-
li jure sinatis. Furor fuit, quod Xanthii
cum, capta illorum à Bruto urbe, à victore *ad*
m) *Bell. civil. l.4.f. 635.* *pacem per nuncios invitarentur*, hos *Appiano*(m)
narrante, *immissis telis repulerint*, καὶ τὰ σφέτερα
πάντα ἀνελόντες, ἐς πυρὰς προνενησμένας ἐν ταῖς
οἰκίαις ἐπίθεσαν, καὶ τὸ πῦρ ἅψαντες, ἑαυτοὺς ἐπι-
κατέσφαξαν, *& contrucidatis prius suis omnibus,*
atq; in rogos compositis, subjecta flamma postremo
seipsos jugulaverint. Recte hic allegatur
locus

locus *Augustini* (n): *In omnibus fere gentibus quodammodo vox naturæ ista personuit, ut subjugari victoribus mallent, quam bellica omnifaria vastatione deleri.* Unde Thessali imminente Xerxe missis ad Græcos nuntiis, *nos equidem*, inquiunt apud *Herodotum* (o), *ad custodiendum præparati sumus: Sed vos quoq; debetis multum illuc mittere copiarum; quas nisi mittatis, scitote nos pactionem inituros esse cum Persa.* Οὐ γὰρ τοι προκατημένους τοσοῦτο περὶ τῆς ἄλλης ἑλλάδος μούνους περὶ ὑμέων δεῖ ἀπολέσθαι. βοηθέειν δὲ οὐ βουλόμενοι, ἀναγκαίην ἡμῖν οὐδεμίην οἷοί τε ἐστὲ προσφέρειν. Ουδεμὰ γὰρ ἀδυνασίης ἀνάγκη κρέσσων ἔφυ, *neque enim decet nos adeo ante ceteram Græciam positos pro vobis solos occumbere. Quibus ferre opem si recusatis, nullam potestis injungere necessitatem. Nulla namq; fortior est necessitas, quàm imbecillitatis.* Et Corinthii apud *Xenophontem* (p), cum Lacedæmonios rogarent, ut sibi per illos pacem cum Thebanis facere liceret, *si*, inquiunt, *vos rationem aliquam intelligitis, quamobrem vobis bellum expediat gerere: precamur vos uti nobis pacem facere per vos liceat.* σωθέντες μὲν γὰρ ἴσως ἂν αὖθις ἔτι ποτὲ ὑμῖν καιρῷ ἡμῖν γενοίμεθα. Ἐὰν δὲ νῦν ἀπολώμεθα δηλονότι οὐδέποτε ἔτι χρήσιμοι ἐσόμεθα, *nam si hoc tempore fuerimus conservati, fortasse rursus aliquando vobis usui erimus: sin jam pereamus, certum est, non posse nos unquam vobis deinceps prodesse.*

n) 18. de Civ. D. c. 2.

o) l. 7. c. 172.

p) Hist. Græc. l. 7. f. 624.

§. 20. Connectuntur etiam IV. Gentes nexu mutuo, vinculoque reciproco per

varia *Pacta* in specie sic dicta. Talia sunt inprimis Pacta *I. Unionis* plurium Gentium sub uno capite coalescentium. Dani, Sueci, Norvegi certa inita hoc nomine conventione, non solum sub Margaretha coaluerunt, sed & postmodum rursus de Regnorum Borealium Imperio Johanni Daniæ Regi tradendo consultarunt. Præcipua capita unionis tum futuræ exhibet *Loccenius* (q). Quo medio dissidia quæ gentes inter se collidere solent, sæpeque commiserunt, haud raro sopita constat. Pacta Suecorum & Polonorum Sueciæ Principem Sigismundum communem Regem designantium, explicantur à *Thuano* (r): Hunc Polonis hoc etiam placuisse nomine idem autor est (s), quod *non exiguas controversias, quæ Sueciæ Regi cum Poloniæ regno intercedebant compositurus videbatur*. Pactorum etiam primum caput fuit, *ut perpetuum esset fœdus inter Polonia & Suecia regna adversus utriq; finitimos hostes*: Utrumque regnum *membrorum instar Sigismundo tanquam capite uno nodo constringente*, ut loquuntur Legati Sigismundi propter comitia Sudercopiensia, prohibéte rege celebrata, Holmiam missi. Æmulus Sueci Principis Theodorus Magnus Moscorum Dux, *universam ditionem suam à Livoniæ finibus ad mare Caspium usq; pertinentem adjuncturum se regno Poloniæ, si Rex eligeretur*, promisit apud eundem (t). Sæpius tamen

voto

q) *Hist. Suec. l. 5. p. 160.*

r) *t. 4. l. 88. f. 230. seq.*

s) *l. c. f. 229.*

t) *l. c. f. 218.*

voto eventum non respondisse, supra jam vidimus.

§. 21. Pacta quibus Gentes uniuntur sunt II. *Nuptialia.* Sic enim nuptiis in unam Gentem coaluere, ut ex *Livio* (u) constat, Romani Sabinique. Quanquam verò ad actus Regum & populorum privatos pertineant connubia; peculiaria tamen non solum hoc nomine inter Gentes intercedere interdum solent pacta ad unionem populorum & regnorum pertinentia, sed & florentissima regna, & amplissimas terras, ita coaluisse notum est. Matrimoniis sane domus Austriaca sua incrementa, & tot Gentium connexionem sub uno capite debet. Alexander Macedo haud ignarus virium vinculi connubialis, non solum ipse Darii filiam in matrimonium recepit, sed &, uti *Iustinus* (x) autor est ex *Trogo Pompejo, Optimatibus Macedonum lectas ex omnibus gentibus nobilissimas virgines tradidit, affinitatibus connubiorum victos victoribus miscens.* Apud *Buchanan.* (y) *se quo arctius pax cum Anglis coalesceret etiam affinitatem cum Henrico cupiisse; ac num etiam cupere. Quod si Henricus induceret in animum Margaritam filiam despondere, sese sperare eam rem in utriusq; regni emolumentum cessuram,* ait Jacob. II. Scotorum Rex. Unde *Campanella* (z), autor fuit Hispano Regi, ut, quo turbas Belgicas componeret, raptas ex Belgio fœminas Hispanis elocaret,

u) *l.* 1.

x) 12. 10. 10.

y) *Rer. Scot. Hist. l.* 13 *p. m.* 468.

z) *de Monarch. Hisp.* c. 27. p. 232.

ret, *mulieresq; hæreticorum illustres cum Baronibus catholicis conglutinaret*; *mirum esse*, inquiens, *quantum Principibus conducant matrimonia inter indigenas & victas gentes inita*. Qui ex *Livio* etiã observat de Capuanis, quod nihil eos à conjuratione cum Annibale ineunda tamdiu adeo cohibuerit, quàm affinitas cum Romanis contracta. Quæ etiam ratio est, ob quam cum, *uti Tacitus* (a) loquitur, matrimonium *ad majora nitenti decus & robur* esse possit, legibus Gentium nonnunquam interdictum sit, ne fœmina ex Augusta vel potenti domo exorta exteris pro arbitrio nubat.

a) *Agric*. 6. 1.

§. 22. III. Sunt Pacta Gentium & familiarum illustrium, quæ *Confraternitates* vulgo audiunt, inita de reciproca in ditiones & provincias successione, ubi vel sine prole mascula alter paciscentium obierit, vel in eo familia plane defecerit. Ejusmodi pactum olim inter Bohemos & Austriacos intercesserat. Unde defuncto Ladislao, *Sigismundus & Albertus Archiduces Austriæ veteris jure fœderis ac pacti Bohemiam ad se pertinere* contenderunt, *quando Rege Boëmiæ vita sine virili sobole defuncto, ex compacto ad Austriæ Duces recurrere oporteret*, uti refert *Bonfinius* (b). Iglaviensi enim pactione, *Chytræo* (c) ita explicante, convenerunt inter se Rudolphus I. Cæsar & Ottocarus Bohemus, *ut nullo legitimo hærede in regno Boëmiæ relicto vel superstite*, ad

b) *Dec. III. l.* 8. *f. m.* 505.
c) *Saxon. l.* 20. *f.* 505. *seq.*

ad Rudolphi posteritatem regnum deferretur. Non minus, eodem autore, (d) *in conventu trium regum Maximiliani Imperatoris, Sigismundi Poloniae, & Vladislai Boemi & Vngarici, Viennae pactio de successione Austriacae familiae in Bohemia & Vngaria, si Vladislai posteritas mascula extingueretur, communi regum & Senatorum consensu renovata fuit.* Pacta haec non solùm publicam inter gentes, nexu quasi fratrio junctas, conservant pacem, sed & lites de successione, familia regnatrice extincta, vel prole mascula deficiente, in atrocissima bella erupturas praecidunt, prohibentque ne subditi vel inviti, vel ignoto subjiciãtur domino: quae à *Clapmario*, (e), *Scipione Amirato* (f) aliisque Prudentiae civilis doctoribus, prolixius docentur. Cyrus sane apud *Xenophontem* (g) morti vicinus successorẽ designaturus, *δεῖ δὲ καὶ τὴν βασιλείαν*, inquit, *μὴ ἤδη σαφηνίσαντα καταλιπεῖν, ὡς ἂν μὴ ἀμφίλογος γενομένη πράγματα ὑμῖν παρέχῃ*, *est mihi declarandum hoc quoque, cui regnum relinquam; ne id relictum in ambiguo negotia nobis facessat.* Ista dein trãsactione Maximiliani cum Ungaris & Ladislao facta nisus Ferdinandus, Ludovico sine prole mascula in praelio Mogacensi extincto, Ungariae regnum jure sibi deberi contendit apud *Sleidanum* (g). Conjungunt haec vincula Hollandiae & Zelandiae proceres, quando ad Hispanum Regem scripserũt (h), *Nationes hasce, cum olim diversis principibus re-*

d) *l. c. f. 305. seq.*

e) *Arcan. Rerump. l. 2. c. 21.*

f) *Scip. Amirat. Disc. in Tac. l. 1. disc 2*

g) *Cyropad. l. 8. f. 235.*

g) *l. 6.*

h) *A. 1573.*

bus regerentur, matrimoniis, pactis, hereditatibus venisse sub domum Burgundicam primùm: deinde per Nuptias Austriaca; ac potentissimo Hispanorum regno connexas: sed dicta semper lege, ut quaq; natio sua jura, legesq; & proprium regimen, ita ut antiquitus retineret.

§. 23. Quæ de connexione Gentium *Hæreditatis* beneficio facta modo diximus, aliâs quoque contigerunt, vel Principe cum quo familia regnatrix defecit aliam gẽtem; vel alterius gentis Principem imperii hæredem & successorem constituente, aut commendante; vel Principe agnato, qui & ipse jam rex erat, ex lege successionis ab intestato succedente. Sic Attalus Asiæ regnum florentissimum populo Romano hæreditate reliquit, uti ex *Vellejo* (i) aliisque constat. *Testamentum reliquit*, inquit *Florus*: *Populus Romanus bonorum meorum*, in quibus regna ipsius fuerant, *hæres esto*. Nicomedes quoq; Bithyniæ rex, ut legitur in *Liviana* Epitome (k), *moriens populum Romanum fecit hæredem*: Uti & *Apion rex ex Lagidarum gente nothus, Cyrenarum regnum testamento populo Romano reliquisse* dicitur *Appiano* (l). Nostro seculo defuncta Elisabetha Angliæ Regina Jacobo Scotorum Regi, tanquam legitimo hæredi, Angliæ regnum detulit: etsi sint apud *Thuanum* (m), qui Reginam Angliæ Scotum *legitimum etiam declarasse successorem* prodiderunt.

i) *l.* 2. *c.* 4.

k) *l.* 93.

l) *de Bell. Mithrid. f.* 255.

m) *l.* 129. *f.* 2053.

§. 24

§. 24. Arctissima denique, ut alia pactorum vincula mittamus, unio Gentium fit per *juramentum*, de quo recte *Cicero* (n) *nullum*, inquit, *vinculum ad astringẽdam fidem majores nostri jurejurando arctius esse voluerunt.* Cum enim populi liberi sub divino consocientur imperio, communemque omnes Dominum & Rectorem, Omnipotentem & Omnipræsentem, justum etiam judicem, natura dictitante agnoscant; *ἴσονται ταῦτα Θεοὶ οἱ πάντα ὁρῶντες καὶ νῦν καὶ ἐς ἀεὶ, scient hac Dÿ, qui cuncta & nunc & aeternum vident*, Procles ait apud *Xenophont*; (o) jure ad ipsius tribunal, cui immediate subjiciuntur, hinc provocare, actorumque eundem testem, judicem & vindicem implorare licebit; ut licet non hominum ipsius tamen Numinis metu ad servanda promissa, fidemq; utrinq; datam præstandam, impellantur Reges atq, Populi solo Deo inferiores. *Homo jurans Deum adhibet testem*, B. ait *Augustinus* (p). Unde Arabes apud *Paul. Diaconum* (p), cum Justinianus se permansurum in pace, *quæ scripto convenerat*, negaret, *responderunt; ne Imperator quæ invicem cum juramentis consono pacto placita fuerant solveret; alioquin Deum Vindicem, Iudicem culparum fore.* Quemadmodum nec omnino damnandũ censuerim: si à gente vel innocentiæ suæ contra majorem iniquitatem asserendæ ergo, vel auxilii à divina Justia implorandi gratia, vel hostis injusti &

n) *l. Offic. 1.*

o) *Hist. Græc. l. 6. f. 611.*

p) *t. 6. opp. contra Adverf. Leg. l. 2 f 637.*

q) *Histor. Miscel. l. 9. c. 30.*

ferocis, metu Numinis justissimi à vi inique injusta deterrendi gratia absq; omni livore, odio, ira, vindictæq; studio, mentisq; impotentia, & quidem in causa longè gravissima, ad Deum, communem gentium judicem & Dominum, fiat provocatio.

§. 25. Etsi verò contingat populos sæpe diversum de Deo habere sensum, compluresque Deastros & Idola colere, ita tamen jurantes, si adduci non possunt ut aliter jurent, non quidem probari, admitti tamen, juramentumque quale potest accipi posse, rectè censet *Grotius* (r). Imo non acceptare tantum ab idolorũ cultoribus populis, sed etiam exigere ab iisdem juramentum licet, simpliciter scilicet *ut jurent*, non verò sub hac determinatione, *ut in nomine idolorum suorum jurent.* Nam, uti loquitur insignis Theologus *D. Calovius* (s), *juramenta debent sibi homines ex jure convivendi, ad veri confirmationem, convivere autem nonnunquam cum infidelibus & idololatris oportet: qui ergo juramentum exigit ab idololatra ex causa justa, jure suo utitur.* Quanquàm verò Idololatricæ Gentes per idola sua jurantes peccent, illarumque etiam vera non sint in se juramenta, per ista tamen obligantur, cum uti *Robertus Sandersonus* (t) loquitur, *talia juramenta sint ex hypothesi vera juramenta, supposita scilicet erronea jurantis conscientia: quatenus tenetur in conscientia sua id quilibet præstare, quod*

r) *I. B. P.* 2. 13. 12.

s) *Comm. in Genes. p. m.* 1153.

t) *de Iuram. oblig. p. m.* 148.

re, quod secundum conscientiæ suæ judicium juramento firmavit. Sane quia Idololatræ æque verum Deum suum Deastrum esse sibi persuadent, atque qui verum Deum colit de eodem pie est persuasus; ex dictamine suæ conscientiæ quoque & illi ad servandum obligabuntur juramentum, atque hic obstringitur, peccaturi contra conscientiam, ni ejus dictamini obsequantur. Accipiens autem tale juramentum hominis gentilis non fit particeps ejus idololatriæ, nec Christianum nomen abnegat, cum nec Jacobus in Idololatriæ societatem Labanis idololatricum juramentum acceptando (u) inciderit. *Negat enim*, ait *Tertulianus* (x), *quicunq; dissimulat in quacunq; causa pro Ethnico habitus*; id quod in dato casu non contingit.

u) *Gen.* 31. 83.

x) *de Idolol.* *f. m.* 741.

§. 26. Juramenta talia an novam & peculiarem obligationem producant, an verò obligationi jam in se firmæ, majoris certitudinis ergo, quo sc. ut *Laonicus* (y) *Chalcocondylas* loquitur, *majoribus animis observētur, majoriq; fide* pacta promissaque *colantur*, tanquam vinculum accessorium aliquod accidant? disquiritur. Ubi illud certum esse ducimus, quod si omne juramentum ex sua natura & ex se est obligatorium, juramento quoque superveniente obligationi jam factæ una nova quoque, à juramento scilicet proveniens, & sic distincta & peculiaris accedat obligatio, qua illa quæ jam ad-

y) *Rer. Turc.* *l.* 1. *f. m.* 292.

adfuit confirmatur, novaque superadditâ augetur. Præterea si ex Juramento quod ad hominem dirigitur, is cui juratur jus hinc acquirit tanquam ex promisso, obligatio etiam hinc super conscientiam jurantis propter præstitum cadet juramentum, quin & super materiam ipsius juramenti, *virtute cujus tenetur*, uti disputat *Sanderso-*

z) *l. c. p. 28.* *nus* (z), *promissorie jurans non solum intendere de præsenti id facere quod juravit, quod est τὸ ἀληθεύειν, ut sc. verba animo congruant: sed etiam conari de futuro (quantum in ipso est) id implere quod juravit, ut facta verbis congruant.* Deniq; si terminus juramenti etiam simul Deus est, qui in simplici pacto & promisso est homo tantum, peculiarem quoque obligationem à priore, quæ simplici tantum ad hominem directo promisso atque pacto facta est, diversam juramentum continere relinquitur, cujus non tantum testis, judex & vindex, sed

a) *Colleg. Decal. p. 505. seq.* & *terminus* Deus est, uti eximie *D. Dannhavverus* (a) docet.

§. 27. In suam hinc injuriam factum gentium perjurium interpretatur, gravissimeque punit supremus mortalium Rector. Hinc justa gentium ad supremum numen, communem judicem, actorumque testem & perjurii ultorē datur provocatio. Plane profecto singularis est Amurathis Turcæ, infeliciter primo ad Varnam cum Ladislao Hungariæ Rege pugnantis, ad Christum,

ceu

ceu perjurii Christianorum ultorem, facta appellatio, quando, ut *Bonfinius* (b) autor est, depromptum è sinu codicem initi sanctissime fœderis explicavit, intentis in cœlum oculis ingeminans: *Hæc sunt, Iesu Christe, fœdera, quæ Christiani tui mecum percussere: per numen tuum sancte jurarunt, datamq; sub numine tuo fidem violarunt; perfide suum Deum abnegarunt. Nunc Christe, si Deus es, (ut ajunt, & nos hallucinamur) tuas measq; hic injurias ulciscere* &c. ubi vix hæc dixerat, cum fortuna prælii contra Ungaros, gravi clade mox cæso etiam rege profligatos, inclinare cœpit. Ita de Muhamete Saracenorum regis Abdulmelichi duce autor est *Leonclavius* (c), quod *confusis ab Imp. Iustiniano II. fœderibus, in persuasione certa, vindicaturum haud dubie numen hanc Iustiniani perfidiam, pacis tabulas summa vexilli hasta præfixas ad prælii locum, & ipsam in aciem præferri jusserit, & insignem de perjuro principe victoriam obtinuerit* Solet nimirum divina justitia enormiter læsa, ad vindicandam suam gloriam, detestandumque atque puniendum publicum perjurium, extraordinarie nonnunquam luculentis indiciis atque pœnis seipsam commonstrare, ut dicere necesse habeamus: *Digitus Dei hic.* Ezechiæ Judæ Regis contra Senacheribi Assyrii perfidiam & minas ad supremum Numen factam appellationem, indeque accepta auxilia, explicant sacri Regum Ebræorum *Annales* (d.)

b) *Rer. Ung. D.* 3. *l.* 6. *f.* 465.

c) *Histor. Musulmann. Turc. l.* 1. *f.* 29.

d) 2. *Reg.* 18. §. 28. *seqq.*

§. 28. Omiſſo tamen nonnunquam juramento, utrinque promiſſiones in vim juramenti fieri ſolent, ſic ut *ni impleatur promiſſio, promiſſor non minus deteſtabilis habeatur, quam ſi pejeraſſet*, uti loquitur *Grotius* (e). Unde Reges promittunt *regia fide & veritate*, quod pacta velint ſervare; quorum hinc fides pro juramento valere dicitur. Neque Germaniæ tantum conſuetudine, de qua *Mynſingerus* id teſtatur, ſed & Gentium moribus ita receptum eſſe, cum veterum tum recentior docet hiſtoria.

e) *l. B. P. 2. 13. 22.*

f) *Sing. Obſ. p. 16. ſeq.*

§. 29. Datur denique connexio Gentium *per vim*, uti Alexander Orientis regna bello cum Macedonia conjunxit: quæ modo juſta, modo injuſta eſt, prout nimium juſto vel injuſto bello à victore terræ acquirũtur. Bene quidẽ *Seneca* (g): *Eo majora cupimus, quo majora venerunt: multoq; concitatior eſt avaritia in magnarum opum congeſtu collocata, ut flamma infinito acrior eſt vis, quo ex majore incendio emicuit*: Neſcio tamen an ſatis ſana ſit Philoſophia *Carneadis* apud *Lactant*: (h) *quando omnibus populis*, inquit, *qui florent imperio, & Romanis quoq; ipſis, qui totius orbis potiti ſunt, ſi juſti velint eſſe, hoc eſt ſi aliena reſtituant, ad caſas eſſe redeundum, & in neceſſitate ac miſeriis jacendum.* Bello enim quod juſtis de cauſis geritur, ut alia acquiri poſſunt, ita & jus imperantis in populum, & jus quod in imperio habet ipſe populus; *ſed nempe*

g) *2. de Benef. c. 27.*

h) *l. 5. c. 17.*

quate-

quatenus fert. aut pœna (rectius vindictæ) *nascentis ex delicto, aut alterius debiti modus*, aut ratio ſecuritatis, uti docetur à *Grotio* (i): quam Juſtitiam ab omnibus populis neglectam ſemper eſſe, præcipiti forte dicitur judicio. Quanquam ob varias rerum humanarum mutationes & converſiones, præcipitesque Imperiorum caſus, nec hoc vinculum valide gentes continere potuerit, nec dum poſſit.

i) *I. B.P.III.* 15.1.

§. 30. Pleraque hæc equidem quæ adduximus particularia tantum ſunt gentium vincula, nec actu univerſalem illarum conſtituunt connexionem & unitatem externam; attamen cum ad gentes qua gentes ſunt pertineant, & in univerſali humani generis unitate fundentur, eandemque conſequantur, & reſpiciant, ad jus & facultatem agendi omnibus populis communem referri quoque debere, & ejusdem effectus eſſe, negari nequit. Apta etiam nonnulla ſunt, fœdera v. c. pacis, commerciorum, & amicitiæ ad connectendas omnes gentes, ſi per mortalium ambitionem univerſali & perpetua pace univerſo humano generi gaudere liceret. Adde quod nec ſimpliciter repugnet, variis vinculis omnes ſimul inter ſe connecti gentes, has hoc, iſtas alio vinculi genere, niſi bello potius diſſociari, quam amice conſociari mallent.

§. 31. Cæterum ut ad indolem vinculi univerſalis, gentium omnium & na-

tionum liberarum ſocietatem continentis, quale ſupra I. N. qua actus populorum publicos ad invicem qua tales dirigit eſſe diximus, ulterius declarandam redeamus, ejus effectus eſt, gentes qua tales ad mutua invicem officia, quæ gentium ſocietas requirit, adſtringere, ita ut non ſolum pax publica in univerſo humano genere obtineatur, ſed & juribus populorum liberorum conſulatur. Cum enim, uti ſupra (k) diximus, ſtatus gentium ſit ſtatus *pacis* & ſtatus *æqualitatis* ſeu *paritatis*, ad ejusmodi præſtanda officia univerſale vinculum nexu reciproco liberas obliget gentes neceſſe eſt, quæ tam omnium gentium pacem, quam illarum dignitatem atque paritatem integram conſervant.

k) *art.* 3.

§. 32. Præterea uti in omni ſocietate inter ſocios aliquod intercedit commercium, ita quoque inter gentes in unum corpus univerſi humani generis conſociatas ſimile quid datur; *Commercium* ſcilicet, uti loquitur Arco in Concilio Achæorum apud *Livium* (l), *Juris præbendi repetendiq;, ne interdictione finium noſtrorum, nos quoq; regno* (vicino ſcilicet) *arceamus.* Concernit hoc varias populorum neceſſitates, commoda, pacta etiam quæ inter ſe ineunt, quibus mutuas utilitates vel munitum vel promotum eunt, aliaque negotia, quæ pro diverſo rerum ſtatu, ejusque ratione, inter gentes inter-

l) *l.* 41.

intercedunt. Nimirum uti mutua indigentia partim, partim metus, aliæque quibus vita humana laborat necessitates, homines ad actus sociales incitant; ita iisdem de caussis gentes ad mutuũ commercium & ad socialia officia impelluntur, ut sæpius declaratum. Jure igitur aliquo opus est, quod hos gentium actus publicos in hoc commercii genere recte dirigat, & cum obligatione quadam ordinet: Cum & hic etiam, si actus populorum ad invicem intueamur, ingeminare liceat illud *Lycurgi* apud *Stobaum* (m).

m) *serm.* 2. *sim.* 31.

Πῶς πονηρὸν ἐστὶν ἀνθρώπου φύσις
Τὸ σύνολον, οὐ γὰρ ἄν, ποτ' ἐδεήθη νόμου
Οἴει τι τῶν ἄλλων διαφέρειν θηρίων.
οὐδὲ μικρὸν ἀλλὰ σχήματι
πλάγι' ἐστὶ τ' ἄλλα, τοῦτο δ' ὀρθὸν θηρίον.

Quam depravata est hominis natura prorsus, secus enim opus nunquam fuisset legibus. Putasne quicquam aliis præstare feris hominem? non tantillum: sed figura duntaxat prona sunt cætera, hoc autem erectum animans.

§. 33. Ex quo cognoscitur, requiri ab humani generis socialitate, quæ per externam istam mortaliũ in particulares Respublicas divisionẽ sublata nõ est, ejusmodi universale gentium vinculum, quod illas divisas licet in varios cœtus distinctasque civitates pares atque æquales, suaque sibi propria habentes jura, mutua obligatione in unita-

unitatem quandam etiam externam connectat. Vult hæc socialitas, ut gens gentem vicinam secum vivere, pacateque suis juribus frui patiatur, uti in civitate vicini quietem & jura turbare prohibetur vicinus; cum gentes inter se in mundo sub divino consocientur imperio, uti familiæ in civitate sub civili regimine. Unde quemadmodum salus reipublicæ peculiares leges ferri jubet, quibus complures istæ, ex quibus civitas constat, familiæ coguntur in privato suo commodo quærendo se attemperare saluti publicæ, quibusq; ob finis unitatem inter se quoque unitatem observare
n) 3. *Offic.* tenentur: *Hoc spectant leges*, ait *Cicero* (n), *hoc volunt incolumem esse civium conjunctionem: quam qui dirimunt, eos morte, exilio vinculi damno coërcent*: ita universalis salus quoque humani generis societatis vinculo gentes qua tales contineri vult, ne privato commodo justo avidius inhiantes, bonum publicum turbent, & cum publica quiete vitam quoque socialem, ad quam colendam obligantur, eversum eant. Verum quippe
o) *l.1.c.2.* hic quod apud *Diodorum* (o) legitur: Οἱ νόμοι περιέχουσι τῷ κοινῷ βίῳ τὴν ἀσφάλειαν, *legibus vita communis tutela ac salus continetur.*

§. 34. Etsi verò cum Gentium Societas universalis sit, vinculum quoque ad omnes pertineat gentes, & quatenus habitu & moraliter omnes continet, atque obli-

gare

gare aptum eſt, univerſale hinc appelletur; quando tamen non ab omnibus populis illud magni æſtimari, ſed negligi, nec acceptari, ſed rumpi potiùs contingit, gentium vinculum univerſale eſſe, per hoc non deſinit; uti nec ea juris naturalis eſſe deſinunt, quæ licet omnes obligent mortales, non tamen ab omnibus obſervantur: Veluti non ſequitur, non omnes eſſe rationales, ideo quod dentur qui vel mania laborant, vel febricitantes delirant: cum uti in ſanis tantum juris naturalis & rectæ rationis, ita in gentibus moratioribus juris gentium uſum potiſſimum animadvertere liceat. Ita quanquam perfide agere Turcis admodum familiare ſit, id tamen non decere non ignorant. Unde Vienna diſceſſuri an. 1529 nuntio, quem duces præſidiarii Viennenſes ad Ibrahimũ Baſſam miſerant, *in mandatis dedere*(p), *ſeſe, ut homines militares decet, juxta jus belli facere conſtitutum habere, quando eo res devenerit, ut plurima inter eos reſtent agenda.* Publicam etiã perfidiam bello vindicare licere adeo non dubitant, ut Vezirius ſupremus, cum Leopoldus I. Imp. jure naturæ & Gentium permiſſam Tranſylvaniæ defenſionem cõtra Turcarum oppreſſionẽ, inique oppreſſorum inſtantiſſimis precibus fatigatus, ſuſcepiſſet, inter cauſas belli an. 1663. Cæſari illati habuerit, quod *Germanorum natio rupto, quod cum Muſurmannorum gente pepigerat,*

p) *Vid. Obſid. Viennenſ. ann. 1529. ap. Schard. t. 2. & Leonclav. Pandect. Hiſt. Turc. f. 252.*

gerat, fœdere, infidelitatis labe se polluerit, uti loquitur Barbarus literis ad Apafium Transylvaniæ Principem datis apud *Betlenium* (q).

q) *Rerum Transylv. l. 4. p. 397.*

§. 35. Ad Barbaras itaque gentes usque universale se hoc extendet vinculum, cum & cum illis pacem colere & bona fide agere deceat, iisdemque paritatis juribus gaudeant, modo liberæ sint, quæ aliis competunt liberis Gentibus. Proinde non sine causa disquisitum fuit de justitia belli Barbaris tam in Orientali quàm Occidentali India ab Europæis illati; quam in dictarum gentium barbarie præcipue fundari ego non dixerim. Decetque omnino moratiores gentes in Barbarorum Regibus, qui aliis, moratioribus etiam, pares sunt, characteris regii aliquam habere rationem, aliter atque olim Hispani potentissimos Indorum reges tractarunt, quorum immania in barbaros commissa facta explicat *Bartholom. de las Casas* (r). Vicissim ab iisdem expectantur officia, quæ ex socialitatis intuitu, & ni naturæ rationali & sociali repugnare velit, gens genti debet, sic ut contra pacem, juraque gentium commissa armis juste vindicare liceat.

r) *de Hispā. Tyran. in Ind. occ.*

§. 36. Vinculum hoc nexu mutuo & reciproco Gentes & Respublicas qua tales ad publica socialitatis officia, secundum rationem commercii publici præstanda, obligans

gans actusque illarum publicos dirigens, gentium jus verum & proprie tale esse dicimus, fundatum in ipsa gentium consociatione, humanique generis in varios licet cœtus & civitates divisi unitate. Quali jure societas gentium ut talis æque carere nescit, ac hominum consociatio qua talis sine juris naturalis vinculo esse nequit: Ut proinde *pro fundamento Iuris gentium* atque vinculi universalis, ipsam *gentium* qua talium *socialitatem* proponere nulli dubitemus.

ARTIC. V.

An & quatenus Jus Naturæ ingrediatur constitutionem Juris Gent.

§. 1.

Ex unitate societatis universalis, etiam per divisionem humani generis in complures cœtus, hoc est civitates, non sublata, & connexione gentium ad unitatem istam constituendam, quæ sine jure & vinculo istos cœtus reciproco nexu constringente subsistere nullatenus potest, conclusimus GENTIUM SOCIALITATEM, quam pro fundamento & ratione Juris gentium habemus. Cum enim Jus hoc officia Gentium

tium qua talium mutua & socialia complectatur, quod socialitas gentium directe illa sub se contineat manifestum est, sicuti alibi *Charitatem* (s) omnia J. N. officia continere ostendimus.

s) *Vindic. Orig. I N. controv.* 5.

§. 2. Cum itaque Gentium jus sit jus quoddam sociale, merito quæritur, an & præcepta Juris naturalis, quod itidem sociale jus est, complectatur, & ex illis constet? Carere autem id, quod sic res habeat, videtur, ut supra diximus, dubio. Nil enim impedit quo minus leges juris naturalis, pacem & tranquillitatem, abstinentiam item à re aliena, justitiamque universalem præcipientes, ad actus gentium publicos applicemus. Cum enim in certos congregati sint homines cœtus, uti cœtus isti mortalium sint facti sociales, ob communem omnium naturam socialem, ita obligationem ad leges sociales non exuerunt; potius cum cœtus isti qua gentes etiam sunt sociales, etiam qua gentes ad leges sociales naturales obligabuntur.

t) *Art.* 4. §. 12.

§. 3. Status Gentium liberarum inter quas gentium jus intercedit, duo potissimum complectitur, 1. *Pacem*, qua secure inter se agunt, suisque fruuntur juribus. 2. *Paritatem*, qua solo Deo in hoc mundo sunt inferiores, nec populus altero populo superior, quem hic æquo secum jure frui pati tenetur, licet sit iste minor & infirmior.

Utrin-

Utriusque custodiam gentibus præcipit Jus Naturæ, *Neminem lædere, unicuiq; suum tribuere, & ab alieno abstinere* præcipiens.

§. 4. Præceptum legis naturalis etiam est, *ne quis sui commodi causa noceat alteri*, eximie explicatum *Ciceroni* (u). Hoc vero non obligare tantum homines, qua ut singuli considerantur, vel qua sunt eiusdem societatis & civitatis membra in ordine ad invicem, sed etiam in ordine ad exteros, & sic gentes etiam coniungere, idem monet: *Violare alterum lege naturæ prohibemur &c. qui autem civium rationem dicunt habendam, exterorum negant: hi dirimunt communem humani generis societatem &c. cujus arctissimum vinculum est, magis arbitrari esse contra naturam, hominem homini detrahere sui commodi causa, quam omnia incommoda subire vel externa vel corporis, vel etiam ipsius animi quæ vacent Iustitia.* Unde nō hominis tantùm ad hominem ob honestatem, sed & gentium ad invicem ob communem utilitatem dantur obligationes, quæ vel ex dominio, vel ex pacto, vel ex damno per iniuriam dato exoriuntur, cum furta, rapinæ, latrocinia, rerum alienarum occupatio, & similia delicta, non tantùm inter privatos, sed & inter gentes prohibeantur. Violatorum pactorum, ruptique fœderis hinc inter gentes audiuntur querelæ. Rerum quoque hinc per injuriam ablatarum repetitiones fiunt,

u) 3. *offic.* p. 56.

atque quæ ad bellum proximus sunt gradus, pignorationes inter populos liberos & diversos exercentur. Prætensiones denique hinc à dominis in bona sua ab aliis possessa, adversus possessores formantur. Urget hæc lex præterea Justitiam acquisitionis rerum tam originariæ, quam derivativæ, adversus quam commissæ injuriæ, uti inter privatos lites pariunt forenses, ita inter liberas gentes exinde nascuntur bella. Norma eadem denique est *usucapionis inter gentes exercendæ*, nec Turcis (u) improbatæ. Nimirũ licet ex damno alterius atq; incommodo suum non liceat quærere commodum, attamen cum damnum per iniuriam datum dominus rei prior non satis docere, & proinde de iniuria à possessore sibi illata juste queri non possit; possessor etiam rem illius bona fide, justoque titulo sit adeptus, accedẽte, quam Turcæ etiã urgent, *possessione memoriã excedente, non interrupta, nec provocatione ad arbitrum interpellata* (x), tacitæ à priori domino factæ derelictionis, aut certe supinæ eiusdem negligentiæ indice, quæ jure nec publicam convellere quietem, nec bonæ fidei possessori fraudi esse debet: utique possessor plus juris ad retinendum, quam qui se pro domino gerit ad repetendum habet: non improbante ipso *Cicerone*(y) effatum suum, legemque hanc naturalem *ad communem utilitatem* restringente, *cuius derelictionem contra naturam esse* docet.

u) *Annal. Turcic. n. 61. f. 17.*

x) *Grot. l. B. P. II. c. 4. 9.*

y) *l. c.*

§. 5.

§. 5. Alia lex naturalis de *servanda fide* obligat mortales, cum supremum & validissimum consociationis humanæ vinculum sit. *Fide quippe abrogata omnis humana societas tollitur,* recte ait apud *Livium* (z) Appius. *Fundamentum hinc Iustitiæ*, sine qua nil consistere potest in vita humana, *fides i. e. dictorum conventorumq; constantia & veritas* dicitur *Ciceroni* (a). Sicut itaque omnes cujuscunque gentis sint, aut quibus in terris degant, aut quæ etiam sacra habeant, in unum quendam cœtum universalem sub divino consociantur imperio, ita homo homini quicunq; is fuerit, ob hoc quod homo audit, fidem datam servare debet, cum vinculum sit, quo qua homines sumus citra intuitum patriæ, gentis & religionis conjungimur. Præterea nec privatos tantùm, sed & Gentes & Respublicas legem hanc obligare *Polybius* (b) docet, fidem violatam dissolvere inter gentes societatem ostendens, uti latronum societas dissolvitur, *cum fidem inter se non servant & pacta mutua violant.* *Μήποτε γὰρ οὐδὲν διαφέρει τὰ καθ' ἰδίαν ἀδικήματα τῶν κοινῶν, ἀλλὰ πλήθει μόνον καὶ μεγέθει τῶν συμβαινόντων, nihil enim admodum privatorum injuriæ à publicis differunt, nisi multitudine & magnitudine delictorum.* Sapienter etiam apud *Bonfinium* (c) Maria Sigismundi conjux, *magni momenti*, inquit ad Proceres Ungaros, *est ipsa fides, cui multum probitatis & con-*

z) *l. 6. c. 41.*

a) 1. *Offic. p. 7.*

b) *l. 4. c. 29.*

c) *Rer. Vngar. Dec. III. l. 2. f. 372.*

ſtantia ineſt; hac ſola virtus eſt, qua tota fere juſtitia conſummatur, quàm ſi è medio tuleris, non ſolum univerſus corruet virtutum chorus, vel etiam omnis humana ſocietas diſſolvetur. Hac facit, ut non ſolùm amicis, ſed hoſtibus quoq; officia perſolvamus. Hæc eſt illa quam inter ſe neceſſario colunt Gentes & Civitates fides publica; maximum profectò firmiſſimumque inter gentes vinculum, ſine qua nullum ſubſiſtet inter eas commercium, nullumque validum erit pactum, perfidia omnia implente; etſi uti Guſtav. Suec. Rex queritur apud *Loccenium* (d), *ſæpe diutius non ſervetur, quam ex uſu & re contrahentium ſit.* Unde & perfide facta inter gentes, *contra fas jusq; Gentium* commiſſa dicuntur ab *Aventino* (e). Peſſime hinc apud alias audiverunt gentes, quibus fidem datam & juratam fallere non fuit religio. Quo nomine etiam graviter in Carthaginienſium perfidiam invectus P. Cornel. Lentulus, in deditionem tantum victos accipiendos, non verò fœdus cum illis, quod nunquam non conculcaverunt, ulterius ineundum eſſe cenſuit apud *Appianum* (f). *Quos etiam eo Deum redegiſſe* opinatur, *ἵνα δῶσι ποτὲ δίκην τῆς ἀσεβείας, ut tandem pœnas impietatis luerent, qui icta in Sicilia, Hiſpania, Italia, Africa cum Romanis & cum aliis fœdera violando graves omnibus intulerunt injurias.* Cordate ſane apud *Iuſtinian.* (g) Veneti Emanueli Græco Imperatori, cum ad bellum Guilielmo Siculo infe-

d) *Hiſt. Suec. l. 6. p. 226.*

e) *Annal. Boj. l. 4. f. 313.*

f) *de Bell. Pun. f. 34*

g) *Hiſt. Ven. l. 2. f. 23.*

lo inferendum instigarentur, responderunt: *Neque jure Gentium, neque veteri suo, neque majorum instituto se facturos, si in Regem fœderatum & amicum arma tam temere ipsi induerent.* Non minus Turcæ etiam datam servare fidem volunt videri, quorum tamen historia atrocia inauditæ ab omni ævo perfidiæ exempla subministrat; cum ut loquitur *Leonclavius* (h), *perfidiam suis rebus utilem fuisse* contendant, *qui ex usu suo fidem datam fallendo pactaque conventa pro lubitu violando, sæpe conditionem suã meliorem effecerint, & aliquando magnis hostium potiti provinciis hac via fuerint*: Unde cũ præsidiarii milites Christiani, qui Agriæ in Hungaria deditionem an. 1596. fecerant, contra datam fidem paucis exceptis interfecti essent, *plerisque*, ut *Thuanus* (i) testatur, *Purpuratis res displicuit, ad exemplum & disciplinam pertinere existimantibus, ne sub Sultani oculos tam male ducum dictis audiens miles esset, ut interpositam ab ipso fidem violare non reformidaret, præsertim subeunte memoria Strigoniensis deditionis, in qua fidem Germani tam religiose servaverant.* In crimen itaque vocatus Prætorianorum præfectus *Sultani jussu in frusta concisus est.* Constat denique ex *Actis Publicis*, hodierno etiam stylo publico contra gentium jus agere dici, qui fœderi cùm possint & debeant, certe posse & debere creduntur, non satisfaciunt. Unde & *publicam violationem fidei non debere unius sui*

h) *Histor. Musul. l. 1. f. 29.*

i) *Hist. l. 115. f. 643. add. Caspar Ens Hist. Rer. Vng. l. 7. p. 347.*

sanguine, *censuerunt* olim Numantini apud *Vellejum Paterc:* (k) non Mancino, sed populo Romano non servatum fœdus, ceu publicum delictum tribuentes. Quem proin a senatu Romano, cujus injussu pacem fecerat, traditum recipere noluerunt.

k) *Hist. Rom. l.2.c.1.*

§. 6. *Paulus Iovius* (l), cujus fidei in Persicis & Turcicis multum tribuit *Lipsius* (m), refert Solymannum Imper. Turcarum, etsi præsidio Ferdinandi I. quod pacta salute deditionem Budæ fecerat, incolumitatem promisisset, ubi tamen de militum perfidia qui præfectum suum Thomam Nadastum, quod in sententiam decretæ deditionis adducere eum non possent, in vincula conjecerant, probitateque Nadasti certior fuit factus, *quod nefario flagitio contaminatos sua lenitate indignos putaret, ut alienæ perfidiæ scelus ulcisceretur, Ianizeris ad unum trucidandos objecisse. Sævæ* etiam *hoc cædis facinus, immani Imperatoris jussu, non jure modo, sed ad laudem etiam veræ virtutis atque justitiæ patratum videri voluisse barbaros, qui sacramentum militiæ, nullo vel præsentis metu mortis violandum censebant.* Unde Imbrahim Bassa postmodum, cum soluta à Solymanno Viennæ obsidione captivorum gratia ad Viennensis præsidii Duces literas daret, *quod* inquit (n), *iis qui Budæ in præsidio fuere, fidem non servasse insimulamur, non nostra culpa factum est.* Verum Barbarum trucem contra gentium

l) *Hist. l. 28. p.m.283.seq.*
m) *Polit. l. 5.9.*

n) *Obsid. Viennens. in Leoncla. Annal. Sultanor. f.252.*

tium jus egiſſe imperando contra datam fidem cædem illorum, qui ejus fidei ſe permiſerant, dubium non eſt. Habebant delinquentes præſidiarii judicem ſuum, cui perfidiæ pœnas darent: Nec decebat Solymannum, delictum alienum quod ad eum minime pertinebat vindicando, alterius judicis ſibi arrogare officium. *Cur Germani*, ſcribit ipſe *Iovius* (o), *qui beneficio ipſius peccaviſſent, & diplomata conceſſæ libertatis obtinuiſſent, uſq; adeo crudeli nece mulctandi videri potuerint, quum ipſe Solymannus in ea aliena perfidia cauſa, propriam abruptæ fidei notam ſubiret, & quam quærebat juſtitiæ laudem, tam crudeli, quam turpi ſententia præverteret?* o) *l.c.*

§. 7. Ita *jura Legatorum*, quæ ex gentium jure illis communi omnium judicio competere dicuntur, in ipſo fundantur I.N. & exinde derivari poſſunt. Cum enim ſocialitas humani generis gentiũquoq; præcipiat conſociationẽ. hoc ipſo etiam conſociationis hujus publicæ exercendæ, fovendæ, conſervandæ & reſtaurandæ neceſſaria præcipit uſurpari inſtrumẽta, hoc eſt Legatos. *A prima hinc communione hominum legationum uſum cœpiſſe* notat *Marſelaër* (p), additque: *Quod homini loquela, id Reipublicæ Legatio præſtat, quoties exteri ſuper bello, pace, induciis, ſocietate, affinitatibus, commeatibus, commerciis, ſexcentisq; id genus, conveniendi aut conſulendi ſunt.* Non minus *Cicero* (q) *jus Legatorum cum hominum* p) *Leg. l.* 1. *diſſ.* 5. q) *Orat.* 30. *de Haruſp. Reſp. p.* 251.

præsidio munitum, tum etiam divino jure, h. e.
r) *de Civ.* 5. *n.* 19. naturali, *vallatum* scribit. Bene & *Hobbius* (r): *Legis naturalis præceptum est, Pacis mediatoribus præstandam esse incolumitatem. Ratio enim quæ jubet finem, jubet etiam media necessaria.* Unde non solum Legatos admittendos, sed & sancte habendos esse ipsa gentium societas, jure etiam naturali præcepta, imperat: Sine quo enim necessarium inter gentes commercium exerceri non potest, de eo quin I. N. præcipiatur, dubitare non licet. Naturalibus his legibus vim intulisse recte creditur Hannibal, *Legatos Romanorum*, Livio ita referente, *à sociis & pro sociis pacis causa venientes non admittens.* Quanquam enim uti
s) *Com. l.* 4. *p. m.* 443. prudenter observat *Cominaeus* (s), *sub Legationum specie multa sæpe perniciose tractantur*; id sicut ad sanctissimi hujus juris abusum pertinet, ita si juribus legatorum illis qui eis abutuntur frui non licet, sibi imputari debent; attamen *amicorum Legati, de quibus nullam habemus male suspicandi causam liberaliter & honeste sunt tractandi.* Et cum Legati munus sociale non hostile sit, ab hoste etiam missum Legatum tanquam instrumentum pacis publicæ, non vero tanquam hostem habendum esse, relinquitur.

§. 8. *Contractus* præterea aliaque *pacta* gentium secundum Jus naturæ inter Populos ineuntur: ubique dictitante natura, honeste promissa debere impleri, & prohibente.

hibente, ne quis aliorum ſpoliis ſuas facultates & opes augeat. Quando verò *Grotius* (t) *jure Gentium voluntario inæqualitatem rerum in quam conſenſum eſt, ubi nec mendacium interceſſit, nec ejus quod dictum oportuit reticentia, in actionibus exterioribus non attendi, ſed pro æqualitate haberi* affirmat, nec id juri Naturali quatenus gentium contractus dirigit contrariari, ſed ab eodem permitti cenſeri debet, quod contrahentium conſenſus utrinque recte ſe habens pretium ita definiverit, qui cauſa eſt contractus proxima. *Solent enim*, uti loquitur *Feldenus* (u), *contrahentes pacta contractibus adjicere, quibus diriguntur: & quod ea pacta faciendum dictitant, ex voluntate eorundem juſtum.* Declarat quippe pactum, nullam in tali contractu intercedere fraudem, & ſine injuria atque dolo rem geri, contrahentesque inæqualitatem ſibi invicem condonare, & pro non tali eandem habere velle.

t) *l. B. P. II. 12. 26.*

u) *Not. ad Grot. l. B. II. 12. 14.*

§. 9. Ex conventione & contractu univerſali inter homines oriri ajunt *obligationem rem alienam reſtituendi* (x), quæ itidem ut omnes homines, ita quoq; omnes gentes tenet. Merito proin, ut *Plutarchus* (y) refert, *reliqui per Græciam omnes* τὴν ἀτοπίαν, *quid hoc monſtri eſſet mirati ſunt, cum Lacedæmonii Phœbidæ imperium* ob captam per proditionem Thebanam arcem *abrogantes, mulctamq; centum millium drachmarum dictantes*, εἰ τὸν μὲν

x) *Vid. Grot. 2. l. B. P. 10. 1. add. Pufendorf. l. N. G. l. 4. c. 13. §. 2. ſeqq.*

x) *t. 1. Pelop. f. 280.*

πράξαντα κολάζουσιν, τὴν δὲ πρᾶξιν δοκιμάζουσιν, *autorem punirent, retenta verò arce factum comprobarent.*

§. 10. Sed & hoc juris naturalis est, fundatum in præcepto *de abstinentia à re aliena*, ut possessor vero domino rem restituat; quæ regula honestatis privatæ utilitati, quæ & Spartanos ad retinendam Cadmeam, ut

(z) *l. 5. Hist. Græc. f. 558.* ex verbis Agesilai apud *Xenoph.* (z) colligere licet, impulit, minime cedere debet. *Quod cuiq; obtigit*, in rerum scilicet divisione, *id quisq; teneat, ex quo si quis sibi plus appetet,*

(a) *1. Off. p. 7.* *violabit jus humanæ societatis*, ait *Cicero*(a); cu-

(b) *3. Off. p. 56.* ius & alibi (b) eximia de hoc argumento & prolixa est Philosophia, quando inter alia, *detrahere*, inquit, *aliquid alteri, & hominem hominis incommodo suum augere commodum, magis est contra naturam quam mors &c. nam principio tollit convictum humanum & societatem. Si enim sic erimus affecti, ut propter suum quisq; emolumentum spoliet, aut violet alterum, disrumpi necesse est eam, quæ maxime est secundum naturam humani generis societatem.* Unde & gentes in hanc legem naturalem impingentes, à supremo legislatore, & justitiæ universalis vindice punitas tradunt

(c) *l. 5. Hist. Græc. f. 566.* Historiæ. *Xenophon.* (c) certe, quod, uti loquitur, θεοὶ οὔτε τῶν ἀσεβούντων, οὔτε τῶν ἀνόσια ποιούντων ἀμελοῦσι, *Dii eos qui se impie gerunt, ac nefaria designant, non negligant*, inde initium debilitatæ potentiæ Laconicæ deducere

cere non dubitat, *quòd Lacedamonii, qui se libertatem civitatibus concessuros juraverant, nihilominus arcem Thebanam in potestate sua retinerent.*

§. 11. Jure Gentium etiam bellum gerere licet, cum earũ quies haud raro nõ aliter, quàm armis haberi queat. Congruere verò id juri quoq; naturali, inde satis constat, quod eodem jure *defensio sui* non solum permittitur, dum vim vi depellere licet, sed etiam præcipitur; quanquam sub hoc moderamine, ne quamdiu jure disceptare licet, judicio belli, cujus anceps, & ut plurimum luctuosus est eventus, controversiæ gentium committantur, utque belli status pro subsidiario, non pro ordinario humani generis statu habeatur. *Nam temere in acie versari, & manu cum hoste confligere, immane quiddam & belluarum simile est*, ait Cicero (d). Quare cum ex juris naturalis dictamine tum demum ad certamen per vim confugere conceditur, quando via juris uti non licet, ex eius obligationis sensu, aliquando populi vicini ad lites inter se dirimendas *certos habent judices*, quorum decretis ac judiciis dissidia decernuntur; aliquando in *certos compromittunt arbitros*; nonnunquam *ratione loci* quo quid admissum est *judicium subeunt*, nonnunquam *prudentum censura ac judicio* aliquid committi solet, ceu explicat Gentiumque exemplis illustrat *Zoucham* (e).

d) *1. Offi.*

e) *de Iudic. inter Gent. P. II. s. 1. p. 111*

§. 12. Cæ-

§. 12. Cæterum quæ ita diſputantur, itemque quoad alia J. G. capita declarari poſſunt, non ſic intelligi debent, quaſi Gentium jus à Jure Naturali non peculiare, vel huic non contradiſtinctū foret. *Thomæ Hobby* (f) hoc fuit placitum quidem, quando *naturalis lex*, inquit, *dividi poteſt in naturalem hominum, quæ ſola obtinuit dici lex naturæ, & naturalem civitatum, quæ dici poteſt lex Gentium, vulgo autem jus Gentium appellatur. Præcepta utriusq;,* addit, *eadem ſunt: ſed quia civitates ſemel inſtitutæ induunt proprietates hominum perſonales, lex quam loquentes de hominum ſingulorum officio naturalem dicimus, applicata totis civitatibus, nationibus, ſeu gentibus vocatur Jus gentium.* Quæ & aliorum, Scholaſticorum etiam eſt ſententia. Verum ſimile non eſt idem. Concedimus equidem in legibus naturalibus fundari partim jus gentium, & ex illis per conſequentiam deduci; quas etiam nonnunquam ad actus populorum publicos applicatas, gentium leges recte dici affirmamus: Num vero propterea inter *materiale & formale*, uti loquuntur, non dabitur differentia? ſit ibi convenientia, non hic propterea eadem dabitur. Num id quod ratione principii & fontis eſt juris naturalis, ratione uſus non poterit eſſe juris gentium? Annon præcipiuntur quoque lege poſitiva illa ipſa haud raro, quæ ſunt I. N. num propterea Jus civile

f) *de Civ.*

vile quoad formam idem est cum Jure Naturali, si maxime in illo continentur leges, quæ quantum ad materiam suam considerantur naturales sunt ? ut proin *audacter* pronuntiasse iure visus sit *Robert. Sharrock*, (g) *ne quidem à jure naturæ jus Gentium quicquam differre, officiaq; juxta Gentium ritus eadem plane esse, quæ natura præcipit, nec ad amplius quicquam inde, quam per naturam nos obligari* affirmans; uti docebunt sequentia.

g) *de Offic. secundum l. N. c.* 10. *p. m.* 448.

§. 13. Contingit nimirum interdum ad eundem actum dirigendum diversas simul concurrere leges (h), & in una lege complures cum formaliter tum virtualiter contentas, varie ad invicem commisceri, ut v. c. in Præcepto: *Memento ut diem Sabbathi sanctifices*, si unà quâ pœnale est spectatur, naturale, ceremoniale, & forense coniungi apparet; istud, qua cultus divinus certo tempore instituendus; illud, qua id vel Sabbatho, vel die præcise septimo fieri debet; hoc qua ligna Sabbatho colligens lapidibus est obruendus; quales leges *mixtas* appellare solent, quæ etsi in præceptis naturalibus fundentur, vel ex illis fluant, aut eadem complectantur, non tamen proinde absolute naturales, sed partim *à prædominante seu magis apparente lege*, uti *Marchant.* (i) iudicat, partim etiam à potestate, à qua cum obligatione proponuntur, denominantur. Quemadmodum itaque

h) *Marchãt. t. 2. Tribun. f.* 251.

i) *l. c.*

ius,

ius, quod pro usu & conditione suæ civitatis legislator fert civilis, etsi multa naturalia contineat, hoc ipso non desinit jus civile, aut lex Salica, lex Ripuaria esse & appellari; ita etsi Gentiū ius præcepta I.N. qua sc. ad actus populorum publicos ad invicem applicata sunt, complectatur, non tamen inde concludere licet, *ne quidem à jure naturæ jus Gentium quicquam differre*, tantum abest, ut ius Gentium ius naturæ absolute dici debeat.

§. 14. Præterea cum Gentium ius, qua ex iure naturali derivatur, illius præcepta determinet ad homines, quatenus multiplicata iam natura humana in diversos populos & civitates distinctas coaluerunt, inferre hinc licet, quod, quemadmodum ius civile à Naturali diversum esse recte inde probatur, quod cum illud à potestate civili subditis & civibus pro utilitate & conditione civitatis feratur, hoc à potestate divina omnibus hominibus, quatenus tales sunt, in Dei, cui immediate hoc nomine obligantur, honorem & communem omnium felicitatem (k) præcipiatur; ita quoque à iure naturali Gentium Jus æque vere & ex natura rei differat, quod hoc gentes qua tales in suis ad invicem actibus in communem iustitiam & omnium salutem, non ex immediato & proximo divino præcepto, sed ex cōdicto humano, uti loquuntur, obliget.

k) Vid. Cumberland de LL. Nat. p 200. seqq. 282.

Jure

Jure naturali gentes proxime & immediate obligantur Deo, sub cuius imperio omnes mortales dicto iure ceu vinculo consociantur; iure autem Gentium eædem qua tales sibi invicem ex mutua voluntate, & sic ex fide publica, propter Deum, qui læsi iuris ruptæque fidei vindex est, & ad quem illi qui iniuriam patiuntur populi hoc nomine appellare solent, obstringuntur.

§. 15. Non itaque ius mere divinum, ut naturale, sed humanum dici debet ius Gentium etiam quatenus ex principiis I.N. deducitur, cum id non ex divino præcise imperio, sed populorum positiva voluntate superveniente introductum esse inde pateat, quod ab illis hæc principia socialia, cum mutua & humana obligatione intuitu communis utilitatis, exigente ita utrinq; urgente necessitate, ad publica commercia sint actu applicata, cum antequã mortales in gentes distinctasq; coirent civitates iure naturali tantum, nondũ verò iure gentium fuerint nexu reciproco obligati. Illis verò cœtibus datis, peculiari consociationis opus erat vinculo, quod in ipsa gentium socialitate fundatum, ex naturalibus socialis vitæ legibus ad populorum societatem applicatis, facili discursu cognosci, & inde tanquam ex potentia in actum educi potuit. Quæ leges cum scriptæ sunt in omnium mortalium, & sic etiam gentium cordi-

l) *Rom.* 2.16. cordibus, ita gentium Doctore *Paulo* (l) affirmante; hinc uti omnium eadem datur ratio, eadem natura, eiusque intuitu per se idem iudicium practicum, ni naturæ rationali & sociali repugnare velint gentes, sic circa gentium quoque ius facile ratiocinando cōveniunt, certe cæteris assentiendo cōvenire possunt. Etsi enim id non habetur ex immediato dictamine naturæ rationalis, & sic non immediate ab ipso Deo utius naturæ, cognoscetur tamen à gētibus facili discursu directo ad publicum bonū & gentium socialitatem, iudicio practico in principiis practicis per se notis fundato & secundum illa instituto. Eximie hæc illustrat Cicero (m): *Nibil est unum uni tam simile, tam par, quam omnes sumus internosmetipsos. Quod si depravatio consuetudinum, si opinionum vanitas non imbecillitatem animorum torqueret, & flecteret quocunq; cœpisset: sui nemo ipse tam similis esset, quam omnes sunt omnium. Rursus quæ in animis imprimuntur inchoatæ intelligentiæ, similiter in omnibus imprimuntur: interpresq; est mentis ratio, verbis discrepans, sententiis congruens. Nec est quisquam gentis ullius, qui ducem naturam nactus, ad virtutem pervenire non possit.*

m) *de Legg.* p. 161.

§. 16. Manet itaque Gentium ius consurgere ex naturalibus & humanis præceptis, sic tamen ut non absolute naturale, sed *humanum ius* dici debeat. Etsi enim prin-

principia & materia ex qua id constat, sint ex parte ea ipsa quæ etiam jus naturæ præcipit, partim in illis fundentur, humana tamen sunt ea quæ præponderant, forma scil. nova item ad actus humanos humana etiam voluntate facta applicatio & sanctio; *superaddit præterea aliquid* positivi scil. *juri naturæ*, uti notat *Grotius* (n), *determinando* nimirum, ut huc accommodemus verba B. *Bœcleri* (o), *specialem actionis conditionem seu modum; vel ex illa generali juris regula (quæ bono publico conducere jubet, quicquid statuitur) actiones exigendo, prohibendóve, quas ut tales lex naturæ non attingit.* Unde aliis (p) Gentium jus *medium* quasi inter jus naturale & jus positivum seu civile esse dicitur: (q) Aliis *Lex humana naturalis* appellatur.

n) *II. I. B. P. 18. 1.*
o) *Inst. Polit. l. 2. c. 3 p. 124.*
p) *Philipp. à Trinit. t 3. in Thom. p. 349.*
q) *Marchant. l. c. f. 274.*

§. 17. *Hugo de Roy* inter summa capita juris Gentium *primùm* facit *rerum divisionem* (r), quæ & aliorum, Scholasticorum etiam est Sententia. Pertinere quoque ad actus gentium publicos hanc legem, satis docent controversiæ de finibus rite constituendis inter populos agitatæ, inter quos si pax sincera vigere debet, necesse est, ut justa rerum & bonorum divisio fiat, terminis gentium recte constitutis, indeque enatis controversiis sublatis. Quin & rerum possessionumque proprietatem inter diversorum populorum cives violatam, ipsas Gentes in mutuum exitium armasse

r) *de eo quod just. l. 1. 4. §. 8.*

R repres-

repressaliasque, atque atrocia secum traxisse bella constat. Proinde uti ad omnes hæc lex juris inter gentes communis pertinet, ita ubi in eandem delictum fuit, speciali pacto rursus inter illas solet confirmari. Verum non juris tantum gentium, sed & juris naturalis præceptivi est rerum dominium ex divisione proprietatem inferente natum; sic ut ex illius dictamine nulla unquam à prima rerum creatione fuerit, aut ullibi detur communio proprietatis exclusiva. Unde licet merito à *Connano* (s) faciat *Hugo de Roy* (t) divortium, qui *existimat, naturam possessionem & usum tantum dare, non vero dominium,* recte ex Scriptura Sacra, ex qua sola, non ex scriptis Gentilium vel Muhammedanorum, aliorumque Orientalium nugis, cognoscere licet, quis & qualis rerum status protoplastorum & antediluviano tempore fuerit. *Deum hominem creaturum, simul etiam omnium rerum Dominum constituisse* pronũcians: In eo tamen eidem non subscribimus, quod licet *Dominium à Deo cum jure naturali* proditum concedat, *initio tamen Gentium nationumq; humanam necessitatem discretionem expostulasse, quemadmodum postea,* negatum eat, ita ut Dominium *ex jure Gentium primario,* h. e. jure naturali, *ortum quidem habeat; sed ex secundario,* de quo nunc agimus, *discretionem sortiatur.*

s) *Coment. l. 1. c. 6. n. 9.*
t) *l. c. tit. 5. §. 1. p. 65.*

§. 18.

§. 18. Enimvero constitutum mihi equidem in præsenti non est, cum id nec præsens institutum requirat, divisionem dominiorum ex jure naturæ prolixe derivare, cum id aliis abunde jam sit præstitum, ex Theologis B. *Dannhavvero* (u), ex JCtis B. *Strauchio*(x), quibus addenda eximia B *Bæcleri*(y) nostri cum contra *de Roy*, tum contra *Grotium* Philosophia. Id saltem addo: Non posse ab illis solide negari, juris naturalis præceptivi esse bonorum divisionem, quicunque eius necessitatem in socialitate humani generis fundatum eunt, id quod complures faciunt Moralium Doctores ex Scholasticis, cum socialitas cum rationalitate coniuncta sit ratio juris naturalis, qua id homines ad mutua adstringit officia. Quod verò *de Roy* inter actum primum & secundum seu exercitium dominii, quod *discretionem* vocat, distinguens, hoc ab initio humani generis viguisse negat, *cum latissimus esset rerum campus, copiosissima rerum omnium affluentia, exiguus autem hominum numerus* &; convincitur *a Mose*(z), cum divisione artium, v. c. in Caino agriculturæ in Abele auté pecuariæ, divisionem quoq. bonorú ad istarum artium exercitium necessariorum, à rerum origine prima deducente. Quæ sic vera sunt, ut mire se torquere cogatur in sequentibus, semper confundens

u) *Colleg. Decal. p. 841. seqq.*

x) *Diss. Acad. de Imp. Mar. c. 1. §. 5. seqq.*

y) *In Grot. P. II. p. 37.*

z) *Gen. 4.*

exercitium *discretionis*, qua præceptum, de quo tantum quæritur, & qua exercitum. Gentium interim facto temporis ſucceſſu, multiplicato ſcilicet & in civitates diviſo humano genere, hanc vel iſtam contigiſſe diviſionem terrarum, uti non negamus; ita exinde non ſequitur, ipſam diviſionem bonorum in genere non eſſe juris naturalis: Juris naturalis præceptivi eſt, ut bona fide contrahas, etſi te cum hoc aut illo individuo contrahere ſit liberi arbitrii.

§. 19. Cum verò & jure civili de rerum diviſione conſtituatur, denuo colligitur, quod ſupra diximus: Nimirum licet in jure gentium ea quoque contineantur, quæ ratione præcepti in ſe conſiderati ſunt juris naturalis, exinde tamen non ſequi, jus gentium non differre à I. N. uti *Sharrock*, diſputantem vidimus; cum & iure civili & naturali de rerum diviſione, & acquirendo ipſarum dominio conſtituatur, ſalva utriusque juris differentia. Quatenus itaque hæc lex, de rerum proprietate recte conſtituenda, refertur ad homines qua ſunt rationalia & ſocialia animalia, pertinet ad *Ius Naturæ*; quatenus autem reſpicit gentes univerſas, ſibique invicem easdem obligat, de *Gentium jure* eſſe dicitur: quatenus denique ex Imperantium voluntate pro uſu & conditione Reipublicæ civibus

vibus est præscripta, indeque vim obligandi accipit, *lex civilis* appellatur. In isto spectatur rectitudo morum & honestas vitæ; in illo tranquillitas & utilitas gentium, in hoc denique id quod ex usu est Civitatis.

ARTIC. VI.

De

Consuetudinibus inter Gentes,

An, & quatenus

ad Gentium jus pertineant.

§. I.

IN actibus & commerciis gentium ad consuetudines & mores inter gentes receptos provocari, & provocatum constat. Platæenses qui sponte se Lacedæmoniis dediderant, ne interficerentur soliciti, provocarunt ad Græcorum, quos solos populorum moratiorum loco habebant, consuetudinem, *qua qui voluntariam fecerunt deditionem, occidi vetabantur*: Ὁ δὲ νόμος τοῖς Ἕλλησι μὴ κτείνειν τούτους ait *Thucydides*. (a), Quod non de scripta lege, sed de consuetudine quadam & more legis vim inter Græcas Gentes, quæ sibi solis moratiores consuetudines & leges arrogabant, obtinente, accipi debere, etiam interpres *Laurentius*

a) *l. 3. Bell. Pelop. f.* 103.

Valla observavit, de *Graeca ritu* textum explicans. b) *Hist. l. 2. c. 58.* *Polybius* (b) immanitatem Mantinensium Achæos, quos sibi præsidio mitti petierant, interficientium, cum illis parcere debuissent, notaturus, *τοῦτο γὰρ καὶ τοῖς πολεμίοις ἔθος ἐστὶ*, inquit, *συγχωρεῖσθαι κατὰ τοὺς κοινοὺς τῶν ἀνθρώπων νόμους*, quam *consuetudinem* mox ad *τὰ κοινὰ τῶν ἀνθρώπων δίκαια* retulit. Hinc c) *Annal. 3. 26 2.* *Tacitus* (c) iustitiam vetustissimorum mortalium exprimens, *nihil contra morem eos cupiisse* scribit. d) *D. de his qui sui vel alieni jur. 1.* *Cajus* (d) etiam JCtus, Dominorum in servos potestatem *juris Gentium esse* probaturus, ad mores & consuetudinem Gentium provocat: *Apud omnes*, inquiens, *peraque Gentes animadvertere possumus, dominis in servos vitæ necisq; potestatem fuisse.* Consentit hodiernus Curiæ stylus. Ita Carolus e) *Histor. Suec. l. 8. p. 490.* Suecorum Rex apud *Loccen.* (e) Danorum naves Sueci hostibus commeatum subvehentes intercipiens, ad jus & *consuetudinem aliorum regum ac populorum* provocavit. De Carolo Gustavo Rege idem *Autor* (f) refert, quod adversus Danos anno 1659. bellum gerens, ad pacis leges de quibus Mediatores inter se Hagæ Comitis convenerant, alligari noluerit, sed *pacem voluerit ex more gentium & libere tractari.* Idem Princeps responso ablegato Angliæ Medovio, Danorum ad ineundam pacem propensionē explicanti, die 5. Febr. Ann. 1658 dato, *Danicis Commissariis plena tractandi potestate munitis, quam securissime tr-*

me tutiſſimeq;. Conſueto moratiorum gentium ſtylo, veniendi, in loco tractatus commorandi, & pro lubitu diſcedendi licentiam cõceſſit. Quæritur proin, an & quatenus conſuetudines inter gentes receptæ easdem obligent, vimque juris atque vinculi habeant? g) *Vid. Expoſ. cauſ. quib. S. R. M. Suec. &c. p. 12.*

§. 2. Conſuetudinem ſpeciem juris eſſe, ſatis clare ex veteribus *Cicero* (h) allegit: *Quædam*, inquiens, *genera juris, jam certa conſuetudine facta ſunt.* Unde dicitur conſuetudo ius non ſcriptum vetuſtate comprobatum. *Sine ſcripto jus venit, quod uſus comprobavit*, ait *Iuſtinianus* (i). Probantque recentiores de conſuetudine, quæ cum animo inducendi obligationem introducta eſt & recepta, de quo ex certis & ſufficientibus indiciis conſtare debet. *Conſuetudinis enim nomine*, quod prudenter obſervavit *Boeclerus* (k), *ſæpe abuti per ſtrategema politicum videas Principes, Regesq;, cum factis, ſtatus ſui utilitatibus, potentiæ, lucro accommodatis, exemplo quidem non carentibus, ſed approbatione & voluntate omnium nunquam defenſis, prætextum quærunt.* Imo & privatos ſuis actionibus ſeculi mores & conſuetudinem prætexere ſæpiùs contingit: Unde *Seneca* (l): *Inter cauſas malorum noſtrorum eſt, quod vivimus ad exempla, nec ratione componimur, ſed conſuetudine abducimur. Quod ſi pauci facerent, nollemus imitari: cum plures facere cœperunt quaſi honeſtius ſit, quia frequentius ſequimur: & recti apud nos locum tenet error, ubi publicus factus eſt.*

h) *2. de Inv. p. 70.*

i) *Inſt. de Iur. N. G. &c.*

k) *P. II. Cõm. Grot. p. 117.*

l) *Epiſt. 123.*

§. 3.

§. 3. Cæterum transivisse consuetudines inter gentes receptas in jus gentium, hocque ex illis proin etiam constare, doceri potest. Etsi enim v.c. *admissio Legatorum*, eorundemque *inviolabilis sanctitas* in jure naturali & sociali fundentur, & ab eodem præcipiantur, dantur tamen nonnulla circumstantialia, quæ sunt juris tantum consuetudinarii. *Singularis enim ac solennis illa securitas*, uti loquitur celeberrimus *Rachel* (m). qua Legatis etiam delinquentibus, vel nimia licentia utentibus, nisi imminens periculum justaque necessitas per modum naturalis defensionis aliud urgeant, apud gentes cavetur, quin gentium tantum jure voluntario, non verò naturali illis debeatur, dubium non est. Naturæ quippe ius qua actus gentium dirigit, illam Legatis securitatem præstari jubet, sine qua finis legationis, h. e. mutuum gentium commercium obtineri nequit, & quoad ea quæ annunciare jussi sunt, etiam hostilia. Violarunt id sane Galli apud *Polybium*, (n) cum Legatos Romanorum *de Redemptione captivorum missos* necarint.

m) *de Iure Gent.* §. 104.

n) *Hist. l.* 2. c. 19.

§ 4. Sed maior est quam gentium jus voluntarium cavet securitas, quàm latius extendit, in illo etiam casu eandem Legatis præstans, quo secũdum jus naturæ pœna vel ultio per mittitur. Gentium sane juri atq; recepto inter gentes mori potius, quam naturali

turali legi, aut singulari cuidã Principi saliâs truculenti gratiæ, debuit Brugmannus, Hollatiæ Ducis Friderici ad Schach Sefium Persarum Principem Legatus, impunitatem commissorum quæ prolixius explicantur *Oleario* (o): justas licet Serenissimo suo Duci domum reversus hoc nomine dederit pœnas (p). Non minus receptæ consuetudinis intuitu potius, quam ex sensu obligationis I.N. Inaloglii barbari Turcomanorum Principis proceres apud Dominum, cum Muhametis Turcorum Sultani legatum occidere vellet, intercedentes, *legatos jure gentium inviolabiles esse dixisse* apud *Leonclav.* (q) existimaverim. Eandem securitatem Legatis exterorum Indos etiam, aliosq; populos præstitisse constat. Nec fatebuntur, si propiora considerabimus, Sueci, jure naturæ se fuisse obligatos, ad condonanda Canasilio Regis Poloniæ Casimiri Legato ista indigne incepta, atque ausa contra præsentem Regni statum, Regisque sui Caroli Gustavi dignitatem, de quibus *Loccenius* (r). *Bonum & æquum, id est merum jus naturæ pariter pœnas exigi, ubi reperitur qui deliquit: at jus Gentium legatos, & his qui similes fide publica veniunt, excipit,* ait *Grotius* (s). Pertinet huc notus ille *Livij* (t) locus de legatis *Tarquinii*: *Quanquam visi sunt commisisse ut hostium loco essent, jus tamen Gentium valuit*: cuius intuitu etiam Scipio apud *Appianum* (u), cæsis

o) *Itin. Pers. l.4.c.14. & c.45.*

p) *ib. l.6.c.27.*

q) *Histor. Musulmān. l.8.f.384.*

r) *Hist. Suec. l.9.p.759. seq.*

s) *l.2.c.18.4.*

t) *l.1.*

u) *de Bell. Pun. f.19.*

licet à Pœnis Romanorum Legatis, Carthaginienſium Legatis fidem gĕtium jure debitam ſervare, *intactosq. dimittere* maluit.

§. 5. Ita quamquam a naturali jure, quādo vis illata arceatur, vel res ſuas ab alio captas quis ſuis it manibus injectis repetitum, ſolennis belli denunciatio non credatur neceſſaria (x); quo tamen juſte belligerandi mos ad ſocialitatem humani generis reduceretur, ferocia bellandi coërceretur, nec ferarum more in armis tantum jus eſſet, aut cum furore coniuncta vindictæ cupiditas, & aliorum damno ſibi conſulendi ſæva libido ad arma ſtatim mortales raperet, Clarigatio, & quæ ad illam pertinet ſolennis belli indictio, fuit recepta eſtque inter gentes non olim ſolum, ſed & hodie, ſeu pura ille ſit, ſeu conditionata; hæc licet illa ſit frequentior. Exēplum ſolennis eiusmodi denuntiationis ſpecialiter ita dictæ Dania dedit an. 1657. emiſſo ſimul ſcripto ſub titulo *Iuris Fecialis armatæ Daniæ*, quo bellum Regi ac regno Sueciæ à Rege & regno Daniæ denunciabatur. Ex gentium Hiſtoria antiqua hoc deduxit diſſertatio *Bœcleriana* de *Manifeſtis & Clarigatione*. Eſſe verò hanc gentium conſuetudinem cum mutua quadam obligatione introductam, & ſic juris vinculique cuiusdam rationem habere, inde conſtat, quod eius neglectum ægre ferant, & pro facta ſibi iniuria interpretari

x) *Grot. I.B. P.III.3.6.ad. Loccen. Hiſtor. Suec. l. 8. p. 567.*

tari soleant; ceu patet exemplo Cæsarianorum, Gustavum Adolphum Sueciæ Regem ob hostilem Germaniæ invasionem, ceu sine ulla indictione factam, olim accusantium. De Turcarum Sultano Muhamete autor est *Leonclavius* (y), quod in Inal-oglio Turcomanorum & Nomadum Principe moris huius omissionem ægre tulerit: *quod*, inquiens literis ad eundem datis, *nulla justa legitimaq; de causa, nullo nobis indicto bello, regnum nostrum ingressus es &c. in eo sane quam longißime recedis ab illorum moribus & institutis, qui Musulmannos se profitentur.*

y) *Hist. Musulm. l. 8. f.* 383.

§. 6. Jure Gentium quoque, recepta ita consuetudine, servi fieri possunt qui ab hostibus capiuntur; jure gentium, inquam, quatenus scilicet reciprocam gentibus non prohibendi invicem certos actus injungit obligationem: quod non male *jus gentium concessivum* dixeris, de quo infra. *Fridericus Hornius* (z) quidem negat *servitutem jure gentium esse sancitam, cum quæ hoc jure constituuntur, non nisi abrogatis Rebuspublicis mutantur, servitutem autem ab Europæis Christianis abrogatam esse sine læsione ullius gentis. Quoties verò juris gentium aliquod scitum invertitur, aliam Rempublicam lædi: quod universa natura juris gentium in relatione & respectu ad alium populum sita sit. Quare cum servitus nullo modo respiciat statum alterius Republicæ, juris gentium eam non esse, non vult dubitare; consuetudine*

z) *de Civit. l. 1. c. 3.*

dine gentium introductum societatem herilem interim affirmans, vera autem falsis miscens. Verum est, quod natura juris gentium in relatione ad alium sita sit populum, sed exinde non sequitur, captos bello solenni jure gentium non fieri servos, cum & ad jura illarum quæ adversus se invicem habent, & sic ad istam relationem, de qua *Hornio* sermo, pertineat, quod gens victrix victæ homines bello captos servos facere queat. Cumque de gentium jure, & quatenus facultatem & jus agendi confert populis, aliosque obligat, ne ei cui fit ista permissio impedimentum morale ponatur; & quatenus quid fieri vel non fieri debeat præcipit, loqui liceat, uti jus naturæ aliud *præceptivum*, aliud *concessivum* accurati etiam faciunt Doctores (a): manifestum est, quando servitus bello captorum ad jus gentium concessivum refertur, illam à gente victrice exerceri intermittique, imò & apud suos abrogari posse, ut alia vicina Respublica exinde non lædatur, cum hoc jure gentium non victor populo victo, sed victus positive potius victori obligetur. Unde B. *Augustinus* (b) Origo, inquit, *vocabuli servorum in Latina lingua inde creditur ducta, quod hi qui belli iure possent occidi, à victoribus cum servabantur, fiebant servi.* Jus naturæ neminem ad servitutem destinat; licetque *Aristoteles* naturâ dari servos dixerit, de serviendi tamen

a) *Vid. inprimis Dn. D. Valent. Albert. Comp. I.N. P. I. p. 21. seq. P. II. p. 31. Bœcl. Com. Grot. P. I. p. 147.*

b) *de Civit. Dei l. 19. c. 15.*

tamen aptitudine & servili ingenio, non de eo quod naturæ jus sancit Philosophum loqui, dudum alii monuerunt. Suo itaq; jure per victoriam in corpus captivi acquisito usuræ gentes, quos bello ceperunt servos in usum rei familiaris faciunt, juxta illud *Poëtæ* (c):

Vendere cum possis captivum, occidere noli,
Serviet utiliter.

Emolumentum quod è servitio qua publice qua privatim Turcæ capiunt, explicat *Busbequius* (d); qui etsi *hoc iure belli*, eodem auto re (e), *a suæ religionis hominibus abstinent, ab omniq; capitis diminutione habent immunes*, licere tamen sibi eodem adversus alias gentes uti non dubitant, quod & à Christianis contra Barbaros usurpari solet. Sic enim *Iovius* (f) Casoni, qui cum electa Turcarũ manu Lintium usque vastabundus in Austriam Solymanni jussu penetraverat, cladem explicans; *nec deerant*, inquit, *qui cædis satietate aliquos* (Turcas) *caperent, ut ostentari possent, & demum sacri belli iure pro servis venderentur.* Licet itaque jus servos faciendi in civitatibus ad illarum consuetudines & jura civilia certa ratione referri queat; qua tamen notat facultatem gentis adversus gentem ex jure belli exortam, qua victori populo licet victæ gentis homines bello solenni publico captos pro servis habere, iure

c) *Horat. Epist. ad Quinct.*

d) *Epist. 3. p. m. 161.*

e) *p. 162. l. c.*

f) *Hist. l. 30. p. m. 441.*

g) *Boecler. Com. Grot. P.II.p.191.* jure naturæ non prohibente (g), qui ad jus gentium non pertineat, non apparet.

§. 7. Mittam alias gentium consuetudines, de quibus *Grotius* (h) & *Rachelius* (i) consulendi, cum omnes examinare meum non requirat institutum: De nummo, quem usu inter gentes introductum constat, an peculiare gentium iuris caput constituat, paucis visurus. Nummi necessitatem satis perspicue docuit *Aristoteles* (k), ostendens commercia mortalium, quæ ad gentium Jus pertinent, quibusque societas humana carere nescit, satis commode sine eiusdem usu exerceri non posse. Unde ut non solum inter homines eiusdem civitates commercia promoverēt Rerumpublicarum Rectores, sed & inter diversas gentes instituta exercerentur, non solum ex vi summi civilis imperii nummi usum inter subditos introduxerunt, sed & his idem tanquam *κοινὸν μέτρον communis mensura*, uti *Philosophus* (l) loquitur, placuit: *τὸ νόμισμα γέγονε κατὰ συνθήκην, ex instituto factus est nummus* (m), alibi ait. Imprimis autem eximius est locus *Aristotelis*, qui in opere *Politico* (n) legitur: *ξενικωτέρας γινομένης τῆς βοηθείας τῷ εἰσάγεσθαι ὧν ἐνδεεῖς, καὶ ἐκπέμπειν ὧν ἐπλεόναζον ἐξ ἀνάγκης ἡ τοῦ νομίσματος ἐποείσθη χρῆσις· οὐ γὰρ εὐβάστακτον ἕκαστον τῶν κατὰ φύσιν ἀναγκαίων. διὸ πρὸς τὰς ἀλλαγὰς τοιοῦτόν τι συνέθεντο πρὸς σφᾶς αὐτοὺς διδόναι καὶ λαμβάνειν, cum longinquius* commo-

h) *l.3.I.B.P.*
i) *de Iure Gent. §. 46. seqq. §. 98. seqq.*
k) *5. Ethic.5. 1.Polit.6.*
l) *l.9. Ethic. c.1.*
m) *5. Ethic.c.5.*
n) *l.1.c.6.*

commodum quod hinc (ex permutatione scilicet)*capitur, factum esset, importandis rebus quibus egebant, & exportandis quibus abundabant, necessario usus nummi comparatus est. Non enim facile comportantur alio cuncta res, quæ sunt natura vitæ necessariæ. Quapropter permutationes huiuscemodi quiddam pepigerunt inter se dare & accipere.* Etsi verò permutationem simplicem usu nummi antiquiorem non negaverim, antiquiora tamen sunt nummi(o) usurpati, quam simplicis permutationis exempla.

§. 8. Cum itaque nihil sit quod nummus non metiatur, necessitate ita urgente, eius usum hodie ubivis fere gentium recipi placuit, variantibus licet eius speciebus. Nec Galli tantum, aut Germani, Sueci, Dani, Angli, Itali, Poloni, Hispani, varii generis monetas cudunt; sed & Turcarum noti sunt ex *Leonclavio* (p), qui de variis tam Græorum, quam Turcorum, Ægyptiorum, Arabum, Syrorumque monetæ generibus egit, *Sultanini, Asperi* &c. Moscovitarum *Copeki* ex *Oleario* (q), item *Dengæ* ex *Herbersteinio* (r): Persarum *Abasii, Garem abasii, Chodabendæ* ex laudato *Oleario*(s): Tartaros in Chersoneso Taurica monetam cudere, autor est *Martinus Broniovius* (t). De *Ropiis*, aliisque monetis Indorum sub imperio Magni Mogolis ex *Havvkino* agit *Autor* Commentarii de vera India (u). Nummi

o) *Vid. Gen.* 23.15.16.

p) *Pandect. Hist. Turc.* f.116. *seq.*

q) *Itiner. l.* 3. *f.* 223.

r) *Vid. Elzevirian. Descript. Russ. p.* 97.

s) *l. c. l.* 5. *f. f.* 559.

t) *Tartar. p. m.* 296.

u) *p.* 141. *ad. Baldai descript. Malabar. & Coromandel.*

etiam in aliis Indiæ regnis usus est: in Siam, autore *Iodoco Schoutenio* (x): in Olala, docente *Petro Dellavalle* (y): in Carnatica utuntur *Pagodis*, de quibus *Philippus Baldæus* (z), qui & quæ ratio sit monetæ in Taprobana, quam hodie *Zeylon* dici volunt, explicat (a). De Sinensiũ monetis egit *Niehoff* (b), quas & Japonenses fundere testatur *Varenius* (c). Nummos præterea Tartaris qui Persis & Russis vicini sunt, gratos acceptosque esse, inque cõmerciis receptos, *Olearius* (d) refert: De cæteris ita loquitur *Iohann. Boëmus* (e): *Pecunias indigentibus commutant, sed pro grandi & intolerabili usura.* De Tartarorum horum moneta etiam agunt *Maginus* (f), *Haython* (g). In ea parte Tartariæ quæ Tebet dicitur, pecuniæ loco Coralliorum usum esse, autor est *Arnold. Montanus* (h). Ex Africæ gentibus consenserunt in nummi usum, ut ex *Leone Africano* (i) constat, Barbariæ populi, quorum nundinas etiam Nigritæ (k) frequentant: Numidæ (l), Ægyptii. Etsi verò vulgus in Lybiæ interioris, quæ hodie Sarra dicitur, provinciis plane barbarum ex rapto vivere malit, beluinam ducens vitam, civilioribus etiam Arabibusque ibi habitantibus mercium permutatio receptior sit, scriptore *Dappero* (m); aureos tamen nummos apud eos non exulare, cum ex *Leone Africano* (n) cognoscitur, tum ex illorum commerciis cum Numidis & Nigritis, transi-

x) *Descript. Regn. Siam* p. 266.
y) *Epist. tõ. IV. Ep. 6. f.* 119.
z) *Descript. Litor. Indic. Malab. & Coromandel. P. I. c. 23. f.* 153.
a) *l. c. P. II. c.* 49. *f.* 418.
b) *Itin. Chinens. p.* 120.
c) *Descript. Iapon. c.* 27. *p.* 199.
d) *l. c. l. 6. c.* 12 *f.* 727. *c.* 15. *f.* 731.
e) *Mor. Gẽt. l. 2. c.* 1.
f) *Geograph. P. II. p.* 235.
g) *Hist. Orient. c.* 1.
h) *Act. Legat. ad Imp. Iapon f.* 175.
i) *Descript. Afric. l.* 2.
k) *ibid. p.* 69.
l) *ibid. p.* 234. 236.
m) *Descript. Afric. f.* 320. *seq.*
n) *l. c. l. 1. p. 17. seq.*

tuque

tuque mercatorum ab istis ad hos per illorum provincias instituto colligitur. Nam quod Nigritas attinet, etsi barbarie vicinis suis Lybiis, sub quorum olim potestate fuerunt, parum cedant, cultiorem tamen nonnihil uti agunt qui in urbibus & oppidis degunt vitam, ita & aliqua utuntur moneta. Aurea illa est, nullis licet insignita figuris, in Tombuti regno, ex ejusdem *Leonis* (o) indicio, confirmante id nuper *Dappero* (p). Princeps verò eius est longe potentissimus, cuius imperio complura Nigritarum regna parent. Guineensium etiam *nummi aurei sunt, nulla licet & hi inscriptione insigniti*, ceu *Leonem* secutus refert *Maginus* (q). Uti vero iidem in rebus minutioribus emendis moneta utuntur ferrea, ita Nigritæ Tombutenses receperunt, *Leone* (r) auctore, quoddam cochlearum genus in hunc usum, quod & apud alios Nigritarum populos, in Benin, Ansiko, Congo, Makoko, Angola, inferioris Æthiopiæ regnis (s) est receptum. In aliis provinciis alius monetæ loco nummus usurpatur vicarius. In ditionibus Imperatoris Abyssini per universam Africam amplissimis, *nulla præter peregrinam habetur moneta. Aurum verò & argentum pondere datur & accipitur*, ait *Zaga Zabo* (t). Autor tamen est *Hieronymus* (u) Jesuita, Naire incolas Abyssinorum Principi certum monetæ aureæ genus, quod *Miloqueas* appellant, census loco sal-

o) *l. 7. p. 250.*

p) *l. c. f. 330.*

q) *l. c. p. 194.*

r) *l. 7. p. 252.*

s) *Vid. Dapper. l. c. f. 482. 492. 538. 558. 575. 587.*

t) *apud Damian à Goes de Aethiop. Mor. p. m. 518.*

u) *Descript. Aethiop. p. m. 6.*

co solvere quotannis solere. Solet & in Monopotapa, inferioris Æthiopiæ regno, pro aliis mercibus in rerum commutatione
x) l. c. f. 629. seq. aurum reddi teste *Dappero* (x), qualis permutatio quæ beneficio auri fit, in aliis etiam ad Oceanum Barbaricum sitis regnis recepta est. In Monoemugi regno confini, *loco monetæ globulos rubeos vitro persimiles* u-
y) l. c. p. 199. surpari tradit supra laudatus *Maginus* (y).
z) De Insul. Afric. f. 45. Nummi vices quid in Madagascar sustineat, legere licet apud *Dapperum* (z). In America denique, ubi Europæarum gentium coloniæ rerum potitæ sedes occuparunt, nummi etiam usum introductum esse satis constat. Etsi verò alii ex barbara simplicitate, uti de Hispaniolæ recens detectæ incolis
a) Ocean. Dec. I. l. 1. 2. p. 22. *Petrus Martyr* (a) scribit, *nudi sine ponderibus, sine mensura, sine pecunia, sine legibus, natura contenti vitam egerint, de futuro minime soliciti*; alii verò ex ferina immanitate ab omni commercio abhorrentes ex rapto vivere maluerint, malintque, Anthropophagi, beluinam degentes vitam; quibus tamen humaniora fuere præcordia & commercia placuere, se necessitate adactos senserunt ad eiusmodi quid in commerciis excogitandum, quod omnium rerum pretium in se contineret. Ita testatur de incolis Novi
b) Americ. f. 15. Belgii *Dapperus* (b), quod ad exemplum nonnullarum Africæ Gentium, loco aureorum, argenteorum & cupreorum nummorum,

con-

conchyliis usi fuerint. Datur & fructus genus *Cacao* dictum, quod in Hispania nova & Guatemala nummi vices gerit, eodem *Autore* (c), qui & ex *Iohann. Ardenojo* & *Ioh.* *Acosta* mentionem facit (d) pecuniæ, cuius apud Brasilianos datur usus.

c) *f.* 260. 314.
d) *l. c. f.* 446. 545.

§. 9. Etsi vero omnium per universum terrarum orbem moratiorum, complurium etiam Barbararum Gentium consensum in nummi usum, reique quæ nummi loco habeatur in commutatione & commerciis, sic exhibuerimus, ex eo tamen hactenus nil aliud evincitur, quàm jus civile pluribus populis cõmune, vel consuetudo pluribus recepta gẽtibus, quæ tamen qua talis nondũ jus gentium proprie tale constituit. Non enim, ut *Grotii* (e) huc referamus Philosophiam, *pertinet* cum obligatione quâdam *ad mutuam gentium inter se societatem, sed ad cujusque populi tranquillitatem: unde & ab uno populo alys inconsultis mutari potest*: Quod verò ad jus Gentium proprie tale pertinet, id etiam gentes sub mutuæ obligationis vinculo respicit, id quod de nummo per se dici non potest. Suo jure utitur summa in civitate potestas, quando nummum constituit, mutat & abrogat, prout domestica id urgere videtur necessitas, & utilitas suadere: Cui etiam cuprum, ferrum fabricandis nummis destinare licet, cum aliæ gentes aurum, argentumque in hunc usum recepe-

e) *l.* 2. *I. B. P. c.* 8. *§.* 1.

 rint.

rint. Ut proin merito in *Bodino* (f) notetur, *quod jure gentium auri argentiq; pretium* constitutum dixerit, à quo Principi non recedere liceat. Et sicut diversæ gentis leges aliam non obligant civitatem, ita nec moneta peregrinam gentem ut recipiatur obligat, etsi propter commerciorum exercitium, quod inter diversarum Gentium cives intercedit, recipi soleat. Nimirum uti summis populorum imperantibus negotiandi licentiam restringere, vel etiam commercia prohibere licet, ne uti *Bodinus* (g) loquitur, *aut cives rerum invectarum copia ad luxum abutantur, aut evectarum inopia premantur*; ita quin idem circa nummum peregrinum, si usus Reip. postulaverit, iisdem ex jure Gentium, h. e. ex facultate aliqua quæ ex vi libertatis quam habent gentibus competit, liceat, dubium non est. Et ut de Africæ & Americæ populis, qui vel ob auri, argentique copiam vel contemtum adhuc merces permutare malunt, taceam; quis Persas vel Indos læsi juris gentium accusaret, si Europæorum *Thaleros*, vel Hispanorum *Reales*, quos hodie accipiunt, nollent ulterius ex publica autoritate recipere?

f) *de Rep.* 6. 3. *f.* 680.

g) *de Rep. l.* 1. *c.* 7. *f.* 69. *ad Grot. l. B.P.* 2. 2. 19. *seq.*

§. 10. Cæterum cum commercia juris gentium sint, illorumque cura ad liberarum Gentium Rectores etiam pertineat, atque hoc ipso quoque ad eosdem spectet cura nummi, quatenus instrumentum est commuta-

mmuta-

mutationum,& commerciorum,non eorum tantùm,quæ inter eiusdem Reip. cives intercedunt,ſed & quæ vicinarum, aut etiam longe diſſitarum gentium homines inter ſe exercent; neceſſario diſtingui debere patet inter id quod in nummo eſt *civile*, & quod *Gentibus* eſt *commune*: Materia, pondus,forma, valor, mutatio item nummi, ejusque reprobatio & abrogatio, civilis ſunt conſtitutionis, & pertinent ad jura imperantis, qui in nummi conſtitutione primo ſuorum, dein exterorum, ob commerciorum neceſſitatem, habet rationem: Communis autem eſt Gentibus uſus rei, in qua vulgaria omnium rerum pretia eminenter continentur. Quemadmodum itaque ad gentium jus etiam commercia inter diverſorum populorum homines referuntur, cum & publico nomine inter illos ad invicem hic dentur actiones, & certa agendi ratio, in communibus naturalis æquitatis, debitæ humanitatis & beneficentiæ regulis, qua ad Gentium ſocialitatem pertinent, fundata; ita quando non placet uti permutatione, gentibus apparuit neceſſarius uſus rei, cui reliquarum rerum pretium eminens imponeretur, ad quam dandam viciſſimque accipiendam tenerentur, qui cum aliis contrahere atque commercia colere volunt: δεῖ γὰρ τοῦτο (νόμισμα) φέροντι, εἶναι λαβεῖν, *oportet enim nummum afferenti unicuiq;,*

eam rem qua egeat, accipere licere ſecundum Philoſophum (h): Ἐγγυητὴς *ſponſor* hinc nummus elegantiſſimè ab *Ariſtot.* (i) appellatur, quod fidejuſſorem agat ſpondeatque, quod ipſius beneficio rem iſtam, pro qua noſtram mercem permutare nolumus, quod ea in præſenti non egemus, parare nobis liceat, ubi illa eguerimus. Ut proinde ad gentium jus, quatenus ſcilicet commercia inter gentes dirigit, communem hanc menſuram (μέτρον dicitur Philoſopho (k) pretii rerum in commercium venientium referre non dubitem; quàm νόμισμα *Ariſtot.* (l) appellat, ὅτι οὐ φύσει, ἀλλὰ νόμῳ ἐστὶ, licet ejus in particulari conſtitutio, eoque utendi ratio, ſecundum mores, uti vidimus, multum varient. *M. Paulus Venetus* (m) autor eſt, magnum Tartarorum Chamum in Cambalu monetam *è cortice mori arboris* confeciſſe, regio ſigno inſculpto, cuius ſolius uſus ſub capitis pœna per regnum illius eſſet. Exteros quoque in eodem negotiaturos pro auro & argento, gemmis etiam & margaritis tales nummos commutaſſe; abituros autem pro iisdem varias inde ſecum extuliſſe merces.

§. 11. Cum vero non omnes gentium conſuetudines ſint jus gentium, niſi ambiguo nominis ſono ludere velimus, cum & ſucceſſio primogeniti in Imperio vel Regno compluribus ſit recepta populis, inductionem

h) 5. Ethic. c. 5.
i) 5. Eth. Nicom. c. 5.
k) l. c.
l) l. c.
m) l. 2. c. 21.

nem faciente *Arnisæo* (n), quæ tamen gentium jure primogenitis minime debetur, disquirendum jam est, quando consuetudines inter populos receptæ, in gentium jus transivisse censeri debeant. Ad probandum igitur cõsuetudines inter populos receptas in gẽtium jus abiisse, requiritur 1. *publica honestas* & *justitia*. In hanc enim quæ impingit consuetudo commune gentium vinculum, & jus commune esse nequit. *Rei enim non bonæ consuetudo est pessima*, doctissimus JCtus *Wesenbec.* (o) ait; eandemq; *abrogari debere* contendit *Rachelius* (p). *Frustra* enim, ut B. Martyr *Cyprianus* (q) ait, *qui ratione vincuntur, consuetudinem opponunt*: Cum nihil minus sociale, nihil humanæ consociationi tam inimicum sit, quàm id quod non est honestum, ut proin recte dixerit olim apud *Ciceronem* (r) *Panætius*, *nihil utile, quod non idem honestum: nihil idem honestum, quod non idem utile sit*, negaveritq; *ullam pestem majorem vitam hominum invasisse, quàm eorum opinionem, qui ista distraxerint*. Unde non audiri debet illud gentium jus, quo crudeliter & turpiter in bello facta excusari sæpe contingit; nec semper admittendum illud Marcelli apud *Livium* (s): *Quicquid in hostibus feci, jus belli defendit*. Bene *Concilium Suessionense*: *Mala consuetudo quæ non minus, quàm perniciosa corruptela vitanda est, nisi citius radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab improbis assumitur, & incipiunt*

n) *Relect. Polit. l. 2. c. 2. s. 8 n. 27. seqq.*

o) *Paratit. D. de Legibus &c. p. m. 13.*

p) *de Iure G. §. 89.*

q) *de Haret. bapt. f. m. 321.*

r) *Offic. p. 68.*

s) *l. 26.*

t) *Ann. 866. apud Wendrock in Epist. Montal. p. 149.*

cipiunt prævaricationes, & variæ præsumptiones celerrimæ non compressæ, pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuo celebrari. Denique cum quæ universales sunt, & à moratioribus receptæ consuetudines, ex jure naturali procedant, certe eidem conformes sint, à nullo quod juris gentium proprie talis effectum habet, rationem honesti & justi abesse posse recte asseritur: quicquid sit de *permissione*, de qua *Grotius* (u), & de qua nos infra.

u) *l.3. I.B.P.* 4.15.

§. 12. Oportet II. consuetudines, quæ in gentium jus abierunt, esse *publice Utiles*. Cognoscitur hoc, etsi per se manifestum ei sit, qui non cum *Hobbio* vult philosophari, ex fine huius juris, qui est salus omnium populorum & gentium. *Constat profecto*, præclare ait *Cicero* (x), *ad salutem civium, civitatumq; incolumitatem vitamq; omnium quietam, & beatam conditas esse leges*: Ita gentium quoque jus quietum, tranquillum, & pacificum omnium gentium statum, cunctorumque earundem jurium incolumitatem pro fine habet, qui per tales consuetudines, quæ unius & alterius gentis tantum manifesta nituntur æquitate (y), non obtinetur. Nec sociale jus gentium liberarum & parium consociationem dirigens foret, si non omnium felicitati consuleret. Unde Angli noluerunt audire *Bernardinum Mendozam Hispani Legatum, Oceanum Indicum ab Anglis navigari cōquerentem* apud *Camdenum* (z); iniquita-

x) *l.2. de LL.* p.171.

y) *Vid. Becl. in Grot. II.* p.116.

z) *Eli/sa.f.m.* 309.

quitatis accusantes Hispanos, *à quibus commercio contra jus gentium prohiberentur*; & ad melius jus commune, quam quod Romani Pontificis donatione nititur provocantes, cum & sibi liceat *commercia in novi orbis regionibus exercere, & colonias, ubi Hispani non incolunt, jure gentium nequaquam violato, deducere, cum præscriptio sine possessione haud valeat.*

§ 13. III. Spectanda *Necessitas* est. Fundamentum enim J.G. est usus exigens consociationis Gentium qua talium, communisque omnium felicitas & incolumitas. Nec hæc necessitas juris hujus consuetudinarii primo omnium aliunde, quam ex ipso contextu rerumpublicarum, & ratione socialitatis qua hæc inter Gentes qua tales intercedit, consociationisque huius fine, æstimanda est: Ut proinde ipsa communi necessitate impellente, gentes, *ob humani generis similitudinem*, uti *Cicero* (a) disputat, communi etiam consensu, sine prævio hoc nomine Concilio, quod necessitatis sensus suppleverat, certas consuetudines ad invicem, quæ vim juris haberent, amplexæ fuerint. Deinde quemadmodum in civitatibus legibus scriptis & consuetudine vivitur, in legis supplementum hac veniente, ut *ob æquitatis & utilitatis rationem tam manifestam, legislationis omnis supplementum quasi necessarium haberi debeat*, uti *Bœclerus* noster loquitur; & uti bonæ conso-

a) l. d. LL. p. 162.

ciationis ratio inter cives legibus naturalibus positivas adjici jubet, earum necessitatem omnibus sentientibus; ita gentium quoque consociatio populorumque inter se commercia, actusque eorundem ad invicem, consuetudines quasdam, quæ vim juris haberent, requisiverunt, quibus præmunirentur partim, quæ Lex naturæ Gentibus etiam præcipit, partim indeterminata determinarentur ad talem agendi modum, qui gentium societati, cõmuniq; etiã tranquillitati, quàm maxime foret conveniens. Ita enim edoctæ cum experientia, tum sensu necessitatis communis, ad commune bonum, quod singularum complectitur salutem, perveniri minime posse viderunt gentes, nisi supplementum aliquod fieret, quod melius quàm per consuetudines ab omnibus quibus sana mens est receptas, fieri non potuit. Ita ut hic acciderit, quod de casu simili ita expressit Cicero(b): *Artes innumerabiles repertæ sunt docente natura, quàm imitata ratio, res ad vitam necessarias solerter consecuta est.* Nimirum habemus leges naturales insitas, quas ratio gentium practica imitata, solerter ea quæ ad omnium salutem pertinent excogitavit. *Autoris libri ad Herenn*: (c) hac de re hæc est Philosophia: *Consuetudine jus est, quod aut leviter à natura tractum aluit, & majus fecit usus: aut si quid eorum, quæ ante diximus, ab natura profectum, majus factum propter consue-*

b) 1. *de LL.* 161.

c) *l.* 1. *p.* 82.

consuetudinem videmus. Ita non ea tantum, quæ Legatis jure naturali debetur, sed amplior gentibus placuit incolumitas: Ita nummus plerasque inter gentes, etiam complures barbaras consuetudine est receptus: Ita in majorem promissorum & pactorum fidem obsides dare & accipere visum fuit iisdem, non sine mutua hoc nomine inter eas intercedente obligatione.

§. 14. *Vetustate* IV. comprobari debere consuetudines quas ad gentium jus referunt, *Ciceronis* (d) locus insinuat: *Consuetudinis jus esse putatur id, quod voluntate omnium sine lege vetustas comprobarit. In ea autem jura sunt quædam ipsa jam certa propter vetustatem. Autori* quoque *ad Herenn* (e) *jus consuetudine* id dicitur, *quod in morem vetustas vulgi approbatione perduxit.* Consentit *Hierocles* (f): Τὸ μὲν ἔθος ἄγραφός τις εἶναι βούλεται νόμος, καλὸν ἐπιγεγραμμένος νομοθέτην τὴν τῶν χρωμένων ἁπάντων εὐαρέστησιν, *consuetudo lex est non scripta, optimi legislatoris inscriptum nomen habens, videlicet utentium omnium comprobationem*, quæ temporis tractum requirit. Prioribus verbis negaverat, *ea quæ heri tantum, vel nudius tertius in civitatem recepta sunt, vel patria, vel consuetudines omnino censenda esse.* Cum enim ex quo genus humanum in diversos cœtus civitatesque dividi incepit, necessitas illarum apparuerit, probabiliter concludere licet, ex illius quoque sensu in certas quoq;

com-

d) *de Invent. p.* 70.

e) *l. c.*

f) *apud Stobæum Ser.* 37. *f.* 230.

commercium inter gentes publicum concernentes consuetudines populos consensisse; etsi primam illarum originem & propaginem, & quo pacto juxta temporum seriem de gente in gentem usu translatæ fuerint, nemo facile demonstraverit (g). Quod tamen non impedit, quo minus consuetudo in jus abire possit. *Observationem inveteratam*, inquit *Tertullian.* (h) *si nulla scriptura determinavit, certe consuetudo corroboravit, quæ sine dubio de traditione manavit. Quomodo enim usurpari quid potest, si traditum prius non est.* Præterea cum *consuetudo vivendi paulatim mos fiat*, ut *Lactantius* (i) loquitur, sensimque vim juris consequatur, nec nisi longi temporis usu, actuumque frequentia; non heri demum vel nudius tertius enatas consuetudines quæ juris gentium sunt, juris uti socialis, ita sane antiquissimi, sed vetustissimas esse oportet. Numa Romam vi & armis à Romulo conditam, *jure, legibusq; ac moribus de integro*, *Livii* (k) judicio, conditurus, juris gentium curam Fecialibus commendavit. Probe enim gnarus erat *consultissimus vir, ut in illa quisquam ætate esse poterat omnis divini atq; humani juris*, inter tot gentes dissonas sermone moribusque Romam, civitatem bellicosam, isto jure Feciali minime carere posse. Unde & apud gentes Romanis vetustiores juris huius communis & cõsuetudinarii occurrunt vestigia.

Ita

g) *Vid. Rachel. de I.G.* §. 87.

h) *de Coron. mil. c. 2. f. m.* 449.

i) *l. 5. c. 6.*

k) *1. Hist. R.*

Ita cum ex Gentium jure de acquirenda & amittenda possessione inter gentes judicetur; consuetudo allegandi longævas possessiones, nec interruptas, bonaque fide partas, ceu titulum juris, non demum nuper inter populos incepit, cum in Ebræorum Republ. Theocratica constet (l) Jephthen pro jure possessionis terrarum ab Ebræis possessarum, contra Ammonitarum regem illas repetentem, ad trecentorum annorum possessionem provocasse. Mos bello victos captosque faciendi servos vetustissimus est, receptusque inter antiquissimas orbis gentes, ceu sacra *Mosis* docet historia. Consuetudinis abducendi obsides, quæ & hodie juris gentium est, exemplum exhibet antiquissima Regum Ebræorum historia (m) in Joaso, Amasiæ liberos obsides secum ducente. Nummi usum jam Abrahami tempore, ob commerciorum invicem exercendorum necessitatem, gentibus placuisse supra diximus.

l) *Iudic.* 11. 13.

m) 2. *Reg.* 14. 14.

§. 15. Consuetudines has *directrices* esse V. oportet *actuum publicorum*, qui gentibus qua gentes sunt ad invicem intercedunt, in bonum, uti supra diximus, omnium commune. Cum enim in hoc natura juris gentium consistat, ut regula sit actuum publicorum inter gentes liberas, easdemque in publicis commerciis ceu jus sociale dirigat, & *sic ad mutuam gentium inter se societatem*

tatem

n) *Grot. 2. l. B. 8. 1.* *tatem pertineat* (n), necesse quoque est, hanc indolem induisse cõsuetudines quæ in gentium jus transierunt. Diversa quippe uti consociationis ratio est, qua omnes qui homines sumus, qua tales sub divino conjungimur imperio, ab ea qua universum genus humanum in quantum in gentes complures & civitates est divisum, hac divisione non obstante, ad universalem istam societatem colendam connectitur; ita diversum utrinque datur vinculum, quod nexu mutuo & reciproco ad certum genus actionum membra societatis dirigit; ibi scilicet naturæ, hic gentium ius. Quo dato multa quæ vulgo ad ius gentium referuntur, de illo revera nihil participare cognoscuntur, quod & *Grotius* (o) aliique notare non omiserunt.

o) *l. B. P. l. c.*

§. 16. An VI. *universales* quoq; esse debeant? merito disquiritur; res enim non caret controversia. Dubium verò esse nequit de universalitate, prout hæc se tenet ex parte æquitatis & utilitatis. Cum enim cõmunẽ humani generis, gentiumque felicitatem respiciat Gentium jus, æquitas quoq; & utilitas, cuius intuitu cõsensus gentium istas consuetudines libere recepit, ex se ad omnes pertineat populos necesse est; licet à non omnibus sit receptum, quod mirum non est, cum & leges naturales à compluribus non observentur populis. Quid olim

olim acciderit circa LL. naturales ab integris gentibus neglectas, docuerunt *Eusebius* (p), *Sextus Empiricus* (q), quid hodie fiat, commemorant *Dapperus* (r), aliique quibus barbaras adire gentes placuit. Ex JCtis proin *Albericus Gentilis* (s) sic disputat: *Non necesse est, sic capere verbum omnes, ut de omnium usu quum dicitur, etiam de omnibus omnino gentibus intelligatur, quæ numero innumeræ, regionibus immensum disjunctæ, moribus prorsum discrepantes, linguis variis manerent incognitæ, sed quod successive placere omnibus visum est, id totius orbis decretum & consilium fuisse existimetur.* Sed non noto confundi ista disputatione, ceu contextus perlustrantem docebit, jus Naturæ & jus Gentium propriè dictum, quod iam à *Rachelio* (t) recte est notatum; id observo, *totius Orbis* decretum id quod successive omnibus placuit, dici vix posse, nisi omnes eandem retinuerint sententiam, simulque foverint gentes, cum revera sit decretum particulare, quod non simul ab omnibus probatur populis, sed heri placitum hodie reiicitur. Quod etiam de Scholasticorum Philosophia habendum, quibus gentium ius dicitur, *quod ex consensu illis omnibus aut fere omnibus populorum, commune* est; quos *Grotius* (u) sequitur. Alibi (x) *hinc jus Gentium Europæarum, & si quæ ad Europæ melioris cultum accedūt*, distinguit à *jure gentium universali*. Contra *Frideric. Horn. non*

p) *Præp. Evang. l. 1. c. 4.*
q) *Pyrrh. Hypotyp. l. 3. c. 24 f. m. 528.*
r) *Descript. Afric. & Americ.*
s) *de I. B. l. 1. p. 10.*
t) *de I. O. S. 36.*
u) *l. B. P. l. 1. §. 14.*
x) *l. 3. I. B. c. 4 §. 16.*

dixerim

dixerim, inquit, (y) *jus gentium Gentium solum moratarum esse, cum omnes etiam barbaros obstringat*: quem alii sequuntur, latitudinem obiecti huius iuris ad omnes etiam barbaras gentes extendentes.

y) *de Civit. l. 2. c. 2. §. 6. c. 9. §. 11. p. 429.*

§. 17. Nobis ita philosophandum videtur: Nimirum cum consuetudines, quæ longi temporis usu, actuumque frequentia probatæ de iure gentium sunt, fundentur in ipsa gentium socialitate, ex cuius sensu etiam easdem ex rationis practicæ dictamine recipiendas esse agnoverunt moratiores, atque necessario consequantur illam iuris gentium partem, quam ex rationibus iuris naturalis collegerunt populi, quamq; æque sibi observandam esse ex conscientiæ iudicio & præcepto crediderunt, atque ipsum ius naturæ, uti supra diximus in civitate leges stricte dictas certas sequi consuetudines, quas ob manifestam æquitatis & utilitatis rationem pro interpretatione, determinatione, declaratione, & supplemento legum non invito ipso legislatore haberi contingit: *Consuetudo etiam in civilibus rebus pro lege suscipitur, cum deficit lex*, ait *Tertullianus*(z): Manifestum est quàm late patent socialitas gentium, & jus naturæ, quatenus illo Gentes ad dirigendos actus publicos utuntur, tam late ut pateant à moratioribus introductæ illæ consuetudines, necessarium & æquum esse. Ita ut quanquam

z) *de Coron. Milit. c. 3. f. m. 449.*

quam de facto ſint particulares, de jure univerſales eſſe debeant & mereantur; cum ſic ſint comparatæ, ut licet *poßint illas negare* certæ gentes, *non poßint tamen non erubeſcere*, uti loquitur *Ambroſius* (a).

a) 3. *Offic.* 14

§. Deniq; VII. Conſuetudines has inter Gentes cum *mutua* aliqua *obligatione*, & nexu reciproco oportet eſſe receptas: Sine hoc enim vinculum juris eſſe nequeunt. Aſt cum ad mutuam gentium pertinent ſocietatem, per eas genti gentem quoque obligari neceſſe eſt. Cum verò conſuetudines has etiam cum animo inducendi obligationem à gentibus oporteat eſſe introductas, non immerito quæritur: Unde conſtet, illas à populis hoc animo eſſe frequentatas, ut in jus tranſirent? Miſſis illis quæ Moralium Doctores apud *Dianam* (b) diſputant: dicimus id cognoſci à *poſteriori* inde, quod ad tales cõſuetudines, ceu jus & regulam actuum publicorum gentes provocare, & ſi quid contra receptum morem patiuntur, de vi & injuria illata queri ſoleant; approbantibus tales querelas cæteris populis. Fundamentum obligationis eſt ſocialitas Gentium, uſusque boni publici exigens, qui eiusmodi conſuetudines gentibus requirere viſus fuit. Ipſa verò obligatio quo ſe habeat pacto, ſuo explicabitur loco. Denique quo valide & actu gentes cæteræ, quæ conſuetudines quas

b) *Reſol. moral.* t. 6. *f. m.* 131.

 major

major pars constituit non observant, obligari queant, opera danda est, ut in illarum perveniant notitiam, ita ut ad agẽdum illas læsi juris gentium reas, sufficiat probari, in notitiam populi consuetudinem pervenisse, eamque non sine aliorum injuria rejici potuisse.

§. 18. Tales equidem oportet esse consuetudines, quæ in Gentium jus transiisse dici debent: Qua verò ratione in jus abierint, paucis etiam explicandum est. Non incongrue loquuntur, qui *non alio modo consuetudines in partem juris gentium venisse, quam in partem juris civilis veniunt*, philosophantur (c). Nimirum cum instituto inter se commercio Gentes, in quas mortales ceu distinctos humani generis cœtus coaluerunt, diversas status socialis necessitates nonnulla, quorum evidens foret æquitas & communis utilitas, desiderare experirentur, ex sensu hujus necessitatis inceperunt certos actus inter se frequentare populi, altero initium faciente, altero æquitatis & utilitatis ad se quoq; redundãtis intuitu, sine tamẽ tum obligatione, pari modo respondente. *Descendit* hinc, inquit *Dn. Textor* (d), *à ratione naturali jus gentium mediante gentium exercitio, cui plerumq; diversus status & conditio humanæ vitæ*, (adde & gentium) *causam procatarcticam dederunt*. Hæc cum conformia essent cæterarum gentium genio, illarumque ad invicem

c) *Bæcler. Comm.* II *p.* 16. *Grot. I.B. l.* 1.14. *Rachel. de I.G.* §. 29.

d) *Synops. I. G. c.* 1. *n.* 11.

cem habitudini responderent, iisdem hoc quoque nomine placuerunt: Ut proin non male jus gentium consuetudinarium per *imitationem* coepisse dici queat, modo humano generi admodum familiari, ceu notat *Aristoteles* (e). Accessit actuum repetitio & frequentia, ex utilitatis partim perceptæ, partim necessitatis denuo redeuntis sensu instituta, quæ in morem & consuetudinem tandem abiit. Habet quippe & hic suo modo locum, quod de consuetudine, eo licet significatu qui huc non pertinet, ita pronũtiat *Hippodamus* (f) apud *Stobæum* (g): Τὰ ἔθη καὶ ἐπιτηδεύματα πλάσσει καὶ κηροχυτεῖ τὰν ψυχὰν, φυσίωσιν ἐμποιεῦνται διὰ τᾶς συνεχέος ἐνεργείας, *consuetudines & studia animum formant, & quasi cereum fingunt, naturali habitu ob assiduam actionem imbutum.* Approbata hæc fuit tractu temporis, longoque nec interrupto, cui facto non fuit contradictum, usu.

e) l. de re Poet. c. 4.

f) l. de Rep.

g) Serm. 41. f. 249.

§. 19. Mutuam verò quod attinet obligationem, & quod gentes ad actus publicos adinvicem dirigendos has consuetudines etiam retulerint, cum illa non sit facta conventione expressa, tacitam intercessisse necesse est, per consensum tacitum in illas ceu jus & regulam futuras factum. *Verum autẽ* hic est *consensus*, inquit *Lorca* (h), *& voluntarium ac liberum censetur, quod tacite approbatur*

h) in P. 2. tom 2 disp. 29 de LL. membr. 2.

Conſentiens nimirum gens in factum alterius, aut eiusdem modum agendi obſervans, ex æqualitate juris idem faciendi facultatem ab ea ſibi concedi debere credidit; ad quam & concedendã teneri ſe altera rationem ſanam ſecuta probe intellexit: Sic enim Sapientiſſimus Magiſter (i): Πάντα ὅσα θέλητε ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι, ὅτω καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς, *omnia quæcunq; volueritis, ut faciant vobis homines, ſic & vos facite illis:* Hanc proinde cum permitteret, quam *permiſsionem* ipſum *tacitum conſenſum* eſſe docet *Lorca* (k), *quia* ſcilicet *ſcit quod agitur, & non reprimit, ſed fieri patitur* permittens; uti non fuit contradictum prima vice, ita cum hoc nomine, tum ob imitationis exemplum, præſumens eadem rurſus iſtius gentis cum qua agit conſenſum, & hæc viciſſim illius, quem alteram ſibi ex quâdam obligatione ob ante factam permiſſionem debere credit, per eiusmodi actuum frequentiam, longo uſu nõ absque tali mutuæ obligationis opinione inveteratam, recipitur iſte modus agendi cum eadem obligatione ceu regula publice agendi. *Cum uſu & conſuetudine paulatim illa obligatio inducatur, non aperte nec uno momento promulgetur, ſed ſenſim ſine ſenſu invaleſcat, & quaſi gliſcat; primus certitudinis quæ de illa obligatione cœpta eſt quamprimum haberi poterit, videtur quadem præſumptione*

i) *Matth.* 12.

k) *l. c.*

ptione niti. At ubi gentes suum consensum evidentiori indicio, & forte factis testantur, plene certi sumus, obligationem inter illas plene inductam esse, ait *Rachelius* (l). Testanturque de suo consensu etiam provocatione ad tales consuetudines facta, id non facturæ, nisi eas mutui vinculi juris vim habere inter populos crederent. Et quanquam risu haud raro excepta, vel non magni æstimata ejusmodi fuerit provocatio, accidit tamen sæpe, ut mutata rerum facie, tam superbi juris humani contemtores ad eandem anchoram, contra calamitatum ingruentium procellas, se reciperent, ubi suis artibus se tractari senserunt, atque illud *Phædri* (m) regeri audiverunt: *Sua quisq; exempla debet æquo animo pati*; ita ut *simili jure multati fuerint*, ut vulpes à ciconia.

l) *de Iure Gent. §. 37.*

m) *Fab. 26.*

§. 20. Cæterum quantus temporum tractus, quotque ut ex usu populorum gentium jus introductum dici queat, actus sint necessarii, & JCtos & Moralium Doctores disputare videas; Breviter dico: Uti lex vim suam legalem nõ exerit nisi promulgata, ita nec consuetudo inter gentes pro jure, quod nexu reciproco liget populos & civitates, haberi potest, nisi & eius vis obligatrix certo innotuerit. Hoc verò cum non haberi possit nisi vel ex certis indiciis, vel ex coniecturis; si indicia sunt certa & expressa, uti notant consensum quoque gen-

tium in consuetudinem, uti vim juris habeat expressum; ita si vel una tantum vice populi actum aliquem exercuerunt, dubium non est, quin sufficiat etiam unicus ille actus ad jus aliquod inter gentes introducendum. Sin verò iste consensus non nisi ex conjecturis peti debet, unicus actus inter gentes singulas sufficere non videtur, cum ne ad probabilem cōjecturam satis sit, quæ certius ex actuum frequentatione concipitur. Ex quo sequitur numerum actuum ad introductionem juris gentium inter populos liberos necessariorum Mathematice certò definiri nec posse, nec debere. Non potest: Quia mentes hominum sunt mobiles, ἐπειδὴ, ut loquitur *Polyb* (n) πολλάκις μὲν αἱ πρὸς τὸ χεῖρον τῶν πραγμάτων ῥοπαὶ καὶ περιστάσεις ἀλλοιοῦσι τὰς προαιρέσεις ἀνθρώπων, πολλάκις δὲ αἱ πρὸς τὸ βέλτιον, *quandoquidem negotiorum mutationes in deterius & res adversæ voluntates consiliaq; hominum solent mutare: sæpe etiam mutationes factæ in melius.* Nihil etiam incertius, quā ex numero actuum præcise, cuius per se nulla efficacia, in rebus mere voluntariis aliquid velle definire & cognoscere. Non etiam debet: quia ex principiis moralibus, non Mathematicis de jure pronunciandum, nec spectandum quid per accidens fiat.

n) l.16.c.13.

§. 21. Non equidem fuit unquam *Concilium Gentium universale* institutum ad jus

jus gentium voluntarium introducendum, sed nec talis conventus hoc nomine fuit necessario instituendus, quem in communi necessitate, publicaque utilitate fundatus consensus præsumtus supplevit, & supplere potuit. Ubi enim coram cum illo agere non possum cum in aliquo neg[illegible]ius requiritur consensus, præsumere prudenter licet, illum si necessitas ita tulerit, tanquam virum bonum, æqui & commodi communis studiosum, in ea consensurum esse, quæ honesta, necessaria, sibique & publice futura esse utilia cognoverit. *In defectu enim signorum expressorum aliud ostendētium præsumitur, quemq; velle commodum suum promoveri, quia id maxime est secundum naturam. quàm præsumtiones communiter sequi solent,* ait Dn. *Pufendorff.* (o). Sique talis actus fuerit frequentatus, in eundem quoque, neutro contradicente, utrinque fuisse consensum præbitum naturaliter colligitur, unde tandem in consuetudinem transiit.

o) *Elem. I. V. l. 1. def. 14. §.* 3.

§. 22. Illustrabit hactenus discussa clarissimus J. G. articulus de pignoratione inter diversas gentes, quæ vulgo *jus repressaliarum* dici solet; quo summa in civitate potestas subditis suis, quibus ab alienæ civitatis hominibus damnum datum est, ubi requirentibus jus denegatum, vel inique protractū fuit, aut corpora aut res subditorum ejus qui jus quod debet non reddit, capere

 per-

permittit; quod *non quidem natura introductum sed moribus passim receptum esse*, Grotius (p), Zouchaus (q) aliique notant. Nec hoc l. impingit in publicam justitiam, vel adversatur juri naturali. Etsi enim Justinianus (r) *nullam omnino pro alio pignorationem* fieri debere *sanciat, quod non habeat rationem, alium quidem esse debitorem, alium verò exigi*: Lex etiam *Burgundionum* (s) improbet, si quis *pro eo, cum quo causam habere se putat, alium pignoravit cum quo causam nullā habet, & caballos aut boves tulerit, aut mancipium rapuerit*: Quod & Rothari (t) regi placuit apud Longobardos; & in *Constitutionibus Neapolitanis* (u) Friderico Imp. de pignoratione tamen inter privatos, eiusdemque civitatis cives, qui aliis remediis juris uti possunt, privatoque ausu suscepta textus loqui manifestum videtur. Alia est ratio repressaliarum inter gentium liberarum cives, qui membra sunt & partes Reipublicæ, & proinde pro rata ad eiusdem debita solvenda tenentur. Cum itaque civitas læsis alterius gentis civibus debitum jus inique denegans, culpæ suorum subditorum fiat particeps, sicut & civitatis, ita quoque privatorum qui civitatem constituunt bonis manus juste iniici potest: Uti enim juste toti genti omnibusque civibus bellum denuntiari potest, uti formulæ id docent solennes, *Grotio* (x) etiam adductæ; ita non plus iniquitatis apparet, si erga omnes quoque indicuntur repressa-

p) *I.B.P.* III. 2.2.5.
q) *Iur. Fecial. P. II. s. 6 n 7.*
r) *Novell.* 52. c. 1.
s) *Tit.* 19. n. 3.
t) *Leg. Longobardic. l.* 2. tit. 21. *l.* 3. 4.
u) *l. I Tit.* 8. *l.* 1.
x) *l. c.* 5. 2.

pressaliæ. Et quicquid hic iniqui committi videtur, cum ab illis qui non debent exigitur, recidit in Rempublicam peccantem, quæ ne innocens subditus pati cogatur iniuriam, amissa propter civitatem de suo refundere tenetur, iniqua hoc omisso in civem futura. Verbo: Denegata vel dilata justitia, debitum privati fit debitum civitatis, pro quo cum singulorum bona velut in subsidium sint obligata, uti ipsæ obligantur personæ, hoc ipso adversus illa etiam repressaliæ indulgeri possunt. Addantur JCti *Mynsingerus*(y), *Albericus Gentilis.*(z)

§. 23. Est II. hoc uti *Grotius*(a) loquitur, *inter jura illa quæ Iustinianus ait* usu exigente, *& humanis necessitatibus à gentibus humanis constituta.* Utilitas communis est, securitati & tranquillæ bonorum possessioni ubique consulens. Occurritur enim hoc medio râpiendi libidini, ne genti gentem quovis modo impune offendere liceat. *Necessitas* autem, ut *Grotius*(b) rursus loquitur, *expressit*, quod *alioqui magna daretur injuriis faciendis licentia, cum bona imperantium sæpe non tam facile possint in manus venire, quam privatorum, qui plures sunt.* Unde nec ad statum generis humani & gentium ad invicem naturalem & ordinarium, sed ad subsidiarium, cum vim quandam inferat, belliqueque specimen præbeat, referri debet hæc pignoratio,

y) *Observ. Cent. 6. Obs. 1.*
z) *1. B. 1. 21.*
a) *l. c. §. 2.*
b) *l. c.*

§. 24. Comprobatur prætera III. *Vetustate.* Repressaliarum quidem usum novitia consuetudine receptum esse *Bartolus* voluit, sed notatur à *Mynsingero* (c): à vetustissimis LL. Romanis radicem sumsisse apud eundẽ tradit *Zasius* (d). Verũ antiquius est ἐνεχυρασμοῦ exemplum, justumne an injustum sit jam non disquiro, quod extat apud *Homerum* (e), quo vetustius historia gentium profana suppeditare non potest, quando Nestor sua antiqua facinora commemorans, ob abigeatum quidẽ ab Elidensibus commissum, non tamen *ob ereptos patri equos*, uti *Grotius* (f) affirmat, sed ob *βουλασίην abactionem boum*, se ῥύσια *pignora abegisse*,

πεντήκοντα βοῶν ἀγέλας, τόσα πώεα οἰῶν,
τόσα συῶν συμβόσια, τόσ' αἰπόλια πλατέ' αἰγῶν
ἵππους &c.

Quinquaginta boũm armenta, totidem greges ovium,
Tot suum greges, tot greges amplos caprarum
Equas &c.

gloriatur. Dicitur ῥύσι' ἐλαυνόμενος Poëtæ: quod idem est, ut *Budæus* (g) explicat, ac ῥυσιάζων, τὰ ἐνέχυρα λαμβάνων. Nescio tamen annon antiquius ex sacris annalibus mihi huc referre liceat factum Ebræorum, aurea & argentea Ægyptiorum vasa secum, cum inde exirent, auferentium (h): quod exemplum juris Repressaliarum sub regimine Theocratico exerciti non incongrue dixeris.

c) *l.c.*
d) *in l. 2. §. Et ita leg. ff. de orig. Iur.*
e) *Iliad. l. 11. p. m. 406.*
f) *l.c. §. 5.*
g) *Voc.* ῥύσιον.
h) *Exod. 11. 2. c. 12. 35.*

ris. Quod si verò alicui aliquid differentiæ inter factum Ebræorum, aliaque pignorationis inter gentes receptæ exempla intercedere visum fuerit, cogitet, annon ad circumstãtias id referri queat, quas ob regiminis diversitaté etiam variare mirum non est.

§. 25. Pertinet etiam IV. ad actus qui inter gentes qua tales intercedunt hæc consuetudo, *dirigitq;* cum quodam effectu juris eosdem ad id quod debetur obtinendum, postquam jus fuit denegatum, ne ubi disceptatione non uti licuerit, sed vi opus fuerit, statim armis belloque solenni omnia committantur: Ut valeat illud apud *Livium* (i): *Justum bellum quibus necessarium, & pia arma, quibus nulla nisi in armis spes relinquitur.* Unde Dani ann. 1602. *Camdeno* (k) autore, per suos in Britanniam Legatos de piratis Anglis questi & obtestati sunt: quamvis piratica insolentia bello flagrante comprimi non posset, supplicii tamen asperitate coërcendam esse, alioquin *ad injurias & damna resarcienda arrestationes permittendas: quia regum inprimis interfit, ne subditi quid detrimenti capiant.*

i) *l. 9. c. 1.*

k) *P. IV. p. 842.*

§. 26. Communem insuper V. Gentibus hanc consuetudinem esse *Grotius* (l) notavit: *Receptum*, inquiens, *hunc morem*, ut pro debito imperantium teneantur res & actus subditorum, *non tantum apparet ex bellis plenis, quæ populi populis inferunt, vel etiam ubi ad eam belli plenitudinem nondum est ventum,*

l) *l. c. n. 2.*

sed

sed tamen violenta quadam juris executione i. e. bello imperfecto opus est, videmus idem usurpari. Extantque Græcorum, Romanorum, Carthaginensium, Sabinorum aliorumq; exempla. In *LL. Wisigothorum* (m) ita sancitur: *si ad unam conventionem judex rationem querelantis implere distulerit, tunc ille judex de cujus territorio est ille qui petit, de rebus judicis illius ad quem direxit epistolam, in quibuscunq; locis reperire potuerit, tantum usurpet, quantum res illa esse dinoscetur, de qua petitor querelam intulerit; quod eidem petitori possidendum nihilominus dabit. Quam rem ita possideat, ut conservatis aliis rebus, de solis frugibus usum & expensas obtineat*: Ex quo dubium non est, exercuisse Gothos pignorationis jus etiam adversus alios populos. Quanquam vero hodie non apud moratiores tantùm populos, sed & apud Barbaros, Indos (n) &c. eius usus sit, placuit tamen sæpe gentibus, cum vim quandam, quæ animos facile exacerbare possit, contineat, eius libertatem communi alias gentium jure permissam expresso pacto coërcere. Ita enim in *Induciis Sueco Polonic.* (o). *Nulla repressalia aut arresta tam terra quam mari ratione cuiuscunq; injuriæ, nisi justitia pluribus vicibus repetita non administretur, admittantur.* Superiori seculo anno 96. fœdere inter Gallos & Belgas fœderatos icto, de quo *Thuan* (p). & *Meteran.* (q) cautum fuit, *ne repressaliarum literæ, in posterum concedantur,* sed

m) *l. 2. l. 7.*

n) *V. Hulsii Navigat. in Ind. Or. An. 1595. p. 35. Petr. de la Valle Itin. t. IV. f. 146. Balda. descr. Malabar. & Coromand. f. 268.*

o) *art. 18.*

p) *l. 116. f. 680.*

q) *l. 18. f. 992.*

sed jus æquabile inter partes dicatur, viaq; juris ordinaria quuq; suum repetat.

§. 27. Denique *obligatio* gentis adversus gentem, quæ quoad hoc juris caput populos constringit, positive concedit læsis facultatem sibi suoq; juri adversus lædentem, debitumque præfracte non reddentem, consulendi, ita ut cæteris paribus talis pignoratio pro honesto remedio juris, non verò pro latrocinio, deprædatione, vel piratica habeatur, aliove malo titulo apud alios populos jure traduci queat.

§. 28. Num verò eiusmodi consuetudines quæ in gentium jus transierunt, mutari rursus queant, ut de isto jure esse desinant, clarissima disceptant ingenia. *Frideric. Hornius* (r) *perpetuitas*, inquit, *juris gentium, & obligatio omnes stringens inducens observantiam, vel pœnam, fixum aliquid & mansurum postulat.* Unde cum *indubitatum* existimat, *posse mutuo dissensu iterum solvi, quod solo consensu colligatum erat*; negat ea quæ sunt juris gentium à *consensu populorum præsumto* derivari posse. *Hugo* vero *Grotius* (s) alibi loquitur de *vetere jure gẽtium*, quod hodie quoad *jus captivitatis extra bellum, & postliminii, non inter Christianos tantùm, sed & apud plerosq; Mahometistas evanuisse* ait: Alibi (t) mentionem facit *recentioris juris gentium inter Europæos populos introducti*; quod cæteris paribus antiquo juri gentium derogare aliis dicitur.

r) *de civit.* 2.2.6.

s) *l.* 3 *l.B.c.*9. *n.*19.

t) *l.c.a.*6.*n.*3.

Nos

Nos equidem omnimodo probandam censemus *Hieroclis* (u) Philosophiam, qui δεῖ, inquit, καὶ τοὺς νόμους τῆς πατρίδος, quorsum refert, τὰ ἔθη τῶν νόμων πρεσβύτερα, καθάπερ τινὰς Θεοὺς δευτέρους συντηρεῖν, *oportet leges patriæ & consuetudines legibus vetustiores, tanquam alteros Deos observare*, nec *innovare* νεωχμοῦν. quod etiam de consuetudinibus, quæ inter gentes in vim juris mutui abierunt, dicere licebit. Absolute tamen uti non repugnat ex prudentiæ legislatoriæ præcepto leges immutare, salute publica, quæ suprema lex est, ita requirente: *Ego*, inquit Livius Valerius Tribunus plebis apud *Livium* (x), rerum Romanarum scriptorem clarissimum, pro abrogatione L. Oppiæ contra Catonem disserens, *ex his legibus, quæ non in tempus aliquod, sed perpetuæ utilitatis causa in æternum latæ sunt, nullam abrogari debere fateor, nisi quam aut usus coarguit, aut status aliquis Reipublicæ inutilem fecit*; ita nec in populorum civitate repugnat, uti tacito consensu gentium consuetudo in vim legis invaluit, quem *Hierocles* (y) *optimum* hoc nomine appellavit *legislatorem*, eodem sensim rursus eandem tolli.

u) ap. Stob. f. 229.

x) 34. c. 6.

y) l. c.

§. 19. Nimirum quæ usu longi temporis, actuumque frequentia tacita conventione vim legum acceperunt gentium consuetudines, vel ad æquitatem, communemque utilitatem proxime & necessario genti-

gentibus facere visæ sunt, vel creduntur id facere gradu remotiori. Unde cum fundamentum & ratio immutabilitatis sit necessitas, sequitur diversam rationem immutabilitatis dari, data diversa ratione necessitatis, sicut non sit æque dicendum immutabile, quod non dici potest æque esse necessarium.

§. 30. Mutatio denique hæc fieri tunc censenda est, quando gentes non contradicendo in illam consentire videntur, aliorumque secutæ populorum exemplum, consuetudines quondam in mutuo gentium commercio receptas negligere incipiunt, quas tandem sensim hoc modo evanescere necesse est. Grotiana interim exempla hoc quod diximus non probant solùm; sed nec si inter Christianos bellum geritur solenne, jus captivitatis ad servitutē priscam, & jus venditionis, sed ad pretium redemptionis tantum postulandum, extendere licet; ita ut cum Mansfeldius post prælium ad Quintini fanum anno 1557. commissum, *captivis passim à milite, qui eos minime cognoscebat, vili pretio emtis, eorundem postea cognitorum redemtionem grandi pecunia æstimasset, turpissimum* id vocaverit *Thuanus* (z) *mercimonium, quod ceu severe & crudelius ab eo factum, quam ex jure gentium licet, plerique damnavere.*

z) *l. 19. Hist. f. 581.*

ARTIC.

ARTIC. VII.

De *Pactis Gentium*, *An* *ad Jus Gentium referri debeant.*

§. 1.

AD Originem J.G. explicandam etiam ea pertinent, quæ de Pactis gentium disputantur: Consensus enim gentiũ in jus consuetudinis, quod nexu reciproco liget, sine tacita conventione, si nõ datur expressa, intelligi non potest, cum nudus consensus factum duntaxat, consuetudinemque probet, mutuam vero obligationem per se non inducat. Sic vero loquimur de pactis ut notant actum paciscendi, h.e. pactionem, & referuntur ad J. G. *causam efficientem*: dicuntur tamen pacta etiam id, de quo gentes inter se convenerunt, & pertinent ad *materiam ex qua* gentium jus dicitur constitui.

§. 2. Ut itaque qua ratione gentium jus pactis populorum liberorum introductum dici queat explicetur, constat ex superioribus, quædam J.G. capita esse, si materiam & fundamentum illorum spectes naturalia

turalia & in se necessaria, etsi quasi gentium jus constituunt, modo etiam posit vo obligent, uti naturalia præcepta in ci itate constat etiãmodo civili obligare; quædam autem non quidẽ naturalia, usu tamen exigente, & urgẽtibus humanis necessitatibus, quod socialitas gentium ita requirere videbatur, constituta. Illa etsi gentes naturaliter ante omne pactum obligare recte censeantur, qua tamen ad gentium h. e. humanum jus referuntur, modo quoque humano, & quidem gentibus accommodato, populos qua tales obligent necesse est. Hæc vero quod attinet, vix aliter, salva libertate & paritate gentium, in vim juris cum mutua obligatione abire potuerunt, quam pactione sive expressa, sive tacita. *Cum enim* uti *Rachel*(a).loquitur *una resp. in alteram, aut una libera gens in alteram nihil autoritatis habeat, neq; altera alteri sit obnoxia, nedum ut plures liberæ gentes ac Respublicæ uni cuipiam subsint, sed singulæ suam habeant* αὐτονομίαν & αὐτοκρατείαν; *hinc si quo jure arbitrario inter se socientur, cui ab omnibus ita sociatis omnino parendum sit, pactis illud constitui necesse est.* Unde *Grotius* (b), *si quid communiter receptum vim pacti inter gentes non habet, jus civile plurium gentium distributim* esse ait. Ex veteribus *Aristoteles* (c) illud caput J. G. ᾧ τὰ κτ πόλεμον κρατέμενα τῶν κρατέντων εἶ φασι, *quo bello capta fiunt capientium*. vocat ὁμολογίαν.

a) *de I. G. §. 2.*

b) *2. I. B. 3. 5.*

c) *1. Pol.*

Turcarum Imp. Amurathes III. retulit apud *Bizarum*(d) ad *jus belli*; *ex quo Ottomanici Imperatores, oppida & arces vi atq; armis semel occupatas, nunquam omnino restituere consuessent.* Νόμον ἐν πᾶσιν ἀνθρώποις ἀΐδιον, *legem inter homines sempiternam*, h. e. consuetudinem pacto hominum nisam, legis vim habentem, olim Cyrus apud *Xenophontem* (e) appellavit.

d) *Histor. Rerũ Pers. l.11.f.316.*

e) *Cyropæd. l.7.f.198.*

§. 2. Pactum *Cicero* (f) esse dicit, *quod inter aliquos convenit. Ulpianus* (g) hinc *pactio*, inquit, *est duorum pluriumve in idem placitum consensus*: hoc est explicante ipso JCto *conventio*. Reciprocam hæc natura suâ dicit actionem, qua huic cum illo, illique cum hoc transigendo convenit; qua conventione cum alterius jus agendique facultas limitatur, determinatur atque constringitur, alterius quoque jus, agendique facultatem limitari, determinari, atque constringi necesse est; quod nisi fieret, orietur inter æquales inæqualitas, quæ cum gentium paritate stare nesciret, nec foret in idẽ placitum consensus parium. Vim etiam promissionis ista conventio habet, & facta ultro citroque promissione absolvitur; mutuam proin per illam quoque juris fieri translationem necessum est, ita ut circa res vel actiones invicem præstandas, mutua quadam, quæ in data fide fundatur, se invicem respiciant obligatione. *Insunt enim capita*

f) *2. de Inv. n.36. n.13.*

g) *ff. de Pact. l.1.§.2.*

capita singula unius ejusdemq; conventionis, alia aliis per modum cōditionis, quasi expressum foret: hoc ita faciam, si & alter fecerit, quod pactus est, uti loquitur *Pufendorf.* (h) qui & alibi (i) quæ de *Pacto* incongrue ab *Hobbio* (k) disputantur, erudita disquisitione it confutatum.

§. 3. Gentium itaque quod attinet liberarum pacta, cum populorum illa urgeat socialitas, decensque publica tractandi negotia modus, quem ob communem utilitatem, commodioremque agendi rationem, communem quoque gentibus esse conveniens, imo suo modo necessarium est; usu ita exigente, ratione quadam paciscendi suæ cum summitati tum paritati convenienti, in certas quasdam, actus publicos ad invicem dirigentes consenserunt consuetudines. Cum vero hæc vel tacite vel expresse fieri debeat, quali pactionis genere consuetudines gentium in jus commune abierint, res meræ coniecturæ est, argumentis quæ utrinque adferri solent, rem sic fieri potuisse, tantum probantibus. Uti enim non repugnat priscis temporibus duas pluresq; gentes expresso pacto coivisse in certum agendi modum, qui usu ita exigente ad alios transiit populos, & pacto tacito ab illis fuit receptus; sic nec repugnat duas pluresque ab initio gentes in certas quasdam tacito pacto consensisse consuetudines, quæ successu tēporis simili paciscendi modo cæteris

h) *Elem. l. 1. def. 12. §. 12.*
i) *de I. N. G. l. 5. c. 2. 1.*
k) *de Civ. 2. 9.*

placuerunt populis. Cæterum *Facti* antiquissimi, gentiumq; mutuis cõmerciis coævi, hæc res est: de quo cum ex historiarum veterum monumentis non satis certi queamus reddi, prudenti tantum coniecturæ locus relinquitur.

§. 4. Expressa gentium pacta considerari possunt, vel qua gentium jus adhuc introducendum antecedunt, vel qua introductum consequuntur. Priori sensu aperta pactio, qua gentium jus universale probetur constitutum, *vix*, *Bœclero* (l) judice, *apparebit*. Sæpius vero licet gentes inter se certa pactione convenire contingat, atque fœdere coalescere easdem videamus; nobis tamen istæ liberorum populorum conventiones, jus Gentium, quod sit *proprie nec abusive* tale, ut *Zieglerus* (m) loquitur, constituere (n) nõ videntur; qui ea *quæ juris Gentium sunt*, *& quæ pactis populorum constituuntur*, cum *Mevio* (o) distinguere malumus. *Autor* equidem *Elementorum Iurisprudent: Præter mores communes, pro jure etiam inter Gentes habendum* esse censet, *in quod gentes singulæ cum singulis inter se consentiunt, utpote per pacta, conventiones & fœdera.* Verum enimvero etsi quod pacto expresso inter paucas duasque receptum est gentes, procedente postmodum tempore usu comprobatum à pluribus, tacito pacto in jus gentium commune abire posse, vel etiam abiisse, jam concessi-

l) *Com. Grot. P. I. p. 109.*

m) *Not. ad Grot. 3. l. B. 6. 3 p. 545.*

n) *Prodrom. Iurispr. Gent. In-specl. 5 n. 16.*

o) *de Iur. inter Gent. P. I. p. 3.*

cesserimus; in quod tamen gentes singulæ cum singulis inter se consentiunt, sicut olim inter Hispanos atque Batavos constitutum fuit, ut bello captus à captore se suo mensis unius spatio se posset redimere, id gentium jus propriè tale vix dici poterit. Etsi enim ejusmodi pactum vim juris inter aliquot gentes, duas sc. tresve habeat, vinculumque sit, quo nexu mutuo & reciproco ligantur, respectu tamen cæterarum gentium privati potius, quam publici juris rationem habet: At gentium jus non nisi publicum est. Et cum pacta gentium varient, sibique haud raro repugnent, gentium jus inter populos moratiores non solum multiplex sæpe dari, sed & secum pugnare sequetur. Taceo communi gentium sensui, quando ad gentium jus provocare solent, *Zouchæanam* Philosophiam refragari, quo nunquam pacta populorum particularia, sed jus ad minimum moratioribus gentibus cõmune intelligere solent: A cõmuni vero & recepta loquendi cõsuetudine sine ratione satis valida recedere non licet.

§. 5. Disputat *Hugo Grotius* (p) de *jure Gentium inter Europæos populos introducto*; armisque in bello venenatis uti *contra jus gentium non universale, sed Europæarum, & si quæ ad Europæ melioris cultum accedunt* (q), esse docet. Verum non eadem est ratio pacti inter duas tresve gentes, atque juris gentium

p) *lib.* 1 *B.P.* 6.3.

q) *l.* 1. *c.* 4 §. 15 *seq.*

moratiorum populorum: quod id, in quod gentes cultiores atque meliores consense-runt, ad omnium populorum consociationem & felicitatem faciat, & de jure à barbaris etiam observari debeat, cum inter duas tresve gentes inita pacta illarum tantum commodum primo & per se, non nisi secundario reliquas gentes respiciant; id vero quod est gentium jus proprie tale, æqualiter & per se ad omnes populos pertineat. Quanquam, an adductum de intermittendo veneni usu in bello exemplum jus gentium non universale, sed Europæum, & meliorum populorum probet, merito dubitare liceat, cum, ut vetustiora taceam, nostra tempora usurpati cum in globis veneno inficiendis, cum in ignibus artificialibus pestifero fumo noxiis conficiendis, veneni exempla dederint; apparueritque, noluisse gentes tacito aliquo pacto suam damnum quocunque modo hostibus inferendi libertatem constringi; semper licet fuerint, quibus hæc vincendi nocendique ratio ceu crudelior displiceret. Nec confitebuntur Hispani, se obsessa à Gallis Neapoli, *vicinos hostium castra puteos & cisternas inficiendo*, quod accidisse ferunt teste *Iovio* (r), contra Gentium jus peccasse, caussam illorum agente Cardinale *Toleto* (s); nec subscribit *Grotio Feldenus* (t). Nec novissimo denique bello Gallo-Germanico publica autoritate ab usu

r) *t.2.Histor. l.26.p.115.*
s) *l. 8.Instr. Sac. c.45. p.m.* 1262.
t) *Not. in Grot.p.*453.

ab usu globorum veneno tinctorum, vel non consueto receptoque modo formatorum, abstineri placuit, donec inter se belligerantes expresso pacto Argentorati convenirent(u), de non usurpandis *in posterum* ejusmodi globis.

u) *die 27. August.1675 art.57.*

§. 6. Accidit etiam, ut pacto consequente nonnunquam gentes ea quæ gentium juris jam sunt repetitum atque confirmatum eant, vel etiam restringant. Latrocinia sane quæ gens in gentem olim exercebat, vero quidem gentium juri, & populorũ adversabantur socialitati; verum tum non nisi expresso pacto, & fœdere de non offendẽdo, à mutuis istis abstineri iniuriis gentibus placuit. Ita licet gentium jus *pacem æternam* primo & per se respiciat, præcipiatque, pacti tamen consequentis fuit *fœdus* illud, *Froſſardo*(x) teste, *inter Wallorum Principem & Arragonium initum*, *sub ejusmodi formulis, ut ex Anglia nullo unquam tempore bellum huic inferretur.* Jura quoque Legatis ex gentium jure debita, promisso, pactoque hoc nomine facto confirmata sæpe constat: qui haud raro non mittuntur, nisi prius per præcones impetrata fide publica (y). Hinc salvorum conductuum Diplomata, quibus securitati illorum etiam Legatorum qui Pacis reducendæ ergo coëunt cavetur, tam accurate examinari solent, ne quid desit, uti in *Pacificatione Sueco Polonica*, Ann. 1659.

x) *l.3.Histor. p.m.* 203.

y) *Vid. Paschal. de Leg. c.22.*

 & no-

& noviſſima *Neomagenſi* factum tradunt *Acta Publica*. Reſtringi denique ſæpius ea quæ gentium jure conceſſa cenſentur, & ad quæ ab aliis poſtulanda, ſi non plenum, certe imperfectum jus habent populi, tam antiqua, quam recentior Gentium hiſtoria docet. Ita cum ex Gentium jure liceat per ſuos fines adverſus hoſtes tendenti exercitui transitum concedere; jus etiam ad transitum iſtum à vicinis petendum habeant quibus ad juſtas cauſas iſte eſt neceſſarius; illi denique qui inter belligerantes ſunt medii atque quieſcunt, *æquos ſe præbere utrinq; queant in permittendo transitu, in commeatu præbendo legionibus, in obſeſſis non ſublevandis*, uti notat *Grotius* (z); variis tamen pactis talia limitari atque conſtringi contingit. Formula fœderis inter Antiochum Regem Populumque Romanum initi, cautum fuit apud *Polybium* (a): μὴ διιέναι δὲ βασιλέα Ἀντίοχον καὶ τοὺς ὑποταττομένους διὰ τῆς αὐτῶν χώρας ἐπὶ Ῥωμαίους καὶ τοὺς συμμάχους, πολεμίους· μηδὲ χορηγεῖν αὐτοῖς μηδέν· Ὁμοίως δὲ καὶ Ῥωμαίους καὶ τοὺς συμμάχους, ἐπ' Ἀντίοχον, καὶ τοὺς ὑπ' ἐκεῖνον ταττομένους, *ne quos hoſtes populi Romani Rex per fines regni ſui, eorumve qui ſub ditione ejus eſſent, transire ſineret, ne commeatu, ne qua alia ope juvaret. Idem Romani ſociiq; Antiocho, & iis qui ſub imperio ejus erunt, præſtarent.* Et quanquam Eliſabetha Angliæ Regina feliciſſima ex *gentium jure* navigandi libertaté urgens,

z) *l. B. III. 17. 3.*

a) *Excerpt. Leg. c. 35.*

urgens, ſibi æque in novum orbem, atque Hiſpano, navigare licere contenderit cõtra eius Legatum Bernardinum Mendozam, hoc nomine ſremente apud *Camdenum* (b), Ann. 1580; hanc tamen navigandi libertatem reſtrictam olim fuiſſe inter Romanos & Carthaginienſes, docet formula fœderis, quam exhibet *Polybius* (c), qua Roma ni Pœnis ſe obſtrinxere, quod nollent *ultra Pulchrum promontorium navigare, extra quam ſi tempeſtatis aut hoſtium vi fuerint compulſi.* Rationem ſcriptor ſubjicit: διὰ τὸ μὴ βούλεσθαι γινώσκειν αὐτοὺς, μήτε τοὺς κατὰ τὴν Βυσσάτιν, μήτε τοὺς κατὰ τὴν μικρὰν Σύρτιν τόπους· ἃ δὴ καλοῦσιν Ἐμπόρια, διὰ τὴν ἀρετὴν τῆς χώρας, *quia cognoſci ab illis nolebant, neq; loca circa Byzacium, neq; parvam ſyrtim: quæ propter ſoli ubertatem vocant Emporia.* Et ut antiqua mittamus, incluta Septentrionis Sueciæ & Daniæ Regna conſtat Tractatu *Roſchildenſi* (d) *inter ſe conſtituiſſe, & mutuo promiſiſſe, ſe nunquam conceſſura, ut peregrina quædam claſſis inimica, cujuscunq; etiam illa fuerit, per fretum Oreſundicum aut Balthicum, in mare Balthicum transeat*: quod Sueci poſtmodum propoſita arctioris fœderis formula (e) interpretati ſunt, *ne peregrina quædam claſſis bellica, ſub quocunq; demum prætextu id fieri poſſit, ſive navium conducendarum gratia, ſive ad præſtanda amicis & fœderatis auxilia promiſſa, & quæ ſunt hujus generis alia &c. in mare Balthicũ* ingredi auderet;

b) *Eliſab. ſ.m.* 309.

c) *Hiſt. l.* 3. *c.* 22. *ſeqq.*

d) *art.* 3.

e) *Exhibita Danis Haffniæ d.* 24. *April.* 1658. *art.* 2.

acerrime contranitente Belgii conſœderati Oratore Beuningio in aula Haffnienſi.

§. 7. Pacta hæc commune populorum jus conſequentia non novum inter gentes jus conſtituere, per ea quæ ſupra contra *Zouchæum* diſputata ſunt, etiam probari poteſt. Et cum privati commodi cauſa ineantur ſæpius, uti hoc variare ſolet, ita definiti tantum temporis ſunt, quo exeunte exſpirant.

§. 8. Cæterum uti leges poſitivæ juribus naturalibus aliquid addere non male dicuntur, id quod fit, quando vel ad ſpecialem, atque determinatum agendi modum eadem contrahunt; vel ea quæ jure iſto indefinita relinquuntur, cővenienter iſtius regulis conſtituunt; vel eadem cum illis præcipiendo, obligatione inſuper civili illa muniunt: Ita populorum pacta jura inter Gentes cum mutua illarum obligatione ad invicem exercenda, ſive Gentium jus conſequentia, non incongrue huic juri inter certas gentes aliquid ſuperaddere dicitur: Specialem nimirum inter Gentes agendi modum, & determinationem eius quod Gentium jure non eſt definitum: Explicationem etiam illorum quæ J. G. eſſe dicuntur; peculiarem denique obligationem, novo atque acceſſorio vinculo Gentes nexu reciproco conſtringentem.

§. 9.

§. 9. Circa Gentium itaq; jus, non vero adversus illud populorum pacta vim suam exerunt, & exerere possunt. De quo enim communi consensu & pacto quodam tacito inter se convenerunt populi, id ab uno & altero ausu proprio adversus cæteros tolli non potest. Eximie *Rachelius* (f): *Illa juris Gentium placita, quæ nihil habent vitij & iniquitatis, & multo magis quæ utilitate aut necessitate fuerunt introducta, temere mutari aut abrogari à quibusdam gentibus nequeunt, præsertim si id cum reliquarum præjudicio sit futurum.* Uti nec in aliquo ferendum, ut contra publicum receptumque loquendi modum & sensum interpretur voces, licet significent ex instituto. In fœdere Blesensi, inter Galliæ Regem & Elisabetham Angliæ Reginam ann. 1572. inito, sancitur apud *Camden*(g): *fœdus* istud *illum intellectum habere debere, quem solum verborum vis & proprietas præ se fert.* Aliter tamen sentiendum de illis, quæ hoc nomine inter se invicem tantum observanda populi paciscuntur. Etsi enim pactorum, quæ plane iniqua sunt jurique contrariantur naturali, nulla sit obligatio; illa tamen quod attinet Juris Gentium capita, quæ vel consuetudine, vel pacto tacito communi, vim juris obtinuerunt, dubium non est, quin expresso hoc nomine inito pacto, mutuo cōsensu gentes, quibus ita visum fuerit, obligationem qua nexu

f) *de Iur. Gent.* §. 88.

g) *Elisab.* f. 227.

nexu alias reciproco continentur, sibi invicem valide remittere possint, modò sine reliquarum id fiat præjudicio. Ita quanquã non solum Gentium jus qua secundum jus naturæ actus Populorum ad invicem dirigit (h), sed & praxis communior intercipere permittat naves, res ad belli usum tantum pertinentes hostibus subministantes, ita ut visitationem navium suspectarum sibi permissam esse nonnunquam credant Gentes, pacta etiam & fœdera expresfè id communiter prohibeant, mercesque *contrabandas* intercipere permittãt, ut patet, quo plura & antiquiora mittamus exempla, ex Tract Pacis inter Anglos & Batavos (i) ann. 1654. Ex Tractatu Commerciorum inter Regem Christianissimum & Civitates Hanseaticas (k) Ann. 1655. Ex fœdere inter Angliam & Galliam (l) eodem anno percusso. Ex Articulis fœderis inter Regem Sueciæ & Electorẽ Brandeburgicũ initi (m) ann. 1656. Ex Tractatu Pacis inter Gallos & Hispanos (n) Ann. 1659. Ex transactione inter Sueciam & Angliam (o) An. 1661. Licuit tamen Anglis & Lusitanis, sine aliorum præjudicio, Ann. 1654. contra communiorem praxin, receptamque inter gentes consuetudinem ita pacisci (p): *Uti populus Reipublicæ Angliæ, in navibus suis, etiam arma, annonam aliave similia, è portubus & Dominiis dictæ Reipublicæ, aliisq. portubus & Dominiis quibuscunq.,* *dummo-*

h) Vid. Grot. de I. B. P. III. 1. 5.

i) art. 7. add. Tract. inter Angl. & Batav. Ann. 1656. a. 2. seqq.

k) art. 1. 2.

l) art. 15.

m) art. 12.

n) art. 12.

o) art. 11.

p) Tract. Pac. Westmonaster. art. 10.

dummodo immediate ex Portubus Portugalliæ, ejusve ditionum ne sint exportata, ad quoscunq; portus & territoria regis Castellæ, (qui hostis tum erat Lusitaniæ) *transvehenda libere exportare possint; utq; Serenissimus Rex Portugalliæ, sive subjecti per pignorationes, Repressalias, aut aliam quamcunq; causam, dictas naves, bona, aut homines ne impediant, quo minus ad Portus & territoria dicti Regis Castellæ, tuto navigare, ibiq; commercium habere possint*: quale commercium etiam Lusitanis fuit concessum. Ita bona quæ bello repéte exorto intra fines hostium deprehenduntur, occupari possunt eo jure, quo licet res hostium sibi acquirere. Verum enimvero placuit hic moratioribus gentibus pacto rigorem hujus juris sæpe mitigare. Sic fœdere Pacis inter Hispanos & Anglos an. 1604. cautum est autore *Thuano*(q), *ut si quid inter Principes dissidii intervenerit, quod libertati commercij sit impedimento, moneantur utrinq; negotiatores, ut intra 6 menses suas merces exportent, neq; prius sisti, intercipi, aut damno personæ, vel res ipsæ affici possint*: Quod etiam *Tractatu Pacis* (r) ad montes Pyrenæos fuit observatum. *Bienniy spatium* negotiatoribus hoc nomine concedit Pacificatio inter Batavos & Lusitanos an. 1661 (s). Fœdere autẽ inter Regem Christianissimum & Ordines Belgii confœderati (t) sex definire menses visum fuit. Non minus Juris gentium est, imo, si fontem

q) *l.* 131. *f.* 1106.

r) *art.* 24.

s) *art.* 16.

t) *art.* 15.

tem respicias naturalis, ut damnum maleficio datum resarciatur, ità ut damni denegatam restitutionem atrocissimis bellis sæpe Gentes iverint vindicatum: Aliis tamen haud raro placuit de jure suo cedere, pactoque factam cessionem confirmare, quam dubiam belli aleam experiri.

§. 10. Illustrant vim & efficaciam, quam circa Gentium jus Pacta populorum exerere diximus, etiam sequentia. Potestas pangendorum fœderum jure Gentium libera quidem est, placuit tamen libertatem limitari coërcerique fœdere inter Elisabetham Angliæ Reginam, & Ordines Belgii confœderati inito ann. 1577. ita *ut his nullum fœdus cum quocunq; inire* licuerit, *nisi illa approbante, & in eodem, si velit, comprehensa*; autore *Camdeno* (u): quod etiam fieri placuit fœdere anno 1495. inter Henr. VII. Angliæ Regem & Philippum Burgundiæ Ducem icto, (x) ut *in omni confœderatione cum aliis principibus* observaretur *reservatio, si voluerint*: quod & hodie moris esse constat ex fœdere inter Anglos & Ordines Belgii uniti ann. 1654. facto. (y) Ita cum ratio ferendi auxilii Gentium iure determinata non sit, libero populorum pacto definiri solet, cum quo ordine alter alterius defensionem in se suscipere, tum quantum mutuum auxilium esse debeat. Jus detractionis exercetur in eos qui bona sua è nostra Republica

u) *Elisab. f. m. 269.*

x) *art. 7.*

y) *art. 15.*

publica in aliam transferunt, ex potestate quam habet imperans in bona subditorum Reipublicæ causa; & sic pertinet ad iura summi civilis imperii, quatenus hoc vim suam in subditos exerit sine respectu ad alios populos; pacto tamen inter Ordines Belgii confœderati & Electorem Brandeburgicum an. 1655. placuit (z) utriusque Status subditos durante fœdere à censu emigrationis eximere. Simile Pactum extat inter Galliam & Angliam circa ius Albinagii (a) ann. 1655. initum; item Galliam inter & Belgium confœderatum (b), ann. 1662. quo utriusque gentis homines in alterius populi ditione morientes, ab eius obligatione excipere visum fuit. Pertinent huc pacta circa velorum demissionem, quam coram navibus bellicis Regis Christianissimi exhibere promiserunt Civitates Hanseaticæ ann. 1653. (c) ad quam & (d) Hollandi vi pacti ann. 1656. cum Daniæ Rege initi, coram Regia arce Croneburg ad angustias freti Danici exstructa obligantur: quamq; & coram omnibus navibus & navigiis Britanniæ Regis, in omnibus maribus à *Capo finis terræ* usque *ad Staten Land* in Norvegia se facturos novissima pacificatione 1674. (e) declararunt: Pacta etiam circa abrogationem consuetudinis inveteratæ, uti *cum in aliquibus Angliæ & Galliæ portubus mos quidam nulla lege nixus obtineret, ut singuli tri-* bntun:

z) *art. 19.*

a) *Tract. fœd. inter Angl. & Gall. art. 12.*

b) *Tract. fœd. inter Gall. & Belg. Confœd. art. 22.*

c) *Tract. Comerc. inter Reg. Gall. & Civit. Hanseat. art. 7.*

d) *art. 8.*

e) *art. 4.*

butum quoddam pro ingressu & egressu suo solverent, inter Regem Christianissimum & Angliæ Protectorem Cromvvellum ann. 1655. *convenit* (f), *ne in posterum dictum tributum exigeretur.* Et quæ aliæ sunt conventiones circa controversias, quas Gentium ius non definit.

f) *Tractat. cit. art. 8.*

§. 11. Pacto etiam deciduntur quæ sunt *juris Gentium dubii atq; controversi*, quale est ius transeundi cum exercitu per alterius terras & maria; cum constet transitum ceu ex gentium iure debitum fuisse postulatum, & ceu ex dicto iure minime debitum fuisse negatum. Gustavus Adolphus Suecorum Rex Pomerani Principis Legatis, transitum deprecantibus anno 1630. respondit apud *Chemnitz* (g): *Innoxium transitum apud omnes gentes semper fuisse liberum: eiusve denegationem, divino humanoq; jure, justissimam belli causam haberi.* Certum vero etiam est, concessum petenti transitum ab eo contra quem fuit concessus, usque eo ægre fuisse latum sæpius, ut hostilem concedentis animum inde collegerit; uti constat ipsos Suecos anno 1655. inter causas belli Polonici iustificas allegasse (h) Botio & Crockovio à Polonis contra se permissos transitus. Placet itaque sæpe Gentibus rem controversam certo pacto definire, quo vel de non permittenda alteri transeundi per sua maria, freta & terras facultate mutuam dant fidem,

g) *Bell. Sueco Germ. Vol. I. f. 41.*

h) *Manif. Suec. contra Polon. ap. Londorp. t. 7 f. 1001.*

fidem, uti ſupra vidimus; vel ſibi jus per alterius terras tranſeundi expreſſe reſervant. Ita fœdere Regiomontano ann. 1656. (i) Elector Brandeburgicus liberum per Pruſſiam tranſitum conceſſit Sueciæ Regi, e jusque hoſtibus denegavit; quod fœdere Marienburgico (k) eodem anno icto ad alias Electoris terras fuit extenſum. Fœdere Labiavenſi denique (l) iidem Fœderati de tranſitu *per alterius ditionis terras & provincias, ſi neceſſitas ita poſtulaverit*, invicem permittendo inter ſe convenerunt. Extra tranſactionis ſtatum, uti res eſt juris controverſi, ita ſupra ex *Bœclero* (m) vidimus, quid gentes ſibi licere credant: Etſi ſæpe contingat, parum illas etiam moveri pactis hoc nomine inter populos diverſos initis, aut legibus illorum domeſticis, excipiendo, *nullas conſtitutiones aut pacta ita interpretanda venire; ut contra jus Gentium, & in immeritum tertii præjudicium extendantur*, uti reſpondit olim Guſtavus Adolphus Suecorum Rex Pomeranis, leges Imperii Romani & pacta cum Polonis inita ipſi obiicientibus (n): Licet viciſſim nonnunquam talia, potentiorum præprimis, inita pacta alium populum, ne vi tranſire tentet, metu maioris mali deterreant.

§. 12. Accidit præterea haud raro, peculiari pacto ſeinvicem obſtringere gentes ad ea, ad quæ alias naturali & gentium

i) *Pact. Pendal. inter Reg. Suec. & Elect. Brand. art. 7. & 9.*

k) *Addit. ad Fœd. Marienb. art. 1. ſ. 99.*

l) *art. 10.*

m) *Grot. Comm. P. II. p. 70.*

n) *Chěnitz l. c. ſ. 41.*

jure tenentur, majoris sc. *assecurationis* ergo: ita ut *licet sponte* etiam alias eadē præstentur, *pacto tamen etiam confirmentur*, uti loquitur de fœdere inter Justinian. & Chosroëm Persam percusso *Agathias Smyrnæus* (o). Injustas esse leges quæ bona naufragorum fisco addicunt, ex juris naturalis dictamine moratiores concedunt gentes. Factum tamen cum id non raro fuerit notante *Bodino* (p), sæpius quoque contra hanc crudelitatem, uti eidem dicitur, expresso pacto sibi gentes consuluerunt. Patet hoc ex fœdere inter Varinundum Legatū Balduini Regis Hierosolymitani, & Michaëlem Venetorū Ducem inito, quo *si quis Venetus naufragium fecisset, aut in Asiæ Syriaque emporiis intestatus diem obiisset, illius bona intacta Veneto Magistratui assignari* debuerunt, autore *Iustiniano* (q). Henric⁹ VII. Angliæ Rex & Philippus Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ An. 1495. fœdere (r), quod vulgo *Burgundicum* dicitur, pacti sunt, quod *quotiescunq; contigerit aliquam navem unius partium prædictarum cum bonis & Mercandisis oneratam per fortunam tempestatis maris, vel alio casu quocunq; naufragium facere prope portus, limites & costeras, vel in portubus, limitibus & costeris alterius partis, quod bona propter hoc non dici confiscata, vel pro confiscatis reputari* debeant. Pacto (s) inter Polonos & Status Belgii Confœderati idem an. 1654. sancitur, ita ut Dominus portus

o) *Hist. l. 4. in fin. f. m.* 539.

p) *l. 1. de Rep. c. 10. f. 170. seq.*

q) *Hist. Venet. l. 2 f. 20.*

r) *art. 24.*

s) *art. 11.*

tus obligatus fuerit ad restitutionem bonorũ proprietario faciendam, sic tamen ut hic solvere cogeretur *expensas ac præmia, quæ illi meruerint, quorum opera & diligentia res & bona recuperata & custodita fuerint*, uti habet Formula Pacis (t) inter Danos & Anglos An. 1654. percussæ, circa idem negotium. Idem legitur in fœdere (u) inter Hollandos & Anglos ann. 1656. (x) inter hos & Suecos (y) Anno. 1661. Inter Danos & Anglos rursus anno eodem idem conventum fuit (z): Quod & Angliæ R. & Electori Brandeburgico (a) placuit.

t) *art.* 8.
u) *art.* 6.
x) *art.* 9.
y) *art.* 7.
z) *art.* 15.
a) *Art. Fæd. inter Reg. Angl. & El. Brand. art.* 12.

§. 13. Denique cum illa quæ Gentium jure vel præcipiuntur, vel permittuntur, quæque humanitatis vinculum populis imperat, bono quoque ordine & decenti ratione inter gentes exerceri velint: Ordinata enim est gentium societas; nec statim populus contra Gentium jus egisse dici jure potest, quando non alteri statim pro ratione & modo qui ei placet, in præstandis ex hoc jure debitis respondet, cum id repugnet & socialitati & æqualitati populorum: Pacto hinc ratio istius ordinis agendi definitur. Romanis ultra promontorium Pulchrum navigare non licebat, ἐὰν μὴ ὑπὸ χειμῶνος ἢ πολεμίων ἀναγκάζωσιν. ἐὰν δέ τις βίᾳ κατενεχθῇ, μὴ ἐξέστω αὐτῷ μηδὲν ἀγοράζειν, μηδὲ λαμβάνειν μηδὲν, πλὴν ὅσα πρὸς πλοίου ἐπισκευὴν, ἢ πρὸς ἱερά, *nisi tempestatu aut*

tis aut hostium vi fuerint compulsi. Si quis vi delatus fuerit emendi aut accipiendi quicquam praeter necessaria reficiendis navibus, & sacris faciendis, jus ei ne esto. intra quintum diem tamen qui navem applicuerint abeunto, memorante *Polybio* (b). Gentium jure commercia inter populos quidem libera sunt, quae *Florus* (c) ad *foedus humani generis, quod sublatis cōmerciis rumpi* scribit, refert; salvo tamen cuiusque jure. Frequentius hinc nihil datur Tractatibus commerciorum, quibus & juribus populorum cum quibus exercentur commercia, horum item & navigationis libertati, illorumque, qui commerciorum istorum gratia alias adeunt gentes, dignitati & securitati cavetur. Pertinet huc foedus inter Poenos & Romanos, cuius modo ex *Polybio* fecimus mentionem. Gustavus Sueciae Rex, quo ad commercia cum Suecis continuanda invitaret Lubecenses & Dantiscanos, autore *Chytraeo* (d), *damna quae Dani advehentibus Suecis petentibus merces inferent, se compensaturum, nec per excubitores in mari suos commerciorum & navigationum libertatem impediturum*, promisit. *Lubecenses etiam, Dantiscanos, eorumq; socios & bona, in toto Sueciae regno ab omnibus vectigalibus & exactionibus, immunes futuros; libereq; ingredi ac egredi regnum posse*, voluit. Facultatem etiam concessit, *Holmiae, Calmariae, Surcopiae & Aboae non modo cum civibus, sed nobilibus etiam & Praelatis certo genere mercium, auro, gemmis, purpura* nego-

b) l. 3. hist. c. 22.

c) 3. c. 6.

d) Saxon. l. 9. f. 242.

negotiandi, exclusis in his urbibus *cæteris peregrinis nationibus* à jure commerciorum, ita ut *nec merces in regnum invectas certo pretio vendere, aut ibi relinquere cogi debeant.* Et quæ alia sunt privilegia, inter quæ etiam immunitas à jure Albinagii, contra quod & alii populi commerciorum gratia apud alias gentes pacto sibi consuluerunt. Fœdere quoque Pyrenæo (e) Regi Christianissimo Ludov. XIV. & Philipp. IV. Hispano placuit rationem boni ordinis circa commerciorum exercitium definiri, ita ut *utriusq; partis subditorum commerciorum usus liber sit, modo observent LL. & consuetudines regionis; utriusq; etiam regum subditi Anglorum & Hollandorum privilegiis fruantur; idemq; circa pœnam prohibitarum mercium jus habeant; quicquid etiam ex frugibus venditis acquisiverint, exportare queant, nec arrestare eosdem in alterius territorio liceat; subditis etiam Gallicis in omnibus provinciis amicis, excepta Lusitania, negotiari fas sit &c.* Talia etiam circa alia objecta dantur gentium pacta, quæ tamen proprie Gentium jus non sunt, sed ex facultate quam ex Gentium jure populi habent peraguntur.

e) art. 5. sqq.

§. 14. Etsi vero apud complures gentes similia vel eadem inveniantur pacta, attamen cum obligatio mutua non universalis sit, sed paciscentes tantum mutuo liget vinculo, gentium jus proprie tale ejusmodi pacta dici nequeunt. Frequens datur

inter populos maritimos conventio de recipienda alterius classe intra suum portum, uti Angli & Batavi ann. 1654. (f) Angli item & Lusitani (g); Dani & Angli (h); Batavi & Lusitani, ann. 1661. (i) Angli & Sueci (k); Angliæ Rex & Elector Brandeburgicus (l); aliæque inter se pactæ sunt gentes. Verum cum ad idem, quod Anglis Belgæ ex vi fœderis debent, Hispano non obligentur, nisi cum eo simili tractatu convenerint; uti non jus civile plurium populorum, ita nec similia plurium Gentiũ pacta jus Gentium proprie dici possunt.

f) art. 26.
g) art. 18. ann 1654.
h) art. 14. ann 1654.
i) art. 19.
k) art. 9. ann. 1661.
l) art. 10. sq. ann. 1661.

§. 15. Non tamen negamus fieri posse, ut, eiusmodi pacta frequentata universalem tandem obtineant obligationem, & sic in Gentium jus abeant. Quando enim in paciscendo ad aliorum se componunt populi exemplum, frequens ejusdem pacti usus, accedente exinde nata consuetudine, parit inter gentes opinionem atque præsumtionem, quod eius observantia atque obligatio, ceu longa & constanti praxi introducta, semper in publico commercio præsupponi debeat; ita ut licet olim fuerit voluntatis liberæ, nunc tamen sit necessitatis. Inde est quod gentes etiam ad aliarum exempla, & ad praxin receptam provocare soleant, id non facturæ, nisi huic tacite quandam obligationem, & vim juris inesse crederent. Lusitaniæ Rex fœdere an-

re anno 1661. cum Ordinibus Belgii confœderati icto (m), provocavit ad *exemplum aliarum nationum & gentium*, juxta quod caſu quodam certo, ſe acturum promiſit, ceu communem ſc. agendi regulam.

§.16. Cæterum uti non voce tantum, ſed ipſo etiam facto aliquid exprimi ſolet, ita licet non verbis, facto tamen pactum aliquod inter gentes commune expreſſum dici nil repugnat, uti conſenſus & voce & factis fieri dicitur: Licet id, ſi de pacto quod gentium jus conſtituit loqui velimus, I. non de uno, ſed frequentato & continuato facto intelligendum eſſe exiſtimemus; uſu enim diuturno inter gentes invaleſcente, res probari creditur, cum qui *ſciens & præſens tacet conſentire videatur*, *Grotii*(n) judicio; unicus actus vero non ſatis evidens indicium eſſe judicatur, quod agentis mentem ſatis perſpicue per omnia ſemper exprimat. *Neceſſum autem eſt*, bene obſervante *Pufendorfio*(o), *præſentem rerum conditionem ita eſſe comparatam, ut ex omni parte ad præſumendum conſenſum velut conſpiret, nec ulla occurrat probabilis conjectura, quæ in diverſum ducat. Alias enim valde durum foret, ex quovis indicio obligationem alicui impingere.* Acceptari *dein* ab aliis populis, & probari tale factum debet in publico gentium commercio: Nullum quippe pactum, nulla conventio, ſine partium conſenſu abſolvi poteſt, cum ex mente

m) *art.* 2.

n) *I.B.P.* 2. 4.5.

o) *I.N.G.* 3.6. 2. *ad. Grot. de I.B.* 2.4.3.

p) l.1.§.2. ff. de pact.

Vlpiani (p) pactum *sit duorum, pluriumve in idem placitum consensus.* *Tertio* debet ejusmodi factum occupari circa actus gentium publicos, & concernere illarum commercia quatenus gentes sunt, cum respiciat vinculum quod mutuo nexu & reciproca obligatione gentes & civitates, sive cœtus in quos universum genus humanum dispescitur, continet, ut universi humani generis consociatio salva maneat. *Quarto* necesse est, ut utilitas ex tali facto exoriens communis quoque sit. Non enim prudenter præsumitur, tacite quendam sponte sua consentire in pactum cum altero ineundum, ex quo parum utilitatis ad se redundaturum esse videt: Ex negotii potius indole ab ejusmodi conventione rectius omnes abhorrere creduntur, cum facilius existimentur homines sibi malle melius quam alteri; etsi sano *Ciceronis* (q) judicio *sit necessarium, ut homo nihilo sese plus, quam alterum diligat.* *Denique* actus istos sic comparatos esse oportet, ut prudenter credi non possit, agentem ita facturum fuisse, nisi idem factum, sive idem officium, ab eo qui cum ei negotium intercedit, vel expectasset, vel se jure expectare posse, existimasset: cum paritas paria efflagitet officia.

q) l. 1. de LL. p. 262.

§. 17. Hic Gentium consensus facto tantum primo expressus, qui Gentium juri dedit originem, vel dare potuit, uti sine præ-

via

via aperta pactione illum fieri contigit; ita pacti taciti argumentum etiam est, cum quod alias per voces, literas, nutusque solet exprimi, eiusmodi signis, quibus alias in commercio hominum paciſci ſolemus, neglectis, tali tantum circumſtantia, ipſo ſc. facto, exprimitur, ex quo præviam paciſcendi voluntatem colligere licet, ceu ex qua ejusmodi factum unice profluxiſſe judicatur; quam proinde etiam ob ipſius negotii indolem neceſſario una ſubintelligere oportet. Complura huius generis dantur inter gentes *Grotio* (r) notata. r) l. B.P. III. 24.
Illuſtrant etiam dicta *ſigna muta ex conſuetudine aliquid ſignificantia*, quæ ex tali tacito pacto, quod uſu & facto exprimi placuit, populos obligant. Antiquiſſima hæc eſſe ex Belli Trojani hiſtoria patet, quando *Antenor ad Græcos cum mandatis belli deponendi ire* juſſus, antequam abiret, *ex muris ſignum legationis oſtendiſſe* hoſtibus dicitur *Dicty Cretenſi* (s). De Corinthiis author eſt *Thucydides* (t), quod tentaturi, num Athenienſes, quia cum illorum ſociis Corcyrenſibus ad manus venerant, rupta fœdera exiſtimarent, ἄνευ κηρυκείου, *ſine caduceo*, cuius inter belligerantes uſus erat, viros aliquos ad eosdem ablegarint. Contra de Spartanis tradit *Xenophon* (u), quod accepta apud Leuctra clade, ἔπεμψαν κήρυκα περὶ σπονδῶν, *caduceatorem miſerint, qui de induciis ageret.*

s) de Bell. Troj. l. 4. p. 120.
t) Bell. Pel. l. 1. ſ. 12.
u) Hiſt. Græc. l. 6. ſ. 597.

Tale est quod hodie *vela cãdida* signa sint pacẽ præ se ferentium, & inter belligerantes ita haberi soleant, obligentque eadem ratione, qua voce facta pacis petitio. Mauros ab Hispanis in expeditione Tripolitana pacem petentes, in illorum *conspectum velo albo in terram defixo, quod pacatorum & pacem petentium signum esse Thuanus* (x) tradit, venisse idem refert (y) Inter Græcas gentes, ut ex pluribus *Xenophontis* (z) locis patet, hæc etiam obtinuit consuetudo, ut *per præconem corpora interfectorum ad sepulturam poscere*, fuerit signum traditæ victoriæ. Tubicinem Suecorum, Danos arcis Warbergensis deditionem facere jubentem, *convitiis & jaculis contra fas & morem militiæ exceptum* affirmat *Loccenius*(a). Eodem autore (b), cum Radzivilius Subdelegatos Suecorum ad negotium pacis cum Polonorum Rege Sigismundo ineundæ missos, in itinere autem à Cosaccis interceptos, accusasset, quod *classico tanquam hostes se testati, errore militum Cosaccorum capti atq; abducti fuerint*: Cancellarius Suecicus excepit, *signum tuba datũ pro classico accipi se mirari; cum eo modo se potius caduceatores, quã hostes more gentium consueto, professi sunt.* In his itaque & similibus quia aliquid obligatorii ex gentium praxi inesse cognoscitur, cum pactum expressum allegari nequit, ad tacitum erit confugiendum.

x) *l.26.f.798*
y) *l.c.*
z) *Histor. Græc. l.6.f. 597.*
a) *Hist. Suec. l.7.p.m.367.*
b) *l.8.p.450. seq.*

§. 18. Quod si tamen Historiam gentium cum aliarum, tum ab orbe Europæo, eique

eique vicino, remotiorum & barbararum consideraverimus, in quod populi Europæi pacto tacito consenserunt, de eo dictas gentes cum Europæis pacto expresso convenisse deprehendemus. Latrocinia sane gentium naturali jure utique sunt prohibita, qua tamen jure gentium formaliter sunt interdicta, pacto magna ex parte expresso videtur factum; cum ab eo quod istis temporibus gloriæ habebatur, non sine tali freno populi sibi temperaverint, & temperare inceperint. *Consuetudine* enim, uti *Dio Caßius* (c) loquitur, *quia tum receptum erat, uti in eos qui nullo essent fœderi juncti ita* (latrociniis sc. mutuis) *statuerent*, se nullo jure gentium, ne id facerent, prohiberi crediderunt. Bello itaque partim, quo superior inferiorem viribus & opibus tandem subigebat; partim pacto latrociniis finis imponi, pacarique genus humanum cœpit. Cognoscere hoc licet ex illis, quæ de Græciæ populis, *quibus sine pudore* latrocinia ista inter se excercebantur, tradit *Thucydides* (d). Ita fœdere inter Romanos & Carthaginienses icto, *jus prædas agendi* limitatur his verbis apud *Polybium* (e): *Romani ultra Pulchrum promontorium, Mastiam & Tarsejum prædas ne faciant.* Hodie quoque cum moratiores Gentes, inter quas hoc nomine non peculiare extat pactum, ejusmodi deprædandi libidinem ex sensu vinculi communis improbent,

c) *libr.* 54.
d) *l.* 1. *f.* 2.
e) *l.* 3. *c.* 24.

bent,

bent, sibi adversus Tartarorum, Afrorum, Indorum, viciniorum etiam Turcarum (f) latrocinia caverunt pacto, quo ad eximium hoc juris Gentium caput accipiendum & exercendum illos assuefacerent.

f) *Vid. Alcoran. Azoar.* 71.

§. 19. Idem de aliis juris gentium capitibus, populorumque moratiorum consuetudinibus dici potest, quas commercio cum istis barbaras didicisse gentes, atque discere posse dubium non est. Rigor Turcarum in tractandis aliorum populorum Legatis notus est; à quibus quam barbare tractatus fuerit Baro de Gois, Orator Cæsareus, ann. 1663. *Acta publica* (g) testantur: Moniti tamen hoc nomine, de eodē interdum remiserunt. *Busbequius* (h) Ferdinandi I. Imp. Orator ad Portam Ottomannicam, cum nimis arcta à Turcis teneretur custodia, ægre ferente Chiauso custode, quod invito se & absente exierat, *quærit ex illo, utrum se pro Oratore habeant* Turcæ, *an pro captivo?* Illo respondente, *pro Oratore. Si pro captivo*, inquit, *frustra conficiendæ paci adhibeor, quando hominis captivi nullum est arbitrium. Sin pro Oratore, ut dicis, cur liber non sum, si Orator sum? cur domo egredi cum volo prohibeor? solent captivi includi, non Oratores. Libertas apud omnes gentes servatur Oratoribus.* Unde Turcicus Budæ Caimacan rationem Cæsareo Legato, Baroni de Gois redditurus, quare eum non ut Legatum haberi decet tractaret, inepte nega-

g) *Theatr. Europ. Cont. t. 9. f.* 965. 944.

h) *Epist. 3. p.* 248.

negavit, *quod ulterius Oratoris charactere gauderet* (i). Varia quippe confingere solent, ne ob Legatos, quos sanctos esse probe norunt barbari, quique suos etiam Oratores male tractari ægre ferunt, inique habitos, rei læsi juris gentium audiant. Rustanus Solymanni gener Lasco Ferdin. I. Legato, custodiæ tradito, abusum juris Legationum objicit apud *Iovium* (k), quod *ludificatus regum regem amicitiam peteret, cum interim impudenter in Pannonia bellum gereretur.* Persarũ quoque regis Muhammedis Codabendæ Legatus ad Amurathem III. Turc. Imp. pacis gratia missus, quod nolebat conditiones à Turcis propositas ratas habere, *non amplius*, ut *Minadous* (l) testatur, *pro legato, sed pro exploratore habitus, qui expiscari & percontari res Turcarum, quam pacem inter reges firmare mallet*, in carcerem conjectus est: Quem cum post Turcæ dimittere nollent, nisi à Persis vicissim restitueretur Amarathes Bassa prælio captus, jure *indignissima*, ut loquitur *Minadous* (m), *his conditio visa fuit, quod ille contra omnium gentium jus & fas contraq; belli leges qua legatorũ incolumitati & securitati inprimis cavent, captivus fuisset detentus: Hic vero legitime in bello atq; adeo in ipso prælio in servitutem fuisset redactus.* Cædem regii Legati Poloni jussu eiusdem Amurathis III. ann. 1583. factam, quomodo excusatum iverint Barbari, tradit *Leonclavius* (n). Lusitanorum ad

i) *Theatr. Eur. l. 1. f.* 944.

k) *Hist. l. 39. p. m. 251.*

l) *Belli Turco Pers. l. 5.*

m) *l. c. l. 9.*

n) *Supplem. Annal. Turc. f. 88.*

tis aut hostium vi fuerint compulsi. Si quis vi delatus fuerit emendi aut accipiendi quicquam præter necessaria reficiendis navibus, & sacris faciendis, jus ei ne esto. intra quintum diem tamen qui navem applicuerint abeunto, memorante *Polybio* (b). Gentium jure commercia inter populos quidem libera sunt, quæ *Florus* (c) ad *fœdus humani generis, quod sublatis cōmerciis rumpi* scribit, refert; salvo tamen cuiusque jure. Frequentius hinc nihil datur Tractatibus commerciorum, quibus & juribus populorum cum quibus exercentur commercia, horum item & navigationis libertati, illorumque, qui commerciorum istorum gratia alias adeunt gentes, dignitati & securitati cavetur. Pertinet huc fœdus inter Pœnos & Romanos, cuius modo ex *Polybio* fecimus mentionem. Gustavus Sueciæ Rex, quo ad commercia cum Suecis continuanda invitaret Lubecenses & Dantiscanos, autore *Chytræo* (d), *damna quæ Dani advehentibus Suecis petentibus merces inferent, se compensaturum, nec per excubitores in mari suos commerciorum & navigationum libertatem impediturum*, promisit. *Lubecenses etiam, Dantiscanos, eorumq; socios & bona, in toto Sueciæ regno ab omnibus vectigalibus & exactionibus, immunes futuros; libereq; ingredi ac egredi regnum posse*, voluit. Facultatem etiam concessit, *Holmiæ, Calmariæ, Surcopiæ & Aboæ non modo cum civibus, sed nobilibus etiam & Prælatis certo genere mercium, auro, gemmis, purpura* nego-

b) l. 3. hist. c. 22.
c) 3. c. 6.
d) Saxon. l. 9 f. 242.

negotiandi, exclusis in his urbibus *cæteris pere-*
grinis nationibus à jure commerciorum, ita
ut *nec merces in regnum invectas certo pretio*
vendere, aut ibi relinquere cogi debeant. Et
quæ alia sunt privilegia, inter quæ etiam
immunitas à jure Albinagii, contra quod &
alii populi commerciorum gratia apud a-
lias gentes pacto sibi consuluerunt. Fœ-
dere quoque Pyrenæo (e) Regi Christianis- (e) *art.5.sqq.*
simo Ludov. XIV. & Philipp. IV. Hispano
placuit rationem boni ordinis circa com-
merciorum exercitium definiri, ita ut *u-*
triusq; partis subditorum commerciorum usus liber
sit, modo observent LL. & consuetudines regionis;
utriusq; etiam regum subditi Anglorum & Hollan-
dorum privilegiis fruantur; idemq; circa pœnam
prohibitarum mercium jus habeant; quicquid
etiam ex frugibus venditis acquisiverint, expor-
tare queant, nec arrestare eosdem in alterius ter-
ritorio liceat; subditis etiam Gallicis in omnibus
provinciis amicis, excepta Lusitania, negotiari fas
sit &c. Talia etiam circa alia objecta dantur
gentium pacta, quæ tamen proprie Gen-
tium jus non sunt, sed ex facultate quam ex
Gentium jure populi habent peraguntur.

§. 14. Etsi vero apud complures gen-
tes similia vel eadem inveniantur pacta, at-
tamen cum obligatio mutua non univer-
salis sit, sed paciscentes tantum mutuo li-
get vinculo, gentium jus proprie tale ejus-
modi pacta dici nequeunt. Frequens datur

X 3 inter

inter populos maritimos conventio de recipienda alterius classe intra suum portum, uti Angli & Batavi ann. 1654. (f) Angli item & Lusitani (g); Dani & Angli (h); Batavi & Lusitani, ann. 1661. (i) Angli & Sueci (k); Angliæ Rex & Elector Brandeburgicus (l); aliæque inter se pactæ sunt gentes. Verum cum ad idem, quod Anglis Belgæ ex vi fœderis debent, Hispano non obligentur, nisi cum eo simili tractatu convenerint; uti non jus civile plurium populorum, ita nec similia plurium Gentiũ pacta jus Gentium proprie dici possunt.

f) art. 26.
g) art. 18. ann 1654.
h) art. 14. ann 1654.
i) art. 19.
k) art. 9. ann. 1661.
l) art. 10. /9. ann. 1661.

§. 15. Non tamen negamus fieri posse, ut ejusmodi pacta frequentata universalem tandem obtineant obligationem, & sic in Gentium jus abeant. Quando enim in paciscendo ad aliorum se componunt populi exemplum, frequens ejusdem pacti usus, accedente exinde nata consuetudine, parit inter gentes opinionem atque præsumtionem, quod ejus observantia atque obligatio, ceu longa & constanti praxi introducta, semper in publico commercio præsupponi debeat; ita ut licet olim fuerit voluntatis liberæ, nunc tamen sit necessitatis. Inde est quod gentes etiam ad aliarum exempla, & ad praxin receptam provocare soleant, id non facturæ, nisi huic tacite quandam obligationem, & vim juris inesse crederent. Lusitaniæ Rex fœdere an-

re an-

re anno 1661. cum Ordinibus Belgii confœderati icto (m), provocavit ad *exemplum aliarum nationum & gentium*, juxta quod casu quodam certo, se acturum promisit, ceu communem sc. agendi regulam. m) art. 2.

§. 16. Cæterum uti non voce tantum, sed ipso etiam facto aliquid exprimi solet, ita licet non verbis, facto tamen pactum aliquod inter gentes commune expressum dici nil repugnat, uti consensus & voce & factis fieri dicitur: Licet id, si de pacto quod gentium jus constituit loqui velimus, I. non de uno, sed frequentato & continuato facto intelligendum esse existimemus; usu enim diuturno inter gentes invalescente, res probari creditur, cum qui *sciens & præsens tacet consentire videatur*, *Grotii*(n) judicio; unicus actus vero non satis evidens indicium esse judicatur, quod agentis mentem satis perspicue per omnia semper exprimat. *Necessum autem est*, bene observante *Pufendorfio*(o), *præsentem rerum conditionem ita esse comparatam, ut ex omni parte ad præsumendum consensum velut conspiret, nec ulla occurrat probabilis conjectura, quæ in diversum ducat. Alias enim valde durum foret, ex quovis indicio obligationem alicui impingere.* Acceptari *dein* ab aliis populis, & probari tale factum debet in publico gentium commercio: Nullum quippe pactum, nulla conventio, sine partium consensu absolvi potest, cum ex mente

n) *I. B. P.* 2. 4. 5.

o) *I. N. G.* 3. 6. 2. *ad. Grot. de I. B.* 2. 4. 3.

p) l. 1. §. 2. ff. de pact. *Vlpiani* (p) pactum *sit duorum, pluriumve in idem placitum consensus.* *Tertio* debet ejusmodi factum occupari circa actus gentium publicos, & concernere illarum commercia quatenus gentes sunt, cum respiciat vinculum quod mutuo nexu & reciproca obligatione gentes & civitates, sive cœtus in quos universum genus humanum dispescitur, continet, ut universi humani generis consociatio salva maneat. *Quarto* necesse est, ut utilitas ex tali facto exoriens communis quoque sit. Non enim prudenter præsumitur, tacite quendam sponte sua consentire in pactum cum altero ineundum, ex quo parum utilitatis ad se redundaturum esse videt: Ex negotii potius indole ab ejusmodi conventione rectius omnes abhorrere creduntur, cum facilius existimentur homines sibi malle melius quam alteri; etsi sano *Ciceronis* (q) judicio *sit necessarium, ut* homo *nihilo sese plus, quam alterum diligat.* *Denique* actus istos sic comparatos esse oportet, ut prudenter credi non possit, agentem ita facturum fuisse, nisi idem factum, sive idem officium, ab eo qui cum ei negotium intercedit, vel expectasset vel se jure expectare posse, existimasset: cum paritas paria efflagitet officia.

q) l. 1. de LL. p. 262.

§. 17. Hic Gentium consensus facto tantum primo expressus, qui Gentium juri dedit originem, vel dare potuit, uti sine præ-

via

a aperta pactione illum fieri contigit; ita icti taciti argumentum etiam est, cum uod alias per voces, literas, nutusque olet exprimi, eiusmodi signis, quibus alias i commercio hominum pacisci solemus, ieglectis, tali tantum circumstantia, ipso c. facto, exprimitur, ex quo prævıam pacifcendi voluntatem colligere licet, ceu ex qua ejusmodi factum unice profluxisse judicatur; quam proinde etiam ob ipsius negotii indolem necessario una subintelligere oportet. Complura huius generis dantur inter gentes *Grotio* (r) notata. Illustrant etiam dicta *signa muta ex consuetudine aliquid significantia*, quæ ex tali tacito pacto, quod usu & facto exprimi placuit, populos obligant. Antiquissima hæc esse ex Belli Trojani historia patet, quando *Antenor ad Græcos cum mandatis belli deponendi ire* jussus, antequam abiret, *ex muris signum legationis ostendisse* hostibus dicitur *Dicty Cretensi* (s). De Corinthiis author est *Thucydides* (t), quod tentaturi, num Athenienses, quia cum illorum sociis Corcyrensibus ad manus venerant, rupta fœdera existimarent, ἄνευ κηρυκείου, *sine caduceo*, cuius inter belligerantes usus erat, viros aliquos ad eosdem ablegarint. Contra de Spartanis tradit *Xenophon* (u), quod accepta apud Leuctra clade, ἔπεμψαν κήρυκα περὶ σπονδῶν, *caduceatorem miserint, qui de induciis ageret.*

r) l. B.P. ...24.

s) de Bell. Troj. l. 4. p. 120.

t) Bell. Pel. l. 1. f. 12.

u) Hist. Græc. l. 6 f. 597.

Tale est quod hodie *vela cãdida* signa sint pacẽ præ se ferentium, & inter belligerantes ita haberi soleant, obligentque eadem ratione, qua voce facta pacis petitio. Mauros ab Hispanis in expeditione Tripolitana pacem petentes, in illorum *conspectum velo albo in terram defixo, quod pacatorum & pacem petentium signum esse Thuanus* (x) tradit, venisse idem refert (y) Inter Græcas gentes, ut ex pluribus *Xenophontis* (z) locis patet, hæc etiam obtinuit consuetudo, ut *per præconem corpora interfectorum ad sepulturam poscere*, fuerit signum traditæ victoriæ. Tubicinem Suecorum, Danos arcis Warbergensis deditionem facere jubentem, *conviciis & jaculis contra fas & morem militiæ exceptum* affirmat *Loccenius*(a). Eodem autore (b), cum Radzivilius Subdelegatos Suecorum ad negotium pacis cum Polonorum Rege Sigismundo ineundæ missos, in itinere autem à Cosaccis interceptos, accusasset, quod *classico tanquam hostes se testati, errore militum Cosaccorum capti atq; abducti fuerint*: Cancellarius Suecicus excepit, *signum tuba datũ pro classico accipi se mirari; cum eo modo se potius caduceatores, quã hostes more gentium consueto, professi sunt.* In his itaque & similibus quia aliquid obligatorii ex gentium praxi inesse cognoscitur, cum pactum expressum allegari nequit, ad tacitum erit confugiendum.

x) l. 26. f. 798

y) l. c.

z) Histor. Græc. l. 6. f. 597.

a) Hist. Suec. l. 7. p. m. 367.

b) l. 8. p. 450. seq.

§. 18. Quod si tamen Historiam gentium cum aliarum, tum ab orbe Europæo, eique

eique vicino, remotiorum & barbararum consideraverimus, in quod populi Europæi pacto tacito consenserunt, de eo dictas gentes cum Europæis pacto expresso convenisse deprehendemus. Latrocinia sane gentium naturali jure utique sunt prohibita, qua tamen jure gentium formaliter sunt interdicta, pacto magna ex parte expresso videtur factum; cum ab eo quod istis temporibus gloriæ habebatur, non sine tali freno populi sibi temperaverint, & temperare inceperint. *Consuetudine* enim, uti *Dio Cassius* (c) loquitur, *quia tum receptum erat, uti in eos qui nullo essent fœderi juncti ita* (latrociniis sc. mutuis) *statuerent*, se nullo jure gentium, ne id facerent, prohiberi crediderunt. Bello itaque partim, quo superior inferiorem viribus & opibus tandem subigebat; partim pacto latrociniis finis imponi, pacarique genus humanum cœpit. Cognoscere hoc licet ex illis, quæ de Græciæ populis, *quibus sine pudore* latrocinia ista inter se excercebantur, tradit *Thucydides* (d). Ita fœdere inter Romanos & Carthaginienses icto, *jus prædas agendi* limitatur his verbis apud *Polybium* (e): *Romani ultra Pulchrum promontorium, Mastiam & Tarsejum prædas ne faciant*. Hodie quoque cum moratiores Gentes, inter quas hoc nomine non peculiare extat pactum, ejusmodi deprædandi libidinem ex sensu vinculi communis improbent,

c) *libr.* 54.

d) *l.* 1. *f.* 2.

e) *l.* 3. *c.* 24.

bent, ſibi adverſus Tartarorum, Afrorum, Indorum, viciniorum etiam Turcarum (f) latrocinia caverunt pacto, quo ad eximium hoc juris Gentium caput accipiendum & exercendum illos aſſuefacerent.

f) *Vid. Alcoran. Azoar.* 71.

§. 19. Idem de aliis juris gentium capitibus, populorumque moratiorum conſuetudinibus dici poteſt, quas commercio cum iſtis barbaras didiciſſe gentes, atque diſcere poſſe dubium non eſt. Rigor Turcarum in tractandis aliorum populorum Legatis notus eſt; à quibus quam barbare tractatus fuerit Baro de Gois, Orator Cæſareus, ann. 1663. *Acta publica* (g) teſtantur: Moniti tamen hoc nomine, de eodē interdum remiſerunt. *Buſbequius* (h) Ferdinandi I. Imp. Orator ad Portam Ottomannicam, cum nimis arcta à Turcis teneretur cuſtodia, ægre ferente Chiauſo cuſtode, quod invito ſe & abſente exierat, *quærit ex illo, utrum ſe pro Oratore habeant* Turcæ, *an pro captivo?* Illo reſpondente, *pro Oratore. Si pro captivo,* inquit, *fruſtra conficiendæ paci adhibeor, quando hominis captivi nullum eſt arbitrium. Sin pro Oratore, ut dicis, cur liber non ſum, ſi Orator ſum? cur domo egredi cum volo prohibeor? ſolent captivi includi, non Oratores. Libertas apud omnes gentes ſervatur Oratoribus.* Unde Turcicus Budæ Caimacan rationem Cæſareo Legato, Baroni de Gois redditurus, quare eum non ut Legatum haberi decet tractaret, inepte nega-

g) *Theatr. Europ. Cont.* 1. 9. *f.* 965. 944.
h) *Epiſt.* 3. *p.* 248.

negavit, *quod ulterius Oratoris charactere gauderet* (i). Varia quippe confingere solent, ne ob Legatos, quos sanctos esse probe norunt barbari, quique suos etiam Oratores male tractari ægre ferunt, inique habitos, rei læsi juris gentium audiant. Rustanus Solymanni gener Lasco Ferdin. I. Legato, custodiæ tradito, abusum juris Legationum objicit apud *Iovium* (k), quod *ludificatus regum regem amicitiam peteret, cum interim impudenter in Pannonia bellum gereretur.* Persarũ quoque regis Muhammedis Codabendæ Legatus ad Amurathem III. Turc. Imp. pacis gratia missus, quod nolebat conditiones à Turcis propositas ratas habere, *non amplius,* ut *Minadous* (l) testatur, *pro legato, sed pro exploratore habitus, qui expiscari & percontari res Turcarum, quam pacem inter reges firmare mallet,* in carcerem conjectus est: Quem cum post Turcæ dimittere nollent, nisi à Persis vicissim restitueretur Amarathes Bassa prælio captus, jure *indignissima,* ut loquitur *Minadous* (m), *bis conditio visa fuit, quod ille contra omnium gentium jus & fas contraq; belli leges quæ legatorũ incolumitati & securitati inprimis cavent, captivus fuisset detentus: Hic vero legitime in bello atq; adeo in ipso prælio in servitutem fuisset redactus.* Cædem regii Legati Poloni jussu eiusdem Amurathis III. ann. 1583. factam, quomodo excusatum iverint Barbari, tradit *Leonclavius* (n). Lusitanorum ad

i) *Theatr. Eur. l. c. f.* 944.

k) *Hist. l.* 39 *p. m.* 251.

l) *Belli Turco Pers. l.* 5.

m) *l. c. l.* 9.

n) *Supplem. Annal. Turc. f.* 88.

ad aulam Japonensem, quæ Jedi est, deputati, cum autore *Arnoldo Montano* (o), à proceribus Imperii, quibus Toxogunsama Imperator id negotii dederat, interrogarentur, *qui ausi fuissent Iaponiam intrare, quibus edicto Toxogunsamæ tam graviter esset interdictum? se non mercatores, ad quos Edictum pertineret, sed Legatos esse, qui gentium jure liberi forent,* responderunt: Licet vero eos ceu suspectos, & mala fide contra tranquillitatem publicam agentes, ad capitis supplicium condemnarint Barbari, tamen gentium juris observantiores erga Legatos Batavorum esse, testatur idem *Montanus*. Sinenses qui Formosam, Sinæ vicinam insulam, tenent, cum *Legatos ad se mitti*, quibus cum de pace agerent, ab Hollandis postularent, *quos se retenturos* negabant, *modo non illi suos, quos vicissim vellent mittere, essent retenturi* (p), placuit id Batavis: Missos vero cum diutius Barbari retinerent, se, *ni eosdem dimitterent coram mundo*, h. e. omnibus gentibus, *de accepta injuria* questuros esse denuntiarunt (q) Belgæ; quo facto à Sinensibus dimissi sunt.

§. 20. Ex his quæ de pactis gentium hactenus adferre visum fuit, sequitur non solum, quod supra jam notatum, non omnia populorum pacta pertinere ad jus gentium; verum etiam patet, non repugnare, jus aliquod commune pacto in Gentium societate consti-

o) *Hist. Legat. Soc. Ind. Orient. ad Imp. Iapon. f.* 236.

p) *Vid. Act. II. Legat. Batav. ad Cham. Sinens. f.* 157.

q) 10. *f.* 171.

constitui, uti in civitate aliqua sæpius contingit conventione atque pacto cives inter se, vel etiam subditos atque imperantes obligari. Modum vero paciscendi quod attinet, qui juri gentium originem dedisse, & successive quoad nonnulla capita vim mutui vinculi ei tribuisse censeri potest, est is partim tacitus, partim expressus: Ille quoad gentes potissimum Europæas, moratiores, moribusque & institutis non penitus dissimiles; habens se eodem fere modo, quomodo pacto tacito & exinde profecta obligatione mutua, voces quibus in loquendo homines utuntur, sunt signa rerum: Hic quoad gentes potissimum Barbaras, ferociores, moribusque atque vivendi genere ab aliis plurimum differentes: Ita ut quod in hac quæstione, *an & quomodo jus gentium pacto sit introductum?* alii pacto tacito tribuerunt, id nos partim pacto tacito, partim expresso tribuendum esse existimemus.

§. 21. Patet etiam ex dictis, an pacta populorum ad *materiam ex qua I. G.* referri queant? Nimirum cum conventio, cui populorum voluntas paciscendi tam tacita quam expressa dedit originem, pactum dici debet, manifestum est, quod uti tali voluntati gentium jus suos debet natales, sic id quoque ex pactis populorum, socialiter inter se & cum aliis viventium, illaq;

pro

pro communi omnium vinculo habentium, constare dici possit. Quemadmodum itaq; jus civile privatum secundum *Imp.*(r) & *Vlpian.* (s) *collectum est ex praeceptis naturalibus, gentium & civilibus*; ita & Gentium jus ex legibus partim naturalibus, partim ex pactis populos aut omnes, aut plerosque concernentibus, certe ad omnes ex communi consociationis respectu pertinentibus, constare affirmamus.

§. 22. Bello etiam Gentium jura propagari, & ad ea exercenda populos cogi, coactosque constat, quando Barbarorum victores moratiores in victis delicta contra jus gentium commissa acriter vindicarunt, pacis capitibus nonnunquam juris gentium LL. adjicientes; uti fere juris naturalis vindex Gelo, autore *Plutarcho* (t), *Carthaginiensibus ad Himeram debellatis, pacem componens cum victis, coëgit eos inter conditiones pacis hanc quoque adscribere*, ὅτι ϗ τὰ τέκνα παύσονται τῷ Κρόνῳ καταθύοντες, *ipsos in posterum liberos Saturno nunquam immolaturos*. Thraces Romanis rebelles, cum nullum crudelitatis genus intermitterent, *in captivos saevientes, Diis suis sanguinem humanum litantes, in ossibus capitum bibentes, cujusq; modi ludibrio foedantes mortem, tam igni, quam fumo, partus quoq; gravidarum extorquentes tormentis*, dicuntur *Floro* (u) *suis moribus domiti* à Romanis; quos *Barbaros alias imitari* noluit *Appianus* (x).

r) *Inst. de Iust. & jur.*
s) *ff. l. 1. §. 2. de I. & I.*
t) *t. 2. opp. f. 175.*
u) *l. 3. 7. 4.*
x) *de Bell. Hisp. f. 288.*

ARTIC.

ARTIC. VIII.

An Gentium voluntas Ad Originem huius juris concurrat.

§. 1.

CUm à juris Gentium Origine positivam populorum voluntatem excludi non posse jam supra monuerimus, quod id gentes qua tales, in suis ad invicem actibus publicis, non ex immediato divino præcepto, quod Juris naturalis est officium, sed mutua humana dirigat obligatione, digna nobis hæc videtur Philosophia, quæ aliquanto distinctius evolvatur.

§. 2. De Gentium itaq; voluntate, qua in commune mutuumque populi vinculum cum mutuo nexu consentire creduntur, ubi disputatur, non nisi 1. *Liberas* intelligi manifestum est, quæ sub divino imperio, quod solum inter mortales agnoscunt superius, immediate consociantur. Aliorum quippe quæ subjiciuntur populorum juri, uti vel accessiones, vel partes sunt aliarum civitatum, ita facultate cum aliis

gentibus per se agendi destitutæ, non suam, sed aliorum tenentur sequi voluntatem. *Secreto* hinc *sibi* Galli olim *cum Cæsare de sua, omniumq; salute agendum* censuerunt; *propterea, quod si enuntiatum esset* apud Ariovistum, qui bello eos subegerat, *summum in cruciatum se venturos viderent* (a). Et Elisabetha Angliæ Regina, Belgis protectionis fœdus ab ea efflagitantibus, secum deliberans, *an cum alterius Principis subditis Protectionis fœdus inire liceret? An etiam illi hoc jure possent, sine Cæsaris consensu, qui supremus feudi dominus*; tandem *se salvo honore & integra conscientia*, neutrum committere posse censuit apud *Camdenum* (b).

a) *Iul. Cæs. Com. B. G.* 1. 31.

b) *Elis. f. m.* 255.

§. 3. Gentes II. quidem omnes, præcipue tamen *Moratiores* hic esse respiciendas, dubium non est, cum ad illarum exempla, & receptam consuetudinem provocare moris sit. Jus enim cum sit dictamen rationis, id quod æquum & justum est dictantis, ab illis potius hoc audiri debet, qui rationem audiunt, quam ab his qui obstrepenti immanitati atque feritati se permittunt, uti id quod rationale est non à phrenetico, sed ab eo cui in corpore sano mens quoque sana data est, expectare licet. Hunnorum gens cum olim *omnem feritatis modum excesserit*, uti loquitur *Ammian. Marcellin.* (c), non mirum est, fuisse eosdem *per inducias infidos, inconstantes, mobiles, inconsultorum animalium*

c) *l.* 31. 2.

malium ritu, quod honestum inhonestumve sit, penitus ignorantes: flexiloquos & obscuros, nullius religionis vel superstitionis reverentia aliquando districtos: auri cupidine immensa flagrantes, adeo permutabiles, & irasci faciles, ut eodem aliquoties die a sociis nullo irritante sæpe descriscerent, itidemq; propitiarentur nemine leniente. Bellorum inter Amurath. III. Turc. Imp. & Muhamedem Chodabend. Persarum regem scriptor eximius, *Iohann. Thomas Minadous*, (d) Barbaros, inter quos multum fuit versatus, *fere cunctos hoc vitio laborare* scribit, quod *insidiis & fraudibus alios circumvenire studeant, fideiq; minima apud eos ducatur ratio.* Uti vero furiosus sua nonnunquam habet intervalla, furoris impetu sic residente, ut mentem recuperasse videatur; ita si qui dantur populi, qui vel infirmitatis suæ conscii, vel cladibus fracti, vel metu armorum, meliora mentis dictamina, feritate aliquantum remissa, admittunt, socialia quoq; & ipsi tum cogitabunt; præsertim ubi vident, *sua quoque exempla se debere æquo animo pati*, uti dicitur in fabula (e). Quorum autem feritas est continua, uti exercitio juris humani nullum tales relinquunt locum; ita quando aliis damna inferunt, recte coërcentur uti feræ, vel homines maniaco correpti furore, uti suo dicetur loco. Pertinet huc illud Cæsaris apud *Dionem* (f): Οὔτε σύςημα ἀνθρώπων συμμεῖναι καὶ σωθῆναι δύναται,

d) *Bell. Turco Pers. l. 2.*

e) *Phædr.* 26. 11.

f) *l.* 41.

δύναται, ἂν μὴ τὸ κακουργοῦν σωφρονίζηται, τὸ γὰρ τοι νοσῆσαν, ἂν μὴ τὴν προσήκουσαν ἴασιν λάβῃ, συγκάμνει καὶ τὸ λοιπὸν πᾶν, ὥσπερ ἐν τοῖς σώμασι, *cœtus hominum consistere atq; salvi esse nō possunt, ubi non mali castigantur :: quod pars ægrota, nisi medicina convenienti sanetur, in reliquas etiam omnes morbum diffundat, ut in corporibus cernimus.*

§. 4. Cæterum in investiganda gentium voluntate recte jam olim censuit *Hugo* g) *l. 2. I.B.P. c. 18. n. 4.* *Grotio*(g), *voluntatem gentium, & quousq; gentes consenserint, ex solis exemplis evinci non posse; quod extent satis multa in utramq; partem.* Unde dicimus, hanc Gentium circa J.G. voluntatem considerari posse, vel qua rationabiliter præsumitur, vel qua facto gentium declaratur. Rationabilis conjectura petitur exinde, quod gentes sociales quæ rationem audiunt, non nisi rationalia & socialia velle queant; ita I. N. exigente. Quod enim de singulorum consociatione verum est, id etiam de Gentium societate recte affirmaveris: sc. ut alibi dicta repetamus, societas h) *Ep. 95.* nostra ex *Seneca*(h) dicto, *lapidum fornicationi simillima est, quæ casura nisi invicem obstarent, hoc ipso sustinetur.* Nec tanta gentis potentia, tantaque omnium rerum abundantia unquam fuit, quin tali obnoxia fieri, aut esse queat casui, quo externa ope indigeat. i) *Histor. Græc. l. 6. f. 610.* Bene Patrocles apud *Xenophontem* (i): ἐνθυμεῖσθαι δὲ καὶ τάδε χρὴ, ὅτι κλᾶσθαι μέν τι ἀγαθὸν. καὶ

ἰδιώ-

ἰδιώταις, καὶ πόλεσι προσήκει, ὅταν ἐῤῥωμενέστατοι ὦσιν· ἵνα ἔχωσιν, ἐάν ποτε ἀδύνατοι γένωνται, ἐπικουρίαν τῶν πεπονημένων, quin hoc quoque cogitandum eſt, non ſolum homines privatos, ſed etiam reſpublicas decere, ut quum potentiſſimi ſunt, aliquid ſibi comparent, quod ex uſu ſit: nimirum ut habeant, ſi quando vires amiſerint, aliquid ex iis, quæ antea labore ſuo pepererunt, præſidii. Sinenſes equidem qui ſibi hoc nomine plus juſto placebant, cæteras Gentes, illarumque commercium ceu ſibi non neceſſarium contemnebant; ſed datis acceptisque variis cladibus, Tartarorum tandem imperium ſubire coacti ſunt, pares futuri hoſtibus, ſi prœlio victi domeſticis viribus externa addidiſſent auxilia. Prudentius proin Chodabenda Perſarum Rex animo bellum volvens contra Amurath. III. Turc. Imp. noluit belli aleam experiri, *niſi prius cum veteribus amicis, aut finitimis regulis fœdus atq; ſocietatem inſtauraſſet*, apud *Bizarum*(k). Non minus etiam ſociales ſunt homines, in quantum integras conſtituunt gentes vel civitates, quam qua ſinguli ſpectantur, uti qui conſtat ex hominibus rationalibus cœtus etiam rationalis eſt. Sociales itaque cum gentes ſint & eſſe debeant etiam qua tales, voluntate quoque ſociali adverſus ſe invicem ferantur; & cum hæc ſocialitas ſine ſociali vinculo conſiſtere non poſſit, in vinculum quoque ſociale conſentiant, certe

k) *Hiſt. Rer. Perſ. l. 11. f.* 308.

consentire velint atque debeant necesse est, si gentium societatem, quæ J.N. est, velint salvam. De Hunnis, qui Euthalitæ olim dicti sunt, autor est *Procopius Cæsariensis* (k), quod uti *politicam inter se egerunt vitam, non ferarum modo, ut cæteri Hunni habitantes*, ita quoque *cum vicinis jus fasq; coluerint, æque ac Romani, ac alii omnes.*

k) *de Bello Persic. l.1. f.118.*

§. 5. Conjecturam hanc, qua gentes in commune Rerumpublicarum vinculum consentire prudenter creduntur, auget communis quæ ad omnes inde provenit utilitas, ex *Seneca* modo explicata. *Omnes enim*, ut loquitur *Salvianus* (l), *ad affectum atq; appetitum utilitatis suæ natura ipsius magisterio, atq; impulsione ducuntur.* Atqui Gentium jus non alium finem habet, quam commune omnium gentium bonum, securumque & tranquillum populorum omnium statum; illaque gentibus inculcat, quæ ad securitatem, commerciumq; earum inter se commodum & expeditum faciunt. Explicare hoc aggressus est feliciter *Rachelius* (m). Rationalis ergo & socialis quorum populorum est voluntas, cum commune non privatum tantum respiciet bonum, à vinculo quoque communi, cui omnium gentium innectitur præsens salus, non abhorrebit, uti quandò singulari fœdere vel pacto gentes coëunt in mutuam utilitatem cum nexu reciproco verbis expressis consentire solent;

l) *2. de Avar. p.m.*

m) *de I.G. §. 38. seqq.*

lent; uti *Thucydid.* (n) autore, Athenienses & Corcyrenses *subsidiariam inierunt societatem, ut utriq; forent alteris auxilio, si quis adversus Corcyram, Athenasve aut eorum socios iret.* Eximius etiam in hac Philosophia explicanda est post *Platonem Cicero*, cum quando de Legibus, tum quando de Officiis disputat; fundaturque eadem in communi regula: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris:* *Christo* (o) probata, & Gentilibus explicata. Ex quibus *Cicero* (p), etsi *quibusdam incredibile videatur, necessarium tamen esse* dixit, *ut nihilo sese plus quam alterum diligat.* Cui *Hobbianum* jus in omnia, vel perversam unius alteriusve Gentis, eiusmodi dicta ceu scholarum commentum ridentis, voluntatem opponere non licet, cum sæpius mutata rerum facie apparuerit, talem à se conditam ursisse populum legem, quæ in eandem *magis, quam in alios recideret*, uti loquuntur apud *Thucydidem* (q) Corinthii; usurpatum rigorem à se adhibitum gentibus excipientibus, *ut ostenderetur hostibus, quid alibi peccassent*; uti Pomeraniæ à Polonis an. 1657. factam vastationem, it defensum *Ioachimus Pastorius* (r).

§. 6. Verum equidem est, quod de Peloponnesis olim Pericles dixit apud *Thucydidem* (s), de omnibus populis idem dici posse: Nimirum quod cum πάντες ἰσόψηφοι, κ᾽ οὐχ ὁμόφυλοι, τὸ ἐφ᾽ ἑαυτὸν ἕκαστος σπεύδει *in suffragiis dandis sint omnes æquales, gente dispa-*

n) *Hist. l. 1. f. 11.*

o) *Matth. 7.*

p) *1. de LL. p. 162.*

q) *l. c. f. 10.*

r) *Flor. Polon. l. 7. p. 606.*

s) *l. 1. Hist. f. 32.*

dispares, suo quisq; commodo vacent; tanta sæpe numero stimulatione, ut neglecta omni ratione justi acerrime hoc nomine inter se digladientur. Verum in libidinem hanc digna animadversione invectus Cicero (t), *si*, inquit, *sic erimus affecti, ut propter suum quisq; emolumentum spoliet, aut violet alterum, disrumpi necesse est eam, quæ maxime est secundum naturam, humani generis societatem, ut si unumquodq; membrum sensum hunc haberet, ut posse putaret se valere, si proximi membri valetudinem ad se traduxisset; debilitari, & interire totum corpus necesse est: sic si unusquisq; nostrum rapiat ad se commoda aliorum, detrahatq; quod cuiq; poßit, emolumenti sui gratia: societas hominum, communitasq; evertatur necesse est.* Quod ne fiat, *unum*, ut idem (u) loquitur, *debet esse omnibus propositum, ut eadem sit utilitas uniuscujusq; & universorum*; τὸ μὲν γὰρ κοινὸν ξυνδεῖ, τὸ δὲ ἴδιον διασπᾷ τὰς πόλεις, *publicũ quippe civitates connectit, proprium dißipat*, ait *Plato* (x). Id vero ut præstent gentes, in commune vinculum, quod nexu mutuo illas contineat & obliget, ut consentiant necesse est, quod erit Gentium jus I.N. qua tali contradistinctum. Uti enim civilis societas solis legibus naturalibus non administratur, ita nec gentium societas legibus tãtum pure naturalibus in publico civitatum commercio satis commodè dirigitur.

t) 3. *Off. p.* 56.

u) *ib. p.* 57.

x) *l.* 9. *de Legg. f.* 660.

§. 7.

§. 7. Accedit hinc communis omnes urgens neceſſitas, cum non admiſſo gentium qua talium vinculo, gentium commercium turbari, ſi non tolli, neceſſe ſit; hoc itaque cum nolint, illud quoque velle indubium, imo velint gentes neceſſe eſt, ne pro lubitu cuivis graſſari, vel inter gentes res novare liceat. Quod enim de aliis civitatibus earumque rectoribus docuit *Plato*(y), id de Gentium ſocietate affirmare licet. Ἐπεὶ ταῦτα εἴποτέ τις ἀνθρώπων φύσει ἱκανὸς, θείᾳ μοίρᾳ γεννηθεὶς, παραλαβεῖν δυνατὸς εἴη, νόμων οὐδὲν ἂν δέοιτο τῶν ἀρξόντων ἑαυτοῦ. *Ficinus* ita reddidit: *Profecto ſi quis hominum divina ſortis favore ea natura praeditus eſſet, ut cognoſceret publicum bonum, ad idq; generoſe & ſemper intenderet, nullis legibus ſibi dominaturis egeret.*

y) *l. c. f.* 661.

§. 8. Rationabilem hanc conjecturam non tollunt odia nonnullarum gentium interneciva, quale inter Chriſtianos & Turcas, hos item inter & Perſas, quos Turcas *magis averſari, magisq; profanos habere quam Chriſtianos*, cordate olim *Busbequio* (z) confeſſus eſt Ruſtanus: Tartaros & Sinenſes intercedit. De Japoniis autor eſt *Arnoldus Montanus*(a), quod licet à Sinenſibus deſcenderint, ad ejurandum ex odio erga gentem conſanguineam nomen patrium, mores Sinenſium moribus penitus contrarios aſſumſerint. Verum uti ejusmodi inimicitiae non impediunt, quo minus hi populi fu-

z) *Epiſt.* 3. *p.* 190. *ſeq. add. Schweigg. Itin. Turc. l.* 2. *c.* 11.

a) *Act. Leg. Soc. Ind. Oriens. ad Imp. Iap. f.* 5

rore remiſſo majoris mali metu, vel fœdere pacis, vel pactis ad certum tempus induciis, amice inter ſe vivant, & vivere velint, neceſſitate ſocialem affectum eliciente; ſic non penitus ab uſu juris quo illarum communis ſalus continetur, accedente communi neceſſitati, ejusque ſenſui rationis ſanæ præcepto, eos abhorrere, nō irrationabiliter cōjicitur. Refert ſane *Bizarus*(b), odio inter Turcas & Perſas internecivo non obſtante, utrumque Principem *longo & difficili bello defatigatum, animos ad pacis conſilia flexiſſe, eaq; de cauſa utrinq; miſſas eſſe legationes*; quas primo Turcæ pacis deſiderio, antequam ſibi minus gratas pacis conditiones proponi audiverant, omni honore exceperunt. Et apud *Agathiam*(c) Myſiani poſt varia furoris ſui erga Romanos edita ſpecimina, tandem, cum extrema ſibi imminere cernerent, *proprias vires emenſi, quod nec bello pares Romanis fore ſe ducerent, nec bellum ſuſtinere diutius poſſent, oratores*, licet ante Legatos Romanorum occidiſſent, *miſerunt ad hoſtes precatum, ne ſe perdere ad internecionem vellent*. Simile eſt quod de Germanis, perpetuis Romanorum hoſtibus, tradit *Zoſimus*(d), quos *ad extremum periculum à Iuliano redactos, jamq; de liberis & uxoribus ſuis ſolicitos, ne forte Cæſar ad illa loca, quibus degebant progreſſus, totam gentem funditus vaſtaret, legatos de pace colloquuturos, qua conſtituta, nullum ad-*

verſus

b) *Hiſtor. Rer. Perſ. l.* 11. *f.* 316.

c) *Hiſt. l.* 4. *f.* 532.

d) *l.* 3. *f.* 43.

versus Romanos unquam bellum gerere vellent, misisse refert.

§. 9. Declaratur præterea hæc Gentium volūtas vel *verbis*, vel *facto*, sub quo moraliter etiam veniunt *non facta*, spectata cum circumstantiis necessariis. Expresse Gentes voluntatem significant nonnunquam verbis, ad id quod juris gentium esse dicitur provocando; vel gentium juri contrariari, receptisq; moratiorum populorū moribus aliquid adversari, vel inter eosdem non esse receptum affirmando: Gravissima est ad J.G. provocatio quæ legitur apud *Dionys. Halicarnaß.* (e) facta à Romanis contra Volscos, missis legatis *agrum suum & erepta oppida repetentes*, quibus Romani ita responderunt: *Nos justißimas possessiones ducimus, quas armis victores quæsiimus: Nec* νόμον *legem istam nos primi constituimus*, ἅπαντας τε καὶ ἕλληνας καὶ βαρβάρους εἰδότες αὐτῷ χρωμένους, *quum omnes, tam Græcos quam Barbaros hac uti sciamus &c.* vel etiam expresse altero instante, aut sponte consentiendo; verbis item objectum læsi juris gentium crimen diluendo, facta benigniori actus alicujus interpretatione, quam qui reus agitur populus cum Gentium jure convenire credit, id quod inter Gentes frequens esse, historiarum docent scriptores: Cosroës Persarum Rex apud *Procopium* (f), inique contra Gentium jus adversus Romanos commissorum varias exco-

e) *Hist. l.* 8.

f) *de. Bell. Pers. l.* 2. *f.* 157.

pro communi omnium vinculo habentium, constare dici possit. Quemadmodum itaq; jus civile privatum secundum *Imp.*(r) & *Vlpian.* (s) *collectum est ex praeceptis naturalibus, gentium & civilibus*; ita & Gentium jus ex legibus partim naturalibus, partim ex pactis populos aut omnes, aut plerosque concernentibus, certe ad omnes ex communi consociationis respectu pertinentibus, constare affirmamus.

r) *Inst. de Iust. & jur.*
s) *ff. l. 1. §. 2. de I. & I.*

§. 22. Bello etiam Gentium jura propagari, & ad ea exercenda populos cogi, coactosque constat, quando Barbarorum victores moratiores in victis delicta contra jus gentium commissa acriter vindicarunt, pacis capitibus nonnunquam juris gentium LL. adjicientes; uti fere juris naturalis vindex Gelo, autore *Plutarcho* (t), *Carthaginiensibus ad Himeram debellatis, pacem componens cum victis, coëgit eos inter conditiones pacis hanc quoque adscribere*, ὅτι καὶ τὰ τέκνα παύσονται τῷ Κρόνῳ καταθύοντες, *ipsos in posterum liberos Saturno nunquam immolaturos.* Thraces Romanis rebelles, cum nullum crudelitatis genus intermitterent, *in captivos saevientes, Diis suis sanguinem humanum litantes, in ossibus capitum bibentes, cujusq; modi ludibrio foedantes mortem, tam igni, quam fumo, partus quoq; gravidarum extorquentes tormentis*, dicuntur *Floro* (u) *suis moribus domiti* à Romanis; quos *Barbaros alias imitari* noluit *Appianus* (x).

t) *t. 2. opp. f. 175.*
u) *l. 3. 7. 4.*
x) *de Bell. Hisp. f. 288.*

ARTIC.

ARTIC. VIII.

An Gentium voluntas Ad Originem huius juris concurrat.

§. 1.

CUm à juris Gentium Origine positivam populorum voluntatem excludi non posse jam supra monuerimus, quod id gentes qua tales, in suis ad invicem actibus publicis, non ex immediato divino praecepto, quod Juris naturalis est officium, sed mutua humana dirigat obligatione, digna nobis haec videtur Philosophia, quae aliquanto distinctius evolvatur.

§. 2. De Gentium itaq; voluntate, qua in commune mutuumque populi vinculum cum mutuo nexu consentire creduntur, ubi disputatur, non nisi 1. *Liberas* intelligi manifestum est, quae sub divino imperio, quod solum inter mortales agnoscunt superius, immediate consociantur. Aliorum quippe quae subjiciuntur populorum juri, uti vel accessiones, vel partes sunt aliarum civitatum, ita facultate cum aliis

gentibus per se agendi destitutæ, non suam, sed aliorum tenentur sequi voluntatem. *Secreto* hinc *sibi* Galli olim *cum Cæsare de sua, omniumq; salute agendum* censuerunt; *propterea, quod si enuntiatum esset* apud Ariovistum, qui bello eos subegerat, *summum in cruciatum se venturos viderent* (a). Et Elisabetha Angliæ Regina, Belgis protectionis fœdus ab ea efflagitantibus, secum deliberans, *an cum alterius Principis subditis Protectionis fœdus inire liceret? An etiam illi hoc jure possent, sine Cæsaris consensu, qui supremus feudi dominus*; tandem *se salvo honore & integra conscientia*, neutrum committere posse censuit apud *Camdenum* (b).

a) *Jul. Cæs. Com. B. G.* 1. 31.

b) *Elis. f. m.* 259.

§. 3. Gentes II. quidem omnes, præcipue tamen *Moratiores* hic esse respiciendas, dubium non est, cum ad illarum exempla, & receptam consuetudinem provocare moris sit. Jus enim cum sit dictamen rationis, id quod æquum & justum est dictantis, ab illis potius hoc audiri debet, qui rationem audiunt, quam ab his qui obstrepenti immanitati atque feritati se permittunt, uti id quod rationale est non à phrenetico, sed ab eo cui in corpore sano mens quoque sana data est, expectare licet. Hunnorum gens cum olim *omnem feritatis modum excesserit*, uti loquitur *Ammian. Marcellin.* (c), non mirum est, fuisse eosdem *per inducias infidos, inconstantes, mobiles, inconsultorum animalium*

c) *l.* 31. 2.

malium ritu, quod honestum inhonestumve sit, penitus ignorantes: flexiloquos & obscuros, nullius religionis vel superstitionis reverentia aliquando districtos: auri cupidine immensa flagrantes, adeo permutabiles, & irasci faciles, ut eodem aliquoties die a sociis nullo irritante sæpe desciscerent, iidemq; propitiarentur nemine leniente. Bellorum inter Amurath. III. Turc. Imp. & Muhamedem Chodabend. Persarum regem scriptor eximius, *Iohann Thomas Minadous*, (d) Barbaros, inter quos multum fuit versatus, *fere cunctos hoc vitio laborare* scribit, quod *insidiis & fraudibus alios circumvenire studeant, fideiq; minima apud eos ducatur ratio.* Uti vero furiosus sua nonnunquam habet intervalla, furoris impetu sic residente, ut mentem recuperasse videatur, ita si qui dantur populi, qui vel infirmitatis suæ conscii, vel cladibus fracti, vel metu armorum, meliora mentis dictamina, feritate aliquantum remissa, admittunt socialia quoq; & ipsi tum cogitabunt, præsertim ubi vident, *sua quoque exempla se debere æquo animo pati*, uti dicitur in fabula (e). Quorum autem feritas est continua, uti exercitio juris humani nullum tales relinquunt locum, ita quando aliis damna inferunt, recte coërcentur uti feræ, vel homines maniaco correpti furore, uti suo dicetur loco. Pertinet huc illud Cæsaris apud *Dionem* (f): Ὅυτε σύστημα ἀνθρώπων συμμεῖναι καὶ σωθῆναι δύναται,

d) *Bell. Turco Pers. l. 2.*

e) *Phædr. l. 26. 11.*

f) *l. 41.*

δύναται, ἂν μὴ τὸ κακουργοῦν σωφρονίζηται, τὸ γὰρ τοι νοσοῦν, ἂν μὴ τὴν προσήκουσαν ἴασιν λάβῃ, συγχραίνει καὶ τὸ λοιπὸν πᾶν, ὥσπερ ἐν τοῖς σώμασι, *cœtus hominum consistere atq; salvi esse nō possunt, ubi non mali castigantur: quod pars ægrota, nisi medicina convenienti sanetur, in reliquas etiam omnes morbum diffundat, ut in corporibus cernimus.*

§. 4. Cæterum in investiganda gentium voluntate recte jam olim censuit Hugo
g) *l.* 2. I.B.P. *c.* 18. *n.* 4. Grotio(g), *voluntatem gentium, & quousq; gentes consenserint, ex solis exemplis evinci non posse; quod extent satis multa in utramq; partem.* Unde dicimus, hanc Gentium circa J.G. voluntatem considerari posse, vel qua rationabiliter præsumitur, vel qua facto gentium declaratur. Rationabilis conjectura petitur exinde, quod gentes sociales quæ rationem audiunt, non nisi rationalia & socialia velle queant; ita I. N. exigente. Quod enim de singulorum consociatione verum est, id etiam de Gentium societate recte affirmaveris: sc. ut alibi dicta repetamus, societas
h) *Ep.* 95. nostra ex *Seneca*(h) dicto, *lapidum fornicationi simillima est, quæ casura nisi invicem obstarent, hoc ipso sustinetur.* Nec tanta gentis potentia, tantaque omnium rerum abundantia unquam fuit, quin tali obnoxia fieri, aut esse queat casui, quo externa ope indigeat.
i) *Histor. Græc. l.* 6. *f.* 610. Bene Patrocles apud *Xenophontem* (i): ἐνθυμεῖσθαι δὲ καὶ τάδε χρὴ, ὅτι κλᾶσθαι μέν τι ἀγαθόν. καὶ ἰδιώ-

ἰδιώταις, καὶ πόλεσι προσήκει, ὅταν ἐῤῥωμενέστατοι ὦσιν· ἵνα ἔχωσιν, ἐάν ποτ᾽ ἀδύνατοι γίνωνται, ἐπικουρίαν τῶν πεπορισμένων, *quin hoc quoque cogitandum est, non solum homines privatos, sed etiam respublicas decere, ut quum potentissimi sunt, aliquid sibi comparent, quod ex usu sit: nimirum ut habeant, si quando vires amiserint, aliquid ex iis, quæ antea labore suo pepererunt, præsidii.* Sinenses equidem qui sibi hoc nomine plus justo placebant, cæteras Gentes, illarumque commercium ceu sibi non necessarium contemnebant; sed datis acceptisque variis cladibus, Tartarorum tandem imperium subire coacti sunt, pares futuri hostibus, si prœlio victi domesticis viribus externa addidissent auxilia. Prudentius proin Chodabenda Persarum Rex animo bellum volvens contra Amurath. III. Turc. Imp. noluit belli aleam experiri, *nisi prius cum veteribus amicis, aut finitimis regulis fœdus atq; societatem instaurasset*, apud *Bizarum*(k). Non minus etiam sociales sunt homines, in quantum integras constituunt gentes vel civitates, quam qua singuli spectantur, uti qui constat ex hominibus rationalibus cœtus etiam rationalis est. Sociales itaque cum gentes sint & esse debeant etiam qua tales, voluntate quoque sociali adversus se invicem ferantur; & cum hæc socialitas sine sociali vinculo consistere non possit, in vinculum quoque sociale consentiant, certe

k) *Hist. Rer. Pers. l. 11. f.* 308.

consentire velint atque debeant necesse est, si gentium societatem, quæ J.N. est, velint salvam. De Hunnis, qui Euthalitæ olim dicti sunt, autor est *Procopius Cæsariensis* (k), quod uti *politicam inter se egerunt vitam, non ferarum modo, ut cæteri Hunni victitantes*, ita quoque *cum vicinis jus fasq; coluerint, æque ac Romani, ac alii omnes.*

k) *de Bello Persic.l.1. f.118.*

§. 5. Conjecturam hanc, qua gentes in commune Rerumpublicarum vinculum consentire prudenter creduntur, auget communis quæ ad omnes inde provenit utilitas, ex *Seneca* modo explicata. *Omnes enim*, ut loquitur *Salvianus* (l), *ad affectum atq; appetitum utilitatis suæ natura ipsius magisterio, atq; impulsione ducuntur.* Atqui Gentium jus non alium finem habet, quam commune omnium gentium bonum, securumque & tranquillum populorum omnium statum; illaque gentibus inculcat, quæ ad securitatem, commerciumq; earum inter se commodum & expeditum faciunt. Explicare hoc aggressus est feliciter *Rachelius* (m). Rationalis ergo & socialis quorum populorum est voluntas, cum commune non privatum tantum respiciet bonum, à vinculo quoque communi, cui omnium gentium innectitur præsens salus, non abhorrebit, uti quando singulari fœdere vel pacto gentes coëunt in mutuam utilitatem cum nexu reciproco verbis expressis consentire solent;

l) *2. de Avar. p.m.*

m) *de I.G.§. 38.seqq.*

lent; uti *Thucydid.* (n) autore, Athenienses & Corcyrenses *subsidiariam inierunt societatem, ut utriq; forent alteris auxilio, si quis adversus Corcyram, Athenasve aut eorum socios iret.* Eximius etiam in hac Philosophia explicanda est post *Platonem Cicero*, cum quando de Legibus, tum quando de Officiis disputat; fundaturque eadem in communi regula: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: Christo* (o) probata, & Gentilibus explicata. Ex quibus *Cicero* (p), etsi *quibusdam incredibile videatur, necessarium tamen esse* dixit; *ut nihilo sese plus quam alterum diligat.* Cui *Hobbianum* jus in omnia, vel perversam unius alteriusve Gentis, eiusmodi dicta ceu scholarum commentum ridentis, voluntatem opponere non licet, cum sæpius mutata rerum facie apparuerit, talem à se conditam ursisse populum legem, quæ in eandem *magis quam in alios recideret*, uti loquuntur apud *Thucydidem* (q) Corinthii; usurpatum rigorem à se adhibitum gentibus excipientibus, *ut ostenderetur hostibus, quid alibi peccassent*; uti Pomeraniæ à Polonis an. 1657. factam vastationem, it defensum *Ioachimus Pastorius* (r).

§. 6. Verum equidem est, quod de Peloponnesis olim Pericles dixit apud *Thucydidem* (s), de omnibus populis idem dici posse: Nimirum quod cum πάντες ἰσόψηφοι, καὶ οὐχ ὁμόφυλοι, τὸ ἐφ' ἑαυτὸν ἕκαστος σπεύδῃ *in suffragiis dandis sint omnes æquales, gente*

n) *Hist. l.* 1. *f.* 11.

o) *Matth.* 7.

p) 1. *de LL. p.* 162.

q) *l. c. f.* 10.

r) *Flor. Polon. l.* 7. *p.* 606.

s) *l.* 1. *Hist. f.* 32.

dispares, suo quisq; commodo vacent; tanta sæpe numero stimulatione, ut neglecta omni ratione justi acerrime hoc nomine inter se digladientur. Verum in libidinem hanc digna animadversione invectus Cice-

t) 3. Off. p. 56. *ro* (t), *si* inquit, *sic erimus affecti, ut propter suum quisq; emolumentum spoliet, aut violet alterum, dirumpi necesse est eam, quæ maxime est secundum naturam, humani generis societatem, ut si unumquodq; membrum sensum hunc haberet, ut posse putaret se valere, si proximi membri valetudinem ad se traduxisset; debilitari, & interire totum corpus necesse est: sic si unusquisq; nostrum rapiat ad se commoda aliorum, detrahatq; quod cuiq; posit, emolumenti sui gratia: societas hominum, communitasq; evertatur necesse est.*

u) ib. p. 57. Quod ne fiat, *unum*, ut idem (u) loquitur, *debet esse omnibus propositum, ut eadem sit utilitas uniuscujusq; & universorum*; τὸ μὲν γὰρ κοινὸν ξυνδεῖ, τὸ δὲ ἴδιον διασπᾷ τὰς πόλεις, *publicũ quippe civitates connectit, proprium dissipat*, ait *Pla-*

x) l. 9. de Legg. f. 660. *to* (x). Id vero ut præstent gentes, in commune vinculum, quod nexu mutuo illas contineat & obliget, ut consentiant necesse est, quod erit Gentium jus I. N. qua tali contradistinctum. Uti enim civilis societas solis legibus naturalibus non administratur, ita nec gentium societas legibus tãtum pure naturalibus in publico civitatum commercio satis commodè dirigitur.

§. 7.

§. 7. Accedit hinc communis omnes urgens necessitas, cum non admisso gentium qua talium vinculo, gentium commercium turbari, si non tolli, necesse sit; hoc itaque cum nolint, illud quoque velle indubium, imo velint gentes necesse est, ne pro lubitu cuivis grassari, vel inter gentes res novare liceat. Quod enim de aliis civitatibus earumque rectoribus docuit *Plato* (y), id de Gentium societate affirmare licet. Ἐπεὶ ταῦτα εἴποτέ τις ἀνθρώπων φύσει ἱκανὸς, θείᾳ μοίρᾳ γεννηθεὶς, παραλαβεῖν δυνατὸς εἴη, νόμων οὐδὲν ἂν δέοιτο τῶν ἀρξόντων ἑαυτοῦ. *Ficinus* ita reddidit: *Profecto si quis hominum divinæ sortis favore ea natura præditus esset, ut cognosceret publicum bonum, ad idque generose & semper intenderet, nullis legibus sibi dominaturis egeret.*

y) *l.c.f.661.*

§. 8. Rationabilem hanc conjecturam non tollunt odia nonnullarum gentium interneciva, quale inter Christianos & Turcas, hos item inter & Persas, quos Turcas *magis aversari, magisque profanos habere quam Christianos*, cordate olim *Busbequio* (z) confessus est Rustanus: Tartaros & Sinenses intercedit. De Japoniis autor est *Arnoldus Montanus* (a), quod licet à Sinensibus descenderint, ad ejurandum ex odio erga gentem consanguineam nomen patrium, mores Sinensium moribus penitus contrarios assumserint. Verum uti ejusmodi inimicitiæ non impediunt, quo minus hi populi fu-

z) *Epist. 3. p. 190. seq. add. Schweigg. Itin. Turc. l. 2. c. 11.*

a) *Act. Leg. Soc. Ind. Orient. ad Imp. Iap. f. 5*

rsus Romanos unquam bellum gerere vellent, mi-
se refert.

§. 9. Declaratur præterea hæc Gentium volūtas vel *verbis*, vel *facto*, sub quo moraliter etiam veniunt *non facta*, spectata cum circumstantiis necessariis. Expresse Gentes voluntatem significant nonnunquam verbis, ad id quod juris gentium esse dicitur provocando; vel gentium juri contrariari, receptisq; moratiorum populorū moribus aliquid adversari, vel inter eosdem non esse receptum affirmando: Gravissima est ad J.G. provocatio quæ legitur apud *Dionys. Halicarnass.* (e) facta à Romanis contra Volscos, missis legatis *agrum suum & erepta oppida repetentes*, quibus Romani ita responderunt: *Nos justissimas possessiones ducimus, quas armis victores quæsivimus*: *Nec* νόμον *legem istam nos primi constituimus*, ἅπαντας τε καὶ Ἕλληνας καὶ βαρβάρους εἰδότες αὐτῷ χρωμένους, *quum omnes tam Græcos quam Barbaros hac uti sciamus &c.* vel etiam expresse altero instante, aut sponte consentiendo; verbis item objectum læsi juris gentium crimen diluendo, facta benigniori actus alicujus interpretatione, quam qui reus agitur populus cum Gentium jure convenire credit, id quod inter Gentes frequens esse, historiarum docent scriptores: Cosroës Persarum Rex apud *Procopium* (f), inique contra Gentium jus adversus Romanos commissorum varias exco-

e) *Hist. l. 2.*

f) *de. Bell. Pers. l. 2. f. 157.*

excogitavit excuſationes, *ſophiſmatib⁹ & cavillis, fas jusq; intervertens*; quod & ſupra vidimus Turcos facere, quando aliorum populorum Legatos male contra gentium jus tractarunt: Vel etiam à ſuis, aliisque contra Gentium jus commiſſa improbando, uti olim apud *Appian.* (g) Carthaginienſiū Legati ſuorum perfidiam *in toties violandis fœderibus, & poſtremo legatis* quoque, improbarunt, dicentes ad Romanos: οὐδ᾽ ἄξιον Καρχηδονίοις ὑμᾶς ὠμότητα καὶ ἁμαρτίαν ἐπικαλοῦντας, ταῦτα μιμεῖσθαι, *non decet vos, qui Pœnorum crudelitatem & iniquitatem inſectamini, eadem admittere vitia.* Hannibalem Legatos Romanorum pro Saguntinis venientes in caſtra non admittentem, *gentium jus ſuſtuliſſe* Hanno queſtus eſt in Senatu Carthaginienſi apud *Livium* (h).

h) de Bell. Pun. s. l. f. 20.

h) l. 21.

§. 10. Nonnunquam etiam eadem voluntas in gentium jus conſentiens indicatur factis, dum id quod Gentium juris eſſe dicitur obſervatur, vel quod eidem contrariari creditur, intermittitur hac ipſa de cauſa ipſo facto; uti de Romanis autor eſt *Livius* (i), quod, quanquam Tarquinii Legati proditionem Romæ molientes, *viſi fuerint commiſiſſe ut hoſtium loco eſſent, jus tamen gentium valuerit* apud eosdem. Scipio præfecto claſſis Romanæ, in quam tempeſtate pulſi Legati Pœnorum, poſt cæſos contra G. J. Romanorum Legatos inciderant, roganti

i) l. 2.

anti *quid eis facere deberet?* οὐδὲν, ἔφη, ὅμοιον τοῖς Καρχηδονίοις, *nihil tale*, inquit, *quale Carthaginienses*, dimisitque intactos, referente *Appiano* (k). Sic clarigationis ritus non à moratioribus tantum, sed Barbaris etiam nationibus exercetur, belloque eadem neglecta illato de vi inique illata cædem queruntur; uti graviter questum scribit *Leonclavius* (l) Muhametem Turc. Sultanum de Inaloglio Turcomanorũ Principe, quod *nullo sibi indicto bello regnũ suum esset ingressus*. Angli apud *Paulum Aemilium* (m) *cum Rex Regi*, inquiunt, *bellum indicit, mittuntur Feciales, qui propalam res repetant: ac nisi reddantur, bellum indicunt.* Quod etiam de jure Repressaliarum verum est; sicut id, atque alia quæ populorum praxi exprimuntur, atque illarum voluntatem significant, ex historiarum monumentis, Actisque Gentium publicis prolixius cognoscere licet. Consentire præterea in Gentium Jus & ille dici potest populus, qui ea quæ juris hujus sunt, aut illo sunt permissa, parum considerans, hoc nomine monitus, convenienti obsequio illud postmodum observat. Idem recte creduntur facere, qui quæ juri huic adversantur, aperte committere, ceu injustum, non sustinent. Persas Georgianis subsidio missos *vestitum Georgianorum mentitos* scribit *Minadous* (m), *ne si ex habitu qui essent, agnoscerētur, de ruptis induciis accusari possent* à Turcis.

§. 11.

k) *de Bell. Pun. f. 1. f. 19.*

l) *Histor. Musulm. l. 8. f. 383.*

m) *Rer. Gest. Francor. f. 215.*

m) *Belli Turco-Persi. l. 5.*

§. 11. Hoc nimirum eſt quod modo diximus, ſub facto etiam moraliter contineri non facta, ſpectata cum debitis circumſtantiis. Sicut enim qui ſciens & libere volens tacet, conſentire videtur (n), ita ſi populus, altero ad gentium jus provocante, tali provocationi cedit, tacetque, in illud conſentire utique videtur, idemque agnoſcere, niſi validæ in contrarium ſint rationes aliæ.

(n) Grot. l. 2. c. 4. 5.

§. 12. Cum vero contingat, certe contingere poſſit, ut Gens vel armis, vel viribus ſuis freta, ea nolit attendere, aliarumq; gentium praxi, vel jure Gentium voluntario teneri detrectet; ſpectandum cenſemus, annon fuerit tempus, quo ſive verbis ſive facto legem praxi populorum inductam aliquando obſervaverit, vel ad eam provocaverit. Tale quippe ſi occurrit exemplum, utique gentem ligari credimus vinculo, cui lubens ſe ſubjecit, ut reliquis populis vitiis ab ejusdem nexu ſe liberare nō poſſit, cum id quod prius erat libertatis, poſtmodum ob rationem pacti ſive expreſſi ſive taciti, ſit neceſſitatis. Cum enim Gentium jus ad pacem communem, communemque civitatum ſalutem plurimum faciat, nullas unquam fuiſſe alicuius populi ejusmodi neceſſitates, quæ à communi inter gentes jure auxilium petere illum coëgiſſent, dici vix poterit. Ipſi etiam Barbari egregie ad illud

llud, ubi id sibi favere crediderunt, provocare sciverunt. De Bocho autor est *Sallustius* (o), quod Syllæ rationem redditurus, quare ob regnum tutandum arma cepisset, stam *Numidiæ partem, unde Iugurtham expulerat, quamq; à Mario vastari pati nequiverat, jure belli suam factam* dixerit. Ariovistus apud Cæsarem (p) Gallias à Germanis vexari ægrè ferentem, etiam Gentium jure se defendere conatur: *Ius esse belli* dicens, *ut, qui vicissent, iis quos vicissent, quemadmodum vellent imperarent: idem populum Romanum victis non ad alterius præscriptum, sed ad suum arbitrium imperare consueße.* Idem apparuit circa alia Gentium Juris capita, ex quo Scythas vicini Reges docuerunt apud *Herodot.* (q) cur sibi non liceret cum illis arma adversus Persas jungere. Quam sanctè quoque jus Legationis inter Scythas & Persas fuerit flagrante bello observatum, idem tradit scriptor. Recentiora denique cum Barbaris in Asia, Africa & America passim acta similia enarrant. Persas coram Turcis pro libertate Legati sui ad Gentium jus provocantes, supra ex *Minadoo* audivimus. Nec minus Turcæ sæpe ad belli jus, jus item victoriæ provocarunt; læsi etiam contra fidem publicam & Gentium jus, de armis adversus se injuste sumtis, de proculcata religione fœderum, sacramentorumque fide violata questi leguntur.

o) *Bell. Iugurth.*

p) *l. 1. B.G. & c. 36.*

q) *l. 4. c. 19.*

§. 15.

§. 13. Constans itaque ubi Gentium, moratiorum potissimum, circa morem quendam intercessit dissensus vel contradictio,& contraria praxis, licet mos iste in publico commercio ab aliis sit receptus, Gentiũ tamen Jus proprie tale is uti nondũ constituit, ita nec qui eundem negligunt, cõtra Gentiũ Jus agere dici possunt, nisi dissensus iste in Gentium socialitatem sit manifeste iniquus. Cum enim libertatem suam circa rem quoad dictam socialitatem indifferentem retinere sibi voluerint, non videtur pares sibi jus posse arrogare, nisi id aliunde quæsitum habeant, ad cogendos pares, ut cæterorum mores in praxi publica necessario assumant. Sic etsi alii populi exteris mercatoribus interiora suarum terrarum adire permittant, Sinenses tamen atq; Japonenses, quod Batavis hodie non nisi in litore exercendi commercia facultatem concedere velint, uti *Acta Legat. Soc. Ind. Orient.* ad utriusque gentis Principes docent, contra Gentium jus agere non censeri debent. Unde cum Sigismundi Poloniæ Regis Legatus, uti ex *Camdeno* refert *Zouchaeus* (s), *jure Gentium violato, commercia cum Hispanis à Regina prohibita, bonaq; subditorum regis sui in fiscum abrepta esse* quereretur; respondit Elisabetha: *Quod tu jus Gentium prætendis, scire debes, exorto inter reges bello licere uni parti auxilia, vel subsidia ad alteram partem*

s) *de Judic. inter Gent. P. II. p. 236.*

partem missa intercipere, & providere, ne damni quicquam inde sibi accidat. Videmus utrinq; ad Gentium jus provocari, etsi *Hugo Grotius*(t) confiteatur, *quod ex historiis nihil comperire potuerit, ea de re jure voluntario gentium esse cōstitutum.* Praxin vero populorum, & judicia Sapientū licet pro se allegare possint dissentientes, tamen *Albericus Gentilis*(u), qui secundum Gentium jus hodiernamq; praxin, ut alias, ita hanc quoq; quæstionem vult videri decidere, potius favet Polono. Et ut alia mittamus exempla, memorabile est pactum(x), de quo supra etiam egimus, quo anno 1661. Lusitani & Belgii confœderati Ordines inter se convenerunt, quod Belgis liceat res non tantum quæ in bello nullum habent usum, *sed & ad bellum necessarias, v.c. arma, instrumenta bellica, &c. aliis advehere regnis, provinciis, & terris orbis, sive amice vivant cum Rege Portugalliæ, sive non*; sic ut nullo modo, neque directe & palam, neque indirecte & occulte illos dictus Rex, ne id faciant, impedire debeat: quod etiam fœdere (y) inter Anglos & Lusitanos anno 1654. fuit cautum. Aliis contra Populis aliud visum fuit, quibus placuit, ne ad bellum necessaria hosti subministrentur sub libertatis commerciorum prætextu, ita ut eiusmodi bona, ceu merces prohibitas & *contrabandas*, quæ propter res quæ & in bello, & extra bellum usum habēt, in formula Pacti

t) *l.3.1. B.c.1. §.5.*

u) *Advocat. Hisp. l. 1. c. 20.*

x) *Artic. Pac. inter Reg. Portugall. & Belg. Conf. art. 12.*

y) *art. 10.*

defini-

definiri solent, intercipere, fiscoque inferre licuerit, liceatque: Sic apud Romanos legem fuisse tradit *Procopius* (z), *de ferro & aliis in barbaricum solum non transferendis*, ita ut Indi & Æthiopes tale quid à Romanis mercari non potuerint, lege omnino prohibente, & *constituta deprehenso mortis pœna*: Salva tamen eadem libertate quoad merces licitas, nisi quod subvectionem ejusmodi rerum ad loca obsessa excipiendam esse censuerint. Ita habet *Tractat. Commerc.* (a) inter Franciæ Regem Christianissimũ & Civitates Hanseaticas an. 1655. Fœdus (b) item inter Galliam & Angliam anno eodem percussum. Pacta (c) etiã inter Angliam & Belgas Confœderatos, anno 1656. hoc potissimũ nomine inita. In *Articulis Fœderis* (d) inter Regem Suecorum & Electorem Brandeburgicum eodem anno idem fuit cautum; observatum quoque Suecis & Anglis ann. 1661. (e) Quanquam etiam interdum Gentibus placuerit ab omni commercio & negotiatione cum alterius hostibus abstinere, uti constat ex Pace Pyrenæa (f), qua sic fuit conventum: *Omnibus Christianissimi Regis subditis fas sit, in omnibus regnis, Regionibus & Statibus quibus cum Galliæ pax, amicitia aut Neutralitas intercedit, aut intercedet, excepta sola Lusitania, ab ipsa conquisitis & adjacentibus Regionibus, de quibus aliter per articulum quempiam præsentis Tractatus dispositum est, tuto & libe-*

z) *Bell. Pers. l. 1. f. 142.*
a) *art.* 1. & 2.
b) *art.* 15.
c) *art.* 3. *sq.*
d) *Art.* 12.
e) *Artic. Fœder. inter Reges Suec. & Angl. art* 11.
f) *art.* 10.

& libere navigare & negotiari &c. Attamen cum hic modus paciſcendi rarior, ille frequentior ſit, ad eundem ſub Juris Gentium nomine ſæpe à populis provocari, provocatumque eſſe hodierna Gentium Praxis docet, neuter licet jure Gentium propriè tali ſit definitus, & directè præceptus. Cæterum non novam, ſed apud veteres utramque agendi rationem fuiſſe probatam, ea quæ *Polybius* (g) inter Romanos & Carthaginienſes accidiſſe refert, docent: Cum enim poſt primum cum Romanis bellum, domeſticis cum ſuis qui rebellaverant turbis exercerentur Pœni, *eos qui ex Italia in Africā navigabant, & commeatus hoſtibus comportabant, in ſuos portus Carthaginienſes deduxerunt*, Romanis id ægre ferentibus, atque captivos repetentibus. Quos cum dimiſiſſent, gratum id habuerunt Romani officium, καὶ πρὸς μὲν τοὺς Καρχηδονίους ἐπέτρεψαν τοῖς ἐμπόροις ἐξάγειν ἀεὶ τὸ κατεπεῖγον, πρὸς δὲ τοὺς πολεμίους ἐκώλυσαν, *& mercatoribus ſuis facta poteſtate, ut ad Carthaginenſes neceſſaria exportarent: ne ad eorundem inimicos accederent vetuerunt.*

g) *l.* 1. *Hiſt.* c. 83.

§. 14. Quod ſi vero Gentium diſſenſus eſt iniquus, vel depoſitam aliquandiu *innatam reſumunt audaciam excuſſo metu, qui animu eorum infixus erat*, uti de Germanis Romanos invadentibus loquitur *Zoſimus* (h), populorumque ſociale commercium atque

h) *Hiſtor. l.* 4. *c.* 63.

 neceſſa-

necessarium lædunt: uti ex eo, quod Persæ olim cum matribus & filiabus cōsueverunt; aut quod, uti *Aristot.* (i) tradit, *efferata quadam circa Pontum fuerunt nationes, qua liberos suos inter se mutuas in epulas dederunt*; scelera hæc non minus naturali jure prohibita censentur, & prohibita censeri debent, atque censerentur, censerique deberent, si à Barbaris hisce æque improbarentur, atq; à moratioribus improbantur gentibus; ita latrocinia recte dicũtur juri gentium contrariari, licet uti loquitur *Sextus Empir.* (k) *pradari apud multos barbaros infame non existimetur, imo vero apud Cilices gloriosum fuisse feratur.* Nec dissensus Atheniensium Legatos Darii, uti legitur apud *Herodot.* (l) *in barathrum & puteum dejicientium*; vel si recentiora audire malimus, factum Tamasi Persarum regis, qui, teste *Bizaro* (m), Oratori Selimi II. Turci, *quod paulo arrogantius visus esset loqui, ad cateros deterrendos nasum & aures decidi jussit*; eos à violatione Juris Gentium excusabit; cum socialem affectum nulli liceat exuere populo, vel tale quid committere, quod gentium consociationi, illarumque tam belli quam pacis tempore commercio necessario repugnat, eamque tollit; cum integri humani cœtus non minus, quam homines singillatim spectati, sociales sint, naturalemque societatis affectum retinere debeant. Eoque gravius etiam Atheniensium delictum censeri

i) 7. *Ethic. Nicom.* c. 5.

k) *Pyrrhon. hypot.* 3. 26. *f.m.* 530.

l) 7. c. 133.

m) *Hist. Rer Pers.* l. 11. f. 296.

ſeri debet, quod cum in novo hoc inter Perſas & Græcos commercio ipſi priores fuerint, qui συμμαχίαν βουλόμενοι ποιήσασθαι πρὸς Πέρσας, ut loquitur *Herodotus* (n), legatos hoc nomine ad Perſas miſſos, ſalvos & incolumes reciperent.

n) *l.* 5. *c.* 73.

§. 15. Gentes ad invicem comparatæ, comparantur ut perſona cum perſona. Licet enim ſingulæ gentes inſigni hominũ multitudine cõſtent, attamen cum pluresiſti mortales ſic inter ſe uniantnr, ut teneantur idem velle & nolle, quoad ea quæ ad illorum pertinent ſocietatem, illorum quoque actiones cenſentur pro una, & non pro pluribus, ipſique agentes habentur pro uno ſuppoſito aut perſona. Omnium ergo intellectus & ratio una erit, cenſebiturque omnium voluntas pro unius perſonæ voluntate; tenentur etiam cæteri pro ſua voluntate, niſi expreſſe contra proteſtentur, & actione agnoſcere, quicquid majori parti circa res ad ſocietatem pertinentes viſum fuerit. Hæc gentium ratio occupatur circa illa, quæ ad Gentes qua tales pertinent, illarumque conſociationem, mutuumque commercium reſpiciunt; exeritque ſe per dictamina circa bonum publicum, h. e. omnium populorum, ſuggeritque media & modos, quibus in pacato felicique ſtatu ſe tueri conſervareque poſſunt Gentes.

§. 16. Sicut enim ratio homines in cæteris ducit negotiis, quæ privato nomine inter illos intercedunt; ita *Ratio Gentium Practica*, si recta est, eas qua tales etiam in publico ad invicem dirigit commercio, iisdemque socialia inculcat officia. Rectum autem uti non nisi unum est, ita Ratio Gentium practica recte se habens una quoque est, & esse debet. Unde cum de Jure Naturæ *Cicero*(o) olim sic scripserit, quod non *non sit quisquam gentis ullius, qui ducem naturam nactus, ad virtutem pervenire non possit*; quia ratio est communis; quid impedit quo minus & nos dicamus, quod non detur Gens quæ rectam gentium rationem practicam ducem nacta, ratiocinando non ad ea quæ juris gentium sunt pervenire possit, vel ad talia inclinet, cognitaque aliunde probet, imo velit? Patet hoc etiam Cabadis Persarum regis barbari exemplo, quando pacata cogitãs, sic ad Justinianũ I. Imp. scripsit apud *Procopium*: (p) *Quanquam injusta à Romanis patimur, ut ipse scire potes, ego nihilominus querelas omnes dimittere statui, illud animadvertens, quod hi maxime hominum vincunt, qui fas colendo sponte cedentes vincuntur.* Eadem aliorum quoque populorum cogitatio erit, si eadẽ fuerint, qua Persa hic mente; uti constat ex illis quæ de Iconiensi Sultano Aladine, & Osmane Turco latrocinia agente, ex Historia *Verantii* & libro *Hanivaldano* tradit

o) *l. 1. de LL. p. 162.*

p) *l. 1. de Bell. Pers.*

tradit *Leunclavius*(q). Unitatem huius *rationis Gentium* arguit unitas honestatis, utilitatis & necessitatis communis, cuius prima omnium haberi debet ratio, ni *Hobbianam* vel *Epicuream* dissociationem introductam velimus; cuius causa est studium commodi privati, primo, & cum exclusione boni publici intenti, eximiè id contra *Hobbium* docente *Ricardo Cumberlando* (r). Eximie *Cicero*(s): Ut *quisque maxime ad suum commodum refert, quæcunque agit, ita minime est vir bonus.* Unitatem vero rationis uti sequitur in animo bene constituto inter homines unitas voluntatis, inclinantis ad ea facienda quæ sunt Juris Naturalis, ita inter gentes com rationis dictamina quoad publicum & communem omnium statum audientes, sequitur unitas voluntatis quoad Jus & vinculum omnium commune.

q) *Hist. Musulm. l. 3 f. 118 sqq. 128. ad l. 5 f. 283.*

r) *de LL. Nat.*

s) *l. c. p. 165.*

ARTIC. IX.

De
Vera Juris Gentium indole, & usu.

§. I.

VErum dari Gentium jus, nec tale fingi, etsi dicta satis declarent, exhibita tamen eius indoles à cæteris juris speciebus distincta, ejus veritatem ulterius confirmabit.

§. 2. Fundamentum & ratio veri G.J. est Gentium societas, cui ceu vinculũ, quo nulla societas carere potest, est necessarium, sicut J.N. sub divino imperio universum genus humanũ in universalem & communem omnium civitatem consociatur; aut sicut legibus civilibus in civitate particulari sub imperio civili conjunguntur subditi. Triplex quippe est societas hominum: Alia universalis totius humani generis, qua sumus homines; alia Gentium; alia civilis. Proinde uti universis hominibus qua sunt homines necessarium est jus naturæ, ut humani universi generis consociatio subsistat; uti cives qua tales per leges

ges civiles in civitate, ita Gentes qua tales per Gentium Jus consociantur. Jure quippe *sublato, nihil est*, ut cum Cicerone (a) loquar, *quare exploratum cuiquam possit esse, quod suum aut quid alienum sit: nihil est, quod æquabile inter omnes, atque unum omnibus esse possit.*

a) *Orat. pro Cæcin.*

§. 3. Nimirum uti datur commercium inter homines, qua sunt homines, exercendum secundum officia, quæ alter alteri ideo quia homo est debet; & qua sunt ejusdem civitatis cives, instituendum secundum leges ab eo qui summum habet civile imperium, vel eius nomine pro usu & conditione Reip. præscriptas: ita datur quoque Gentium ad invicem commercium, publicique inter easdem qua tales hoc nomine actus & operationes ad invicem intercedunt. Unde uti aliæ dantur hominis ad alterum quia homo est habitudo, & operationes, aliæ quia civis; ita quoq; hæc corpora *artificialia*, uti *Grotio* (b) dicuntur, sive *moralia*, uti aliis placet, quæ suam habent ἕξιν μίαν, sive *spiritum*, qui est *vitæ civilis consociatio plena ac perfecta, cujus prima productio est summum imperiū, vinculum per quod respublica cohæret, spiritus vitalis, quem tot millia trahunt*, ut loquitur ex *Seneca Grotius* (c); peculiarem sibique propriam ad invicem indolem, & exinde peculiares quoque, talique statui proprias habent operationes, peculiari quoque & à

b) *2.I.B.P. 9.3.*

c) *l. c.*

cæteris diſtincto jure dirigẽdas. Quod enim de privatis legibus olim dixit *Archytas* apud *Stobæum* (d): δεῖ καὶ ποτὶ τὰν χώραν, καὶ ποτὶ τὼς τόπος ἀποβλέπειν τὸν νόμον, *oportet ut lex regionis & locorum habeat rationem*; atque *Demosthenes* (e) monuit: In eo quod pro civitate agitur, δεῖ τὸ τῆς πόλεος ἦθος μιμεῖσθαι; id hic quoque quando de juris Gentium veritate ſermo eſt locum habet: cum Jus naturæ, vel Jus civile, iſtum habitum populorum, quem qua tales ad invicem habent, vel imperfecte, vel ſub alia ratione & per accidens, vel plane non reſpiciat aut obligare poſſit.

d) *Serm.* 41. *f.* 268.

e) *Orat. contra Androt. f.*

§. 4. Gentium hoc commercium qualia involvat negotia, quibusque exerceatur actibus, tam pacis quam belli tempore, ut ea quæ à *Grotio*, *Vaſquio*, *Alberic. Gentil.* aliisque eximie hic ſunt præſtita prolixe non commemorem; ſub juris à cæteris juris ſpeciebus diſtincti notione diſtincte explicarunt *R. Zouchæus* in ſingulari de *Iure & judicio Feciali* ſcripto, & doctiſſimus *Autor* Tabb. (f) commentationi *Bæcleriana* in Grotianum de Jure B. & P. opus annexarum: & ſunt vel actus *ſtatus*, belli ſcil. & pacis; vel actus *Dominij*; vel actus *Officii* inter Gentes mutuo præſtandi, vel actus denique *Delicti*. Nos primis ſaltem lineis hoc publicum Gentium commercium, quod Gentium jus neceſſario dirigere debet, ſic adumbramus.

f) *p.* 12. *ſeqq.*

§. 5.

§. 5. Primo omnium Statum Gentium qualis sit *in se*, in commercio publico spectari satis constat, an sc. æquales sint, & utrinque summa habeatur potestas, an vero facultate ex proprio arbitrio de rebus suis disponendi, h. e. statu libertatis exuti, in servitutem inciderint; quo in casu ex domini sui arbitrio agere tenentur. Unde Ordines Belgii Confœderati noluerunt, scriptore *Meterano* (g), cum Archiduce Alberto ann. 1607. ulla fœdera vel pacta induciarum inire, *nisi se pro liberis* agnosceret. Moratiores quoque an vero barbari sint populi, qualique sint addicti religioni, quibuscum intercedit publicum commercium, aliæ considerari posse censuerunt gentes, varia hoc nomine jura in Barbaros, & quos Hæreticos aut infideles credunt, sibi arrogantes, uti supra (h) vidimus, & de Turcis constat ex *Leonclavii* Historia Musulmannica. Verum cum barbaries morum, vera item falsaque religio non accidât genti qua gens est, in commercio quoq; publico populorum, & consequenter J. G. ista diversitas inter pares inæqualitatem jurium non introducet. Recte proin Usumcassanus Persarum rex apud *Bizarum* (i) Mahometi Turcorum Imp. fœdus inter ipsum & Venetos ictum ægre ferenti, respondit: *Mahometem quem ipsi sequerentur, id inprimis lege sanxisse, ut quæ semel promissa essent,*

g) *Hist. Belg. l. 27. f. m.* 404.

h) *art.* 3.

i) *Hist. Rer. Persic. l.* 10. *f.* 260.

essent, ex fide servarentur: se Romano ***Pontifici***, *Venetoq; nomini pollicitum, sanxisseq; in id fœdus, ut Turcos terra & mari persequeretur:* ***annixurum*** *proinde se totis imperii viribus,* ***ut sibi fidem*** *constare omnes intelligerent,* ***quam aliena genti*** *fœdere obstrinxisset.* Spectari dein debet quis sit Status gentium *relate* erga alias gentes, Pacisne an Belli: cum commercium quod pacis tempore exercetur, eiusque actus publici inter gentes maxime discrepent ab operationibus bellicis, quæ statum belli consequuntur. *In pace*, ait Cæcina apud ***Tacitum*** (k), *causas & merita spectari;* ***ubi bellum*** *ingruit, innocentes ac noxios juxta cadere.*

k) *l. 1. Annal. c. 48. 2.*

§. 6. Commerciũ pacis intercedit primo naturaliter inter Gentes nulla data vel accepta injuria sibi invicem cognitas, remotissimas etiam, à nobis detectas, imo barbaras. Amicæ hæ sunt, & pro amicis haberi, amiceque tractari debent, donec contrario facto amicitiam dissolverint, ob naturalem hominum & gentium cognationem inter se, propter quam hominem ab homine lædi nefas est. Ex amico hoc affectu nulla injuria turbato oritur inter Gentes concessio hospitii, commercii, & aliorum quæ hominibus communiter competunt, nec nisi hosti denegari solent: omnia tamen hæc ut fiant ordinate, h. e. intra terminos innoxiæ utilitatis. Sic Lusitani, sic Angli, sic Batavi Africæ & Asiæ adierunt gentes extre-

extremas; amicumque præse ferentes affe-
ctum amice recepti & amicos hospites, fa-
cilesque mercatores passim invenerunt.
Sic cum Christophorus Colonus, *Martyre* (l) l)*Rer. Oceanic. Dec.* I. *l.* 1.
referente, novi orbis incolas liberaliter ha-
beret, indigenæ qui agmine facto in con-
densa nemora Hispanos fugientes se rece-
perant, certatim omnes ad litora revola-
runt.

§. 7. Quo vero firmior naturalis hæc sit inter gentes amicitia, minusque ejusdem turbetur exercitium, pacto illud insuper constitui, limitari, dirigique placet. Fœdera hinc ineuntur, ut utrinque jus hospitii & commercii sit, nonnunquam perpetui, nonnunquam ad tempus concessi; nonnunquam in finibus gentis certoque tantum loco, nonnunquam in interioribus etiam, omnibusque emporiis, vel urbibus permissi. Ineuntur eadem armorum gratia ad arcendum commune periculum, communis securitatis asserendæ ergo. Hinc Legatorum necessitas & sanctitas; hinc fides publica; hinc promissorum, pactorum, contractuumque publicorum fides; hinc jurisjurandi religio, cujus sanctitatē sæpe sibi invicem gentes inculcare solent: *Jusjurandum reputa tuum*, scripsit olim Justinianus Imper. ad Cosroem, pacem cum Romanis *quæ sine termino fuerat solventem*, apud *Procopium* (m). Muham. m)*Bell. Persar. l.* 2.
Choda-

Chodabendæ Perſarũ regis Legatus ad Amurath. III. Imp. Turcar. cum Conſtantinopoli audiretur, *pacem à Tamaſo & Solymanno juramento confirmatam*, ei in mentem revocavit, ſcriptore *Minadoo* (n); uti Gilimer Vandalorum rex Juſtiniano Imp. jusjurandum Zenonis Imp. apud *Procopium* (o): Aliaque quæ quotidie inter gentes exercentur, & ſine quibus Gentium commercium ſubſiſtere neſcit.

n) *Minad. Bell. Turc. Perſ. l.* 4.
o) *Bell. Vandal. l.* 1. *f.* 192.

§. 8. Cæterum cum & Gentes ſuarum rerum tam mobilium, quam immobilium, tam per univerſitatem, quam per fundos occupatarum (p) & poſſeſſarum, diſtincta habeant dominia; quid in caſu urgentis veræ neceſſitatis, vel etiam innoxiæ utilitatis, ex commercio, quod inter nationes intercedere humanæ ſocietatis intereſt, atq; tẽperamento benignitatis, liberalitatis atq; humanitatis, de quo eximie *Ciceronẽ* (q) diſputare conſtat, non vero *ex reviviſcente jure rebus utendi, tanquam ſi communes manſiſſent*, uti *Grotio* (r) videtur, quod jus nunquã fuit, gens à gente poſtulare poſſit; quotidie non tam argumentis, quam armis diſcuti videmus. Nec per rerum proprietatem omnis ſublata cenſeri debet communio: Imo ubi ſocietas ibi communio; ſententia enim illorum, qui *ſibi nihil juris, & nullam ſocietatem communis utilitatis cauſa ſtatuunt eſſe cum civibus, omnem ſocietatem diſtrahit civitatis*,

p) *Grot.* 2. *I. B. II.* 4.
q) 1. *Off. p.* 11.
r) 2. *I. B.* 2. 6.

judicio

judicio *Ciceronis*. (s). Civitatem hinc *Platoni* (t) & *Aristoteli* (u) per κοινωνίαν describere placuit. Et eximia imprimis sunt *Aristotelis* verba, quibus clarissimũ Politicorum opus auspicatur. Idem vero quo minus de civitate humani generis universali affirmemus nil impedit: doceturque egregie à *Cicerone* (x.) Modus huius cõmunionis est ex præscripto virtutis, secundum regulas justitiæ, quæ legitimum dominum iure suo non exuit, liberalitatis, humanitatis &c. Unde Megarenses criminati sunt apud *Plutarchum* (y) Athenienses, quod, ἀπὸ τῶν κοινῶν δικαίων, *omnibus emporiis, omnibus portubus, quos obtinerent, se prohiberent & arcerent.* Variæ hinc inter gentes exoriuntur actiones, quibus ista communio exercetur, variique communicandi, accipiendi, acquirendique modi. Pertinet huc tota Philosophia de rerum divisione, & acquirendo ipsarum dominio, quatenus inter gentes eius usus est. Hinc de libertate commerciorum, de occupatione, usucapione & Præscriptione, Imperii item, rerumq; Imperii alienatione &c. inter gentes agi solet.

§. 9. Verum quæ est humani generis sive imbecillitas, sive malitia mortalium, ut labi & impingere à nobis non sit alienum, multi etiam sua rabie instigentur in perniciem aliorum, quod *Iuvenalis* (z) recinit:

s) 3. *Off.* p. 57.
t) *Defin.*
u) 1. *Pol.* c. 1.
x) 1. *offic.* p. 11. *ad.* 1. *LL.*
y) *Pericl.* t. 1. *Opp.* f. 168.
z) *Satyr.* 15

adspi-

adspicimus populos, quorum non sufficit iræ Occidisse aliquem:

a) l.1. de Bell. Pers. f. 142. *Profecto*, inquit *Procopius* (a), *nullo deliniment to aut ratione Barbaros omnes retinere licet, quin in fide aut officio, nisi tantum timore coërcentium militum persistant*: inter gentes sæpius talia committuntur, quæ sinceræ amicitiæ atque hinc pacis tractatibus repugnant, injuriæ scil. quibus populi cum in se, tum in suis læduntur. Inde oriuntur querelæ, & si non componuntur amicis rationibus bellum; cum secundum

b) l. 38. illud *Livianum* (b), *qui jus æquum pati non possit, in eum vim haud injustam esse* gentes censeant. *Alii si quid à proximis contendunt, legatos ad eos mittunt, ubi vero ad æquum non venitur, bellum eis postremo inferunt*, ait Belisarius

c) Bell. Pers. l. 2. f. 170. apud *Procopium* (c).

§. 10. Bello vero suscepto status inter populos atque civitates plane immutatur, cædibus, aliisque calamitatibus omnia implentur; terræ vastantur, personæ & res capiuntur, amissæque postliminio recipiuntur. Hostile hoc commercium præviam habet Clarigationem, belliquè denuntiationem, & inter media arma ad fidem publicam, variis pactis, transactionibus & promissis datam provocat. Jam obsides dantur, jam Legati mittuntur, quorum post varium in bello usum opera tandem inter belligerantes, mediatorum potissimum & Arbitrorum procurante fideli labore, pax redu-

reducitur. Merito proin graviter tulit Amurat. III. Turc. Imp. apud *Henric. Porsium*(d), d) *Bell Pers. inter Amur. III. & Hodabend.* quod se inscio, Mustapha Bassa aliquoties Legatos pacis causa à Persa missos non admiserit.

§. II. Hoc gentium publicum commercium, eiusdemque actus, quis nullo jure, sed confuse pro cuiusque arbitrio dirigi crederet? Sane quod de civili societate satis apte pronunciavit *Aristot.*(e) καθ' ἑκάστην δὲ τῶν πολιτικῶν, φιλία φαίνεται, ἐφ' ὅσον καὶ τὸ δίκαιον, e) *l. 8. Nicō. Eth. c. 11.* h. e. ex versione *Lambini*: *In unaquaque autem Reipubl. administrandæ forma amicitiæ ratio esse videtur secundum rationem juris*: id de Gentium quoque consociatione, sine qua universalis illa generis humani societas sub divino imperio constituta subsistere nequit, recte affirmare licet. Cumque hæc requirat, ut actus gentium ad invicem, juxta ejusdem indolem, quæ à cæteris societatibus diversa est, bono & decenti exerceantur ordine, proprio quoque & ad indolem hujusmodi magnorū humani generis cœtuū accommodato jure atque vinculo, nexu reciproco gentes ligante, dirigi eosdem necesse est. *Unum*, inquit *Cicero* (f), *debet esse* f) 3. *Off.* p. 57. *omnibus* (gentibus etiam) *propositum*, (quod sine vinculo juris non dabitur valide) *ut eadem sit utilitas uniuscujusq. & universorum: quam si ad se quisque rapiat, dissolvetur omnis humana consociatio.* Tolleretur sane necessario

Aa inter

inter populos æqualitas, & *pro modestia ac pudore, ambitio & vis libere incederent*, ut cum *Tacito* (g) loquamur, si publicum quod descripsimus commercium ab omni juris vinculo esset liberum. Æquatorio itaque jure opus est, quo æqualiter gentes inter se æquales in necessariis commercii socialis actibus, in communem salutem & tranquillitatem dirigantur.

g) 3. *Annal.* 26.3.

§. 12. Etsi vero jus Naturæ quæ sit ratio officiorum in contractibus, promissis, pactis, fide data servanda &c. satis perspicue exprimat; qua tamen pacta hæc, contractus, promissa &c. gentium actus sunt, & ad publicum Populorum commercium pertinent, atque ex accedente gentium voluntate obligationem & modum agendi accipiunt, recte ad Gentium jus referuntur, atque ab hoc dirigi dicuntur; uti & legibus civilibus præcipi contingit prohiberique nonnunquam illa ipsa quæ sunt juris naturalis, eodemque etiam modo, uti constat prohiberi homicidia, adulteria &c. Imo uti jus civile præcepta J. N. applicat ad actus subditorum in civitate, ita Gentium jus applicat eadem ad actus populorum qua tales sunt, atque ad mutuam illorum inter se societatem pertinent; uti *Bizarus* (h) scribit, Anastasium Imp. à Cabade Persarum rege, cum mutuam pecuniam accipere desideraret, *cautionis syngrapham* vicissim postu-

h) *Rer. Pers.* l. 5. f. 140.

postulasse, *absque qua ne unum quidem obolum esset accepturus*: Iisdemque LL. aliquid addit, uti LL. *positivæ legi naturæ aliquid addunt, vel determinando specialem actionis conditionem sive modum; vel ex illa generali juris naturæ regula, quæ bono publico conducere jubet, quicquid statuitur actiones exigendo prohibendove, quas ut tales, lex naturæ non attingit*: uti eximie philosophatur *B. Bœclerus* ( ), quæ supra etiam prolixius executi sumus.

i) Polit. Inst. l. 2. c. 3. p. 124.

§. 13. Ut vero qua ratione G. J. actus gentium, illarumque commercium publicum dirigat, exponamus, quo usus ejusdem eo clarius cognoscatur, explicandum videtur, quomodo ad J. G. aliquid referri atque J. G. esse dici queat. De Gentium jure *generali & speciali*, duorum etiam populorum, supra vidimus: distinctionem vero qua alii inter J. G. *naturale & voluntarium*; alii inter J. G. *naturale & positivum* distingunt, si non jus naturæ & Jus Gentium proprie tale confundit, certe materiale tantum, & qualia illa sint quæ G. J. constituunt, exprimere, atque illi distinguendi modo similem esse censemus, si quis jus civile aliud naturale, aliud positivum esse diceret: de quo, an id omnes probaturi sint, vehementer dubito. Aliud enim est loqui de qualitate illorum quæ jure aliquo continentur, an scil. sint pure positiva, an vero etiam naturalia; aliud de ipsa forma juris, modoque

lato Fabios, quod in se pugnassent, dedi vellent, *jus postulare barbari visi* sunt senatui Romano apud *Livium* (n). Sabini apud *Plutarchum* (o), post commissum à Romanis raptum, missis ad Romulum legatis postularunt, *ut puellas τὰς κόρας sibi redderet.* Et de Gotrico Danorum rege autor est *Meursius* (p), quod Carolum M. armis à Saxonibus abstinere voluerit, quod *Saxones Danis vectigales essent.* Vezires Turcici apud *Leonclav* (q). *præstiterit*, inquiunt ad Mahumetem bellum adversus Inaloglium Turcomannorum & Nomadum principem molientem, *prius quam armis res geratur, epistolam ad eum dari, legatumq; mitti, ut ex eo sciamus, quanam de causa fines nostros hostiliter ingressus sit &c. Cupere nos eius de his omnibus intelligere responsum, ut & ipsi rebus nostris consulamus, & prout ei libuerit, vel amice, vel hostiliter nosmet geramus.*

n) l. 5.
o) t. I. Opp. Romul. f. 26.
p) Histor. Dan. l. 7.
q) Histor. Musulm. l. 8 f. 383.

§. 15. Cæterum quæ sic Juris G. præceptivi esse dicũtur, talia sunt vel *absolute*, vel *secundum quid*, pro certo nimirum rerum statu, & *ex hypothesi*, ex suppositione certarum circumstantiarum, aut actuum ab arbitrio gentium dependentium. *Absolute* & in quovis statu gentium jure ad fidem datam servandam populi universi obligantur, tam pacis, quam belli tempore; sive sint eiusdem fidei consanguinei, sive hæretici, sive denique infideles & barbari: *Nimirum*, ut eximie loquitur *Grotius* (r), *ho-*

r) l. B. III. 19. 1.

 stes,

stes, hæretici, infideles & barbari *qui sunt, homines esse non desinunt. At omnes homines qui ad rationis usum pervenerunt capaces sunt juris ex promisso.* Laudat hoc nomine suos Romanos Cæsar apud *Sallust.* (s) *Bellis Punicis omnibus, cum sæpe Carthaginenses & in pace, & per inducias multa nefanda facinora fecissent, nunquam Romani per occasionem talia fecere.* Eandem fidei sanctitatem urgere Muhamedanos, eiusque læsionem à se factam excusatum ire, adversus se vero commissam graviter ferre, Turcarum, Persarum, aliorumque testantur Historiæ. Distinctio quoque dominiorum, qua intra suos fines ab aliis divisi se continent, suaque tam mobilia quam immobilia bona, ut sunt territoria, urbes, possident populi sine aliorum injuria, ut jure Ariovistus, *sibi mirum videri* dicere potuerit apud *Cæsarem* (t), *quid in sua Gallia, quam bello vicisset, aut omnino Populo R. negotii esset?* vel uti loquitur apud *Florum* (u): *Quid ad illum, quid agat nostra Germania, num ego me interpono Romanis?* Talis, inquam, distinctio dominiorum inter Gentes, simili huius juris præcepto nititur, cum nullo casu talis rerum exoriatur communio, vel, uti aliis placet, *reviviscat, ut liceat rebus aliorum uti, tanquam si communes mansissent* (x); vel eas ceu tales invadere. Etsi vero dominiorum distinctio durante bello belligerantes non impediat, quo minus victores victorum loca occupent, non tamen

s) *Bell. Catilin.* c. 51.

t) *Com. Bell. Gal.* l. 34.

u) l. 3 c. 10.

x) *Grot. I. B.* 2. 2. 6.

men exinde rerum in bello communio, ſed dominiorum mutatio tantum probatur.

§. 16. Plura tamen ſunt juris gentium *ſecundum quid*, reſpectu certi rerum ſtatus, qui, prout res humanæ variis ſunt obnoxiæ mutationibus, quotidie fere variare ſolet. Ita quæ jure Gentium pacis tempore prohibentur, armata ſc. manu alterius invadere ditiones, flamma ferroque alterius terras vaſtare, loca & urbes capere, occidere, belli ſtatu non obligant, certe non obligare creduntur, quum ab his qui talia committunt ad belli jus provocari ſoleat. Nota vox eſt Lycortæ Prætoris Achæorum apud *Livium* (y): *Quonam modo ea quæ jure belli acta ſunt, in diſceptationem veniunt?* Secundum quippe ſuam naturam bellum violentam notat diſſenſionem. Non hoc equidem dicimus, quod diverſa rerum facies ipſam juris quoque honeſtique naturam immutare queat, aut quod rerum ſtatus ſecundum ſui immutationem rationem juris quoque formare poſſit; verum cum dentur regulæ juris, quæ nō niſi certa negotia, eaq; non niſi ſub certa facie, certisque quibus veſtiuntur circumſtantiis dirigunt; mutato iſto habitu, aliaque rerum facie apparente, non in regula juris, ſed in rebus quas illæ formant, & negotiis quæ dirigunt, illorumque quem præciſe reſpiciunt ſtatu, aliquam contigiſſe mutationem cenſendum eſt.

(y) l. 39.

§. 17. Sic publica Gentium moratiorem acta docent, fidem pactorum, fœderum & promissorum obligare cum exceptione summæ & veræ necessitatis, in quam quis citra suam venit culpam, vel mutationis temporum nonnunquam. *In omnibus iis*, inquit *Grotius* (z), *quæ humani sunt instituti, excepta videtur necessitas summa, quæ rem reducit ad merum jus naturæ.* Necessitas incolumitatis hic intelligitur, quæ cum hominem urgeat, ut omni studio ad sui conservationem, ex instinctu omnibus animantibus communi, connitatur; uti sui conservandi gratia fœdera & pacta populi inter se ineunt, ita contra hunc naturalem affectum in certam, præsentemque suam perniciem & interitum, contra finem fœderum nemo paciscì præsumitur. *Præcepto non est opus*, B. inquit *Augustinus* (a), *ut se quisq; & corpus suum diligat; id est, id quod sumus, & id quod infra nos est, ad nos tamen pertinet, inconcussa naturæ lege diligimus quæ in bestias quoque promulgata est. Nam & bestiæ se atq; corpora sua diligunt.* Exceptionis huius expressæ passim exempla tam in antiqua, quam in recentiori occurrunt Historia; de tacita moratiorum Gentium acta loquuntur. Nicolaus à Ponte in Curia Romana Orator Venetus, pacem cum Selimo II. Turca reliquis fœderatis inconsultis factam excusans apud *Iustinianum* (b), *Venetos necessitate adactos*

z) *l. 2. I. B. c. 6. §. 5. ad l. 2. c. 25. §. 4.*

a) *1. de doctr. Christ. c. 26.*

b) *Hist. Ven. l. 10. f. m. 352.*

adactos in pacis firmandæ cum hoste consilia deveniße ait, *ne momento temporis Respublica & libertas tot seculis conservata manifesto periculo subjiceretur*: Pontifice tantum *Silentium* Reipublicæ Legato exprobrante. Henric. IV. Franciæ Rex Vervinii An. 1598. de pace cum Hispano agens, Andream Huraltum Messium in Angliam ad Elisabetham misit, qui pacis cum Philippo negotii rationes coram explicaret; cum vero Angli, uti loquitur *Thuanus* (c), *haut obscure minus constantem in fœdere voluntatem Gallorum arguerent, & quasi fidem datam oblique reposcerent*: *Uno verbo satisfactum* gravissimus tradit scriptor: *Reges non aliter pacem & fœdera inter se facere, quam cum hac tacita conditione, ut quod rebus suis utile est, semper amplectantur, quod perniciosum est, caute devitent. Ita à Rege exigi non debere, ut bellum periculosi eventus cum Hispanis, quam cum iisdem pacem rebus suis salutarem habere malit &c.* Eandem *necessitatem* tacite exceptam, mobilemque sociorum voluntatem arguentibus, ab accusatis *mutationem temporum* objectam, nostri temporis docent Acta apud *Locoen.* (d) *Londorp.* (e), & *Diar. Europ.*

c) *l.120.f.781.*

d) *Hist. Suec. p.m 769. 804.*

e) *t.8.f.207.*

§. 18. Ita quanquam Legatos tam belli quam pacis tempore sanctos & inviolabiles haberi Gentium jus præcipiat, sanctitatem tamen hanc suspendi simul à certis circumstantiis, certisque conditionibus, sæpius prudentiæ rerumque civilium Do-

ctores monuerunt. Quod si enim nomen suum non sit professus, atque sui characteris fidem facere nolit, vel non possit; aut pro Legato non sit agnitus; vel si noxia & hostilia molitur contra statum ad quem missus est; vel alia ratione suo privilegio enormiter abutitur, jura legatorum pro se valide non allegabit. Henric. IV. Franciæ Rex, prudentissimus Princeps, Legato Hispano, ob Secretarium, quod contra fidem publicam proditorie regium ministrum corrumpendo egisset, carceri inclusum conquerenti, ita, ut legitur in *Mercur. François* (f), respondit. *En quel lieu avez vous appris, que les Ambassadeurs (ou leurs serviteurs) tel que vous estes, peuvent machiner contre l'Estat du Prince, aupres du quel ils resident?* *Neque enim*, ut loquitur *Paschalius* (g), *jus Gentium protegit Legatos, ut ipsi tanquam ex insidiis, & quodam munimine quos lubitum erit, destinent ad ictum, sed in hoc solum ne ipsi lædantur.* Malam hinc Legatorum fidem allegare, vel fingere potius solent Turcæ, ut ob eosdem male habitos, læsi juris Gentium infamiam à se amoliantur. Ita nec Gentium jure Legatis admissio debetur simpliciter (h), quem pro statu rerum præsentium aditu arcere si genti nunquam liceret, non ex suo, sed alterius arbitrio, contra libertatis nemini obnoxiæ jura, res suas agere teneretur. Illustris huius Legatorum juris (ab aliis enim tam ex an-

f) *apud Besold. de Leg. p. 73 seq.*

g) *de Leg. c. 27.*

h) *Grot. l. B. II. 18. 3. ad. Alberic. Gentil. de Leg. 2. 5. p. 80*

ex antiquiori, quam recentiori historia adducta nolumus repetere) discussio facta an. 1658. inter Suecos atque Brandeburgicos legitur apud *Loccen.*(i) & *Londorp.* k) Brandenburgicis Legatis ægre ferentibus, *quod a Rege ad audiendum non admitterentur, gratam licet legationem sibi a Brandeburgico fore ante significasset*; Suecis excipientibus, in casu isto dubio & suspecto, quo tum res versabatur, *mentem mittentis, rationem Legationis, & potestatem Dnn. Ablegatorum pro more inter Reges Populosque sueto, sciscitari* sibi licuisse, *antequam inter tot, tantaque dubia de admissione quicquam statueretur*: cum *gentium jus etiam* **bono decentiq; ordine** *velit observari.*(l)

i) *Hist. Suec.* l 9 p. 832. sq

k) *Act Publ. Cont.* 1 8. f. 3:4. sqq. 363. sqq.

l) *Londorp.* l. c. f. 365.

§. 19. Supra diximus, fidem publicam gentium jure absolute præcipi, quod sic intelligi debet: Quod sc. nullum detur vitæ humanæ tempus, nullus Gentium status, vel casus, quo fidem datam fallere, vel perfide agere licet. Materia autem circa quam fides data versatur, haud raro sic se habet, ut ad certum tantum rerum statum pertineat, qualia sunt, quæ gentes inter se de Induciis, de commeatu, de captivorum redemtione(m) paciscuntur. Sic, uti *Grotius* (n) loquitur, *si una pars fœdus violaverit, poterit altera à fœdere discedere: nam capita fœderis singula conditionis vim habent*: Nisi, quod sæpius fieri solet, expresso articulo aliter sit cautum, Nonnunquam etiam pro-

m) *Grot. l. B. P. III.* 21.

n) *l.* 2. l. *B. c.* 15. *n.* 15.

promiſſa, pacta, certo annorum numero circumſcribuntur, quo finito obligatio quoque exinde nata exſpirat: quam etiam bello tolli ſæpe contingit. Licet itaque fides non ſemper abſolute, nec ad ſemper detur, abſolute tamen verum eſt, fidem eo quo inter gentes data eſt modo ſancte debere ſervari.

§. 20. Jus Gentium *Conceſſivum* appellamus, quo genti datur facultas ad aliquid agendum vel habendum. Non equidem nos latet(o), quod Gentium jus ſit ſpecies juris ea ſignificatione, qua jus idem valet quod lex, & proinde vim obligandi habet, cum conceſſio, etſi facultatem agendi vel aliquid habendi populo conferat, eundem tamen ad agendum vel habendum non obliget; attamen cum ea alias obliget gentes, ne genti cui iſta conceſſio facta eſt, impedimentum ponant, & ſic efficaciam quandam legalem adverſus eaſdem exerat, quo minus ſub complexu J.G. quoque contineatur, nil nobis obſtare videtur. Loquor de *conceſſione juris*, & quidem *plena*, non nudi *facti*. Dari vero leges quæ conceſſionem, tam plenam, quam non plenam, formula etiam expreſſa inſinuant, ſatis conſtat. *Plutarch.*(p). Lycurgi leges enarrans, jus & facultatem agendi conceſſam expreſſurus, utitur voce ἐξῆν, *licebat*. Eadem voce ἐξεῖναι, de cæde furis nocturni ſanciens *Solon*, & legem

o) *Grot. I.B. l.1. 9.13.14.*

p) *t.1. Opp. Lycurg. f. 49.*

legem eiusdem referens *Demosthenes*(q) usi sunt. Sic in LL. Romanis sæpe legitur: *uti potestas esset*; vel: *Ius esto. Plinius*(r) *lege duodecim tabularum cautum fuisse* dicit, *ut glandem in alienum fundum procidentem liceret colligere.* In LL. Longobardorum apud *Lindenbrog*(s). hæc extat Constitutio: *Si quis liber homo migrare voluerit aliquo, potestatem habeat intra dominium regni nostri cum fara sua migrare, quo voluerit, sic tamen si a Rege ei data fuerit licentia.* Ad hoc Gentium jus referre licet occupationem terrarum & insularum vacuarum à possessoribus, rerumque quæ nullius sunt, cum hoc effectu, quo locus in theatro communi vacuus occupatur, de quo *Cicero*(t): *Theatrum cum commune sit, recte tamen dici potest, ejus esse eum locum, quem quisq; occuparit.* Quo tamen numero minime venire possunt Barbarorum insulæ, atque terræ; cum inventores illorum minime in vacua pervenerint, ut jure occupationis eorum quæ nullius sunt tuti esse, aliosque ne commerciorum gratia illas insulas adeant, arcere queant.

q) *adverf. Timocr. f. 476.*

r) *lib. 16. H. N. c. 5.*

s) *Cod. LL. Antiquar.*

t) *3 de fin.*

§. 21. An & quousque mare, tam quoad imperium, quam quoad dominium & proprietatem occupari G. Jure possit? clarissima quæq; hactenus sic discusserunt ingenia, ut res ad liquidum videatur perducta. Historiam controversiæ, momentaque sententiarum dissidentium exhibet, com-

comparatque *Bœclerus* (u). Falli nobis creduntur, qui dominium imperiumque maris Gentium jure non concedi affirmant; nec verum est quod *Vasquius* (x) contendit, *notum sc. esse, quod mare ab origine mundi ad hodiernum usque diem sit, fueritque semper in communi, nulla ex parte immutatum.* Nam ut de divina concessione taceamus, certum est, liberis populis ex libertatis suæ privilegio hoc Gentium jure concessum esse, ut Reipublicæ suæ tuendæ, conservandæ & amplificandæ gratia facere possint, quæcunque cum aliarum gentium incommodo, damno & injuria non sunt conjuncta. Referre huc licet Ciceronis (y) Philosophiam. *Sibi ut quisque malit, quod ad usum vitæ pertineat, quam alteri acquirere, concessum est, non repugnante natura. illud natura non patitur, ut aliorum spoliis nostras facultates, copias, opes augeamus.* Quare cum vicinum à populo mare occupari incolumitatis, securitatis, propriæque utilitatis ratio sæpe imperet; jure Gentium sane per se ista occupatio prohibita censeri non poterit. Laudat Minois hoc nomine propositum *Bœclerus* (z), quem *& jure regio, & consilio regio occupasse videri* ait *mare vicinum, ad tutelam & incrementum regni Cretensis, id est, ut regno Cretensi, & incolumitas sua constaret, & potentia amplificaretur.* Hispanorum contra consilium, qui id agebant ut Anglos à naviga-

u) *Com. Grot. P. II. p. 48. sq.*

x) *Controv. Illustr. l. 2. c. 8. n. 31.*

y) 3. *Offic. p.* 56.

z) *Diss. de Mon. Maris Domin. p.* 4.

navigatione Oceani excluderent, gentium juri adversari Elisabetha Angliæ regina affirmavit apud *Camdenum.* (a) *Fernand. Vasquius* (b). *insanam* vocat *opinionem.* Præterea cum omnium gentium intersit, commercia sine impedimento per orbem libereque exerceri, illas à dominio maris excludendo. ad universalem in mari Monarchiam, vel universi maris imperium grassari gentem, reliqui sane populi, quibus navigationis beneficium ad commercia per orbem exercenda æque est necessarium, ceu illicitum & juri Gentium contrariũ non permittent. Occupationem autẽ maris quoad certam partem gentium jure concedi, consensus populorum & sapientum hodie docet.

a) *Elisabeth. ad. an.* 1580. *f.* 309.
b) *l.c. n.* 3[illegible]

§. 22. Effectus huius dominii ex J. Gentium concessione quis sit, plus difficultatis habet. Negari nequit, jure humanæ societatis, qua gentes consociantur, jus navigandi sic liberum, populisque gentium jure ita concessum esse, ut sine justa causa absque injuria usus maris, atque fluviorum ulli denegari non possit. Pertinet huc locus *Senecæ* (c): *Deus quædam humano generi in universum dedit, à quibus excluditur nemo &c. commune autẽ bonum erat patere cõmercium maris, & regnum humani generis relaxari.* Cum vero dominii jure G. concessi effectus hic sit, ut alios ab usu rerum tuarum arcere possis, hanc

c) 4. *de Benef. c.* 2[illegible]

hanc navigandi libertatem, non plane absolute se habere, sed ad decentem inter gentes ordinem determinari necesse est. Temperamentum nimirum proprietatis rerum

d) 1. Off. p. 11.

hoc est, judicio *Ciceronis* (d), *ut quicquid sine detrimento possit commodari, id tribuatur cuiq; vel ignoto. Non prohibere aquam profluentem; pati ab igne ignem capere: consilium fidele deliberanti dare: quæ sunt iis utilia qui accipiunt, danti non molesta.* Humanitatem hoc nomine Lusitanorū

e) *Navig. Batav. in Ind. an.* 1595. *p.* 64.

Levinus Hulsius (e) laudat, quorum Rex insulam Helenæ in vasto Oceano prominentem, quam occupationis titulo sibi vindicat, ab incolis vacuam, in navigantium commodum, ad vires recipiendas, manere voluit. Ex quo patet, circa usum maris, negotiandique atque navigandi libertatem, ex J. G. concessione, quatenus illud populos hic dirigit, suum jus utramq; habere gentem, tam eam penes quam est dominium, quam illam, cui maris atque commerciorum usus est necessarius; ita ut commune illud jus ad communem vergat utilitatem, sic tamen ut in pari necessitate privatæ utilitatis prior atque potior sit ratio domini atque possidentis, cui ex vi dominii & exinde nato privilegio aliorum interesse de jure & naturaliter cedit. Unde & istum maris usum, qui partim non est inexhaustæ utilitatis, partim populo; maris domino noxius esse potest, ab alia gente petitam

petitam publica docent Acta, constatque de Piscatione ex *Seldeno*, *Pontano*, *Morisoto*, apud *Loccen* (f): & *Bœcler*. (g) f) *Iur. Marit. l.1.c.9.p.93.*

§. 23. Cæterum ut maris occupatio Gentium jure concessa est cum exceptione usus, qui est innoxiæ utilitatis & humanitatis; ita *secundum quid* etiam conceditur eodem jure usus belli, cuius status non est naturalis generi humano, sed *subsidiarius*: cum tum bellum demum gerendum sit, si pace frui aliter non possimus. Ἐγὼ γὰρ φοβερὸν μὲν εἶναί φημι, τὸ πολεμεῖν, inquit *Polybius* (h), οὐ μὴν οὕτω γε φοβερὸν, ὥστε πᾶν ὑπομένειν χάριν τοῦ μὴ προσδέξασθαι πόλεμον, *ego metuendum esse bellum equidem non abnuo; sed non usque adeo metuendum, ut ejus vitandi gratia omnia velis sufferre*: & pace proinde rursus finiendum. *Nam si concertantes nunquam inter se convenirent, infinitum omnino bellum esset; quod si finem non est habiturum, de statu hominum ac naturæ eos, qui in illo sunt occupati, est aptum dimovere*, scribit ad Cosroëm Persam Justinianus Imp. apud *Procopium* (i). g) *Crit. Marit. c.5.* h) *Hist. l.4. c.31.* i) *2. Bell. Pers. f.165.*

§ 24. *Absolute* autem juris Gentium concessivi est potestas fœdera pangendi, populos arctiori inter se vinculo constringens, ad mutua præstanda auxilia; variamq; supplendam indigentiam, in socialitate gentium fundata. Fœdera hinc cum barbaris, & qui à vera religione alieni sunt inita populis, jure Gentium per se non improban-

probantur, nisi ex vitio contrahentium, vel ex aliis circumstantiis. Sancte etiam eadem servanda sunt, nec religionis causa, quæ societatem gentium non tollit, rumpenda, cum eiusmodi perfidia semper Deum ultorem habuerit; tantum abest, ut cum Gentium jure conciliari queat illud omni humani generis consociationi inimicum axioma: *Hæreticis non est servanda fides.* Consilii tamen & prudentiæ non minoris est, ut hic caute res agatur. Prætereacum jus hoc non habeat quotidianum exercitium, sed ubi commodum videtur, illud non amittitur, si vel maxime per complures annos, cum vicinis aut aliis nullam gens habuerit societatem, cum absolute sit concessum, tam quo tempore, quam cum qua gente velit fœdus pangere; nisi, uti *Grotius*(k) loquitur, *ex quo tempore intercessit prohibitio & coactio, eique paritum est cum sufficienti consensus significatione.* Eodem jure licet damni per injuriam ab alio populo dati restitutionem læsæ genti petere. *Aequissima vox est*, inquit *Seneca*(l), *& jus gentium præ se ferens: Redde quod debes.* Legati hinc mittuntur ad res repetendas, quod Romanis olim solenne fuisse *Livius* passim testatur. Finis hic clarigationis est Gentium jure receptæ; unde *Plinio*(m) *clarigare* est *res raptas clare repetere.* Erravit hic olim magnus Moscoviæ Dux, *nolens audire, Christiani non esse, nec jure gentium licere in-*

dictas

k) 2. I. B. P. 4. 15.

l) de Benef. 3. c. 14.

m) 22. H. N. c. 2.

dictas inimicitias exercere, & bellum gerere, priusquam ille, à quo injuria orta, moneatur illatam injuriam resarcire, & ab injuria absistere, autore *Camdeno* (n). n) *Elisabeth f. 342.*

§. 25. Solent præterea etiam nonnulla Gentium jure minus perfecte concedi, quæ proin juris Gentium *concessivi imperfecti* dici possunt. Talia sunt, ad quæ agenda, & ab alia gente postulanda, altera equidem jus aliquod habet, sic tamen ut & ista ex gravibus causis non solum huic ea quæ efflagitat licite denegare nonnunquam possit, sed & licet inique ea quæ debet huic deneget, eidem tamen non inferat injuriam, ut armis illam vindicandi plenum jus habeat. Tale est jus transeundi per alterius ditiones, atque jus istum transitum petendi, quem *si ne negetur, vindicari statim posse*, ego ita simpliciter cum *Grotio* (o) non asseruerim; cum denegatus transitus per se non sit cum injuria conjunctus. Sic si populus cum altero nolit commercia exercere, is qui sic arcetur, non sic statim læditur, ut pro injuria id interpretari jure possit; cum jus commerciorum libertatē à gente alia postulandi, imperfectum sit: Nec cum *Francisco à Victoria* (p), & qui eum hac in re sequitur *Grotio* (q), eam commerciorum adstruimus libertatem, ut nemo qui negotiandi causa populum adit, prohiberi possit. Simile est, si gens invitata in fœdus cum alia descen-

o) *l. B. II. 2. 13.*

p) *Relect. 5. f. 3. p. 2*

q) *l. c. §. 19.*

dere nolit: vel si à pacato ut eius ditionis locum occupare sibi liceat, altera pars belligerantium efflagitet. Cum enim jus talia postulandi, connatum licet gentibus, iisq; qua talibus competens, imperfectum sit, non nisi imperfecta obligatio ei respondebit. Imperfectum autem esse inde patet, quia perfectum & plenum jus in rem non nisi ex dominio nascitur, cuius hæc est vis naturalis, ut non solum à proprietate, sed etiam ab usu, & possessione istius rei sic alios excludat, ut licet invito domino illius instituta usurpatio nihil damni rei attulerit, illa tamen juri domini vim aliquam intulisse dici possit. Taceo hanc sententiã iisdem premi incommodis, quibus rerum communio, quæ nunquam fuit, si quæ vigeret, premeretur. Unde quod ex gentium societate, & quam gens genti debet humanitate, jus habet populus, non nisi imperfectum esse potest. Jus autem imperfectum perfecto cedere, & quæ imperfecte debentur, etiam sine iniuria denegari petenti posse, dubium non est.

§. 26. Fateor quæ debentur ex jure imperfecto nonnunquam etiam inique denegari: Id vero non fit, quando usus rei, quem sibi alius concedi postulat, cedit usui quem dominus ipse prætendit, cum in pari necessitate, & inter pares semper potior sit conditio domini; sed quando res, & rerum

rum usus quatenus innoxiæ est utilitatis, cuius tamen æstimatio domino rei permitti debet, plane inhumaniter denegantur. Non tamen talia denegata sufficientem bello causam justificam præbent, licet ita videatur *Alberico Gentili* (r), ceu imperfecte debita, donec inhumanus denegantis animus in plane hostilem degenerans, damna per iniuriā non ferendam genti inferre moliatur, quæ non nisi ab hoste dari possunt. Graviter interim eximius Historiæ Byzantinæ Scriptor *Nicephorus Gregoras* (s), omnem inhumanitatem notavit: Εἰ δέ τις φειδοῖ χρώμενος, μὴ διαδόσιμα βούλοιτο γίγνεσθαι τὰ καλά, μὴ καὶ λάθῃ νόμον οὗτος διὰ πάσης γράφων γῆς κακίας ἀρχηγέτην, καὶ ἐς κύκλους, ἵν' εἴπω, βάραθρα καὶ σκοτεινοὺς ὀλίσθους ὅλῃ ῥύμῃ ξυνωθῶν τοὺς τοῖς ἐπιμιξίας λόγους. Καὶ περιφανῶς ἀδικῶν, δι' οὓς ἐκείνῳ τοῦτο ἐχαρίσατο τ' ἀγαθὸν ὁ τῆς φύσεως δημιουργός, *si quis adeo tenax fuerit, ut bona distribui nolit: ei cavendum erit, ne legem per orbem terrarum ferat omnis improbitatis autorem, & omnes congressus, omnia commercia funditus tollat: beneficentiæ divinæ ingratus, à qua illa omnia quæ habet accepit.* Quæ tamen sic imperfecte debentur, pacto inter gentes utrinque promissa & acceptata, promissorem perfecte obligant.

§. 27. Gentium juris concessivi quoq; sunt, si quæ dantur inter gentes qua tales *servitutes*, quæ uti *Pufendorf.* (t) loquitur, intuitu

r) *l. B. 1. 19.*

s) *Hist. Rom. l. 8. f. m. 146.*

t) *I. N. G. l. 4. c. 8. n. 6.*

intuitu ejus cui debentur sunt jura certum emolumentum aut commodum ex re aliena percipiendi, aut prohibendi, ne dominus sua re omnibus modis utatur. Intuitu autem eius qui eas debet, sunt obligationes alteri emolumentum ex sua re concedendi, aut in alterius commodum abs certo usu suæ rei abstinendi. Constituuntur eiusmodi servitutes vel pacto gentium expresso, vel etiam tacito, quod cognoscitur per signa, quæ alias gentium consensu & praxi ad significandum consensum alterius referuntur, & ordinata sunt. Imponi etiam eædem possunt tam mari quam terræ; cum utriusque detur dominium, quod sic imminui non repugnat, ut teneatur dominus pati, alterum in suo id agere, quod illius commodo inservit. Nota est contentio gentium circa *jus piscandi*, eiusq; titulum: An vero continuatio huius rei, & exercitium utrinque non omissum, servitutis mari impositæ nomine à petentibus allegari possit, ab aliis discussum est.

§. 28. Cæterum cum jus Gentium jus sit humanum, gentium voluntate introductum atque receptum, etiam in hoc indolem juris humani imitatur, quod sicut jure civili quædam sunt non laudabilia natura concessa, vel potius ut à concessis cum *Dn. D. Alberti* (u) accuratius talia distinguamus, *permissa*; cuius permissionis hic est effectus, ut is non impediri, nec puniri

u) *Comp. J. N. P. I. c. 1. §. 3.*

soleat,

foleat, cui fic agere placuit; etfi interna facultate agendi minime fit inftructus, factumque lege minime probetur; de quo fic loquitur *Porphyrius* (x): Ἐπειδ' οὐδ' ὁ νόμος ἑτέραις ὁμιλεῖν ἀπαγορεύει τοῖς πολλοῖς, ἀλλὰ καὶ πραττόμενος ταῖς ἑτέραις τὸ μίσθωμα, ἐπονείδιστον ἡγεῖται μετρίοις ἀνδράσιν, καὶ αἰσχρὰν τὴν πρὸς ταύτας ὁμιλίαν, *enimvero lex vulgus non prohibet, ne meretricibus confuefcat: fed à meretricibus ipfa mercedem exigens, hominibus tamen mediæ tantum bonitatis probrofam & turpem cum meretricibus cenfet confuetudinem*: Ita pari ratione multa gentium jus permittit, non quidē ut talia honefte & licite, fed ut impune committantur, impunitate fc. exteriori nō interiori, quæ vel in cōfcientia fentitur, vel quod aliis divinis pœnis fe nō reddant obnoxios populi, qui talia cōmittere non erubefcunt, inter homines licet impune commiffa, & ob imperfectionem rerum humanarum neceffario permiffa. Multa funt, ad quæ Gentium jus per meram tolerantiam connivet quidem, quæ tamen minime probat, & à quibus pudor homines revocare debet, juxta illud *Auguftin.* (y), *fi correctio pigra eft, faltem affit pudor*: Turcæ apud *Leonclav.* (z), qui pudorem hunc exuunt, *denigratam faciem habere* dicunt. *Bonfinius* (a) Attilam deliberantem, an cum Mediolanenfibus deditionem facientibus benignius ageret, an verba daret, *pudori confuluiffe* tradit. Eximia

x) *de abft. l.4.c.18 p.m. 171.*

y) *contr. liter. Petil. l. 1.c.18. t.7. Opp. f.82.*

z) *l.8. Hift. Mufulm. f. 383.*

a) *Rer. Vngar Dec. I. l.1 f.m.97.*

mia ſunt ſcriptoris verba: *Quùm rerum opulentia, ab omni regem humanitate deverteret, perfidia pudorem ſuſcitabat, ſtudioſaque liberaque deditio, ab omni fraude vindicare conatur.* Apud *Xenophontem*, (b), *ſocios Lacedæmoniorum præ verecundia nunquam commiſſuros* ait Patrocles, ut nullas *Athenienſibus*, ſi illis auxilia tulerint, *gratias referant.* Solymannus Imper. Turc. *in captivos ſe vitæ necisque habere poteſtatem* olim jactavit (c): Ex quo adhuc hodie in captos Barbari crudeliter ſævire ſolent (d). De Muſtapha, homine ſine fide & ad fraudem acuto, quo duce utebatur Amurathes III. Turc. Sultanus contra Chodabendam Perſarum regem, autor eſt *Minadous* (e), quod, ut Perſis terrorem maiorem iniiceret, *captivos omnes capite plecti, & remotis truncis capita in formam propugnaculi, horrendo ſane, & nunquam prius audito ſpectaculo diſponi juſſerit.* Pudor ſane, ſi præ barbarie & immani ferocia eius ſenſum admitterent, ab hac licentia eos revocare deberet.

b) *Hiſt. Græc. l. 6. f. 611.*

c) *Caſpar Ens Hiſtor. Rer. Vngar. l. 5. p. 197.*

d) *Vid. Theatr. Europ. t. 9 f. 1159.*

e) *Belli Turco Perſic. l. 1.*

§. 29. Cauſa quare gentes ſæpe numero ſic connivere ſoleant, vel etiam impune complura permittant, aut permiſſa cenſeant, quæ à juſti rectique regula deflectunt, partim eſt rerum humanarum imperfectio, quæ ob multiplicem mortalium malitiam & ferociam non omnia ad liquidum perduci patitur; atque ad illorum σκληροκαρδίαν

παρϛδίαν respicere sæpe cogit, ita ut connivere melius interdum sit, quam *intempestivis remediis delicta accendere,* ut *Taciti* (f) huc accommodemus verba. Unde & contra multa in bello, quibus mentes exulceratæ exacerbantur, commissa, jure naturæ licet prohibita, Gentium jus nullum prodit remedium. Partim necessitas, quæ in casu ancipiti, cum aliud remedium non suppetit, majoris mali vitandi gratia, actibus quibusdam effectus juris tribui permittit, qui tamen ex justitiæ internæ regulis minime proveniunt. Πότερος πότερον ἀδικεῖν ἤρξατο καὶ παρανομεῖν, οὐδεὶς ἔχει ῥαδίως λέγειν, *quisnam alterum lædere atque injuria afficere incepit, nemo facile dicere potest,* ait *Isidorus Pelusiota* (g); quod mox sic expressit: οὐ ῥᾴδιον τὸν κατάρξαντα, καὶ τὸν ἀκολουθήσαντα εἰδέναι, *haud facile est, eum, qui lacessivit, & eum qui secutus est agnoscere.* Unde cum de controversiis gentium, cuiusque causa justior, pronunciare non solum difficile, sed & periculosum sit; illarum conscientiæ, atque armis tanquam unico juris sui consequendi & conservandi, tranquillitatisque publicæ stabiliendæ remedio res est permittenda, ita ut non ei tantum, qui *ex justa causa bellum gerit, quique lædit intra modum naturaliter concessum, lædere hosti hostem liceat, & in persona & in rebus, sed indistincte,* ut *Grotius* (h) loquitur, ut nec is, qui ex causa iniusta bellum gerit,

f) 12. *Annal.* 54. 3.

g) 3. *Epist.* 333.

h) 3. *I. B.* 4. 2. *seq.*

modo adſint quæ ex Gentium jure, ut bellum juſtum dici queat, requiruntur; vel hoſtem ultra temperamenti bellici, juſtitiæque internæ regulas lædit, *puniri poſſit in alieno territorio deprehenſus tanquam homicida, aut fur, nec bellum ipſi ab alio talis facti nomine inferri.*

§. 30. Etſi vero complura ſic inter gentes impune exerceantur, & hoc nomine externam quandam præ ſe ferant juſtitiam, iſta tamen impunitatis licentia, ſine ulla legis actione ex ſola conniventia exorta, juris titulo non niſi plane æquivoce ſuperbit. Nulla gens fere datur, quæ non amet in bello proditiones, quicquid ſit de uno alterove caſu, quo illæ diſplicuere; nec ob illarum uſum gens gentem læſi juris gentium hodie accuſat: gentium tamen jus, conniveat id licet, talibus prætexere non licet. Conniventia enim per ſe jus non dat, ſed ſaltem agentem agere ſinit, diſſimulando nec accuſando, & de ſuo jure quaſi cedendo. Ex quo tamen non ſequitur, quod gentium jure ita rigide non eſt, vel potius non cenſetur prohibitum, ab eodem jure æſtimationem alicuius juſtitiæ mutuari. Pertinet huc locus *Senecæ* (i): *Quam anguſta innocentia eſt, ad legem bonum eſſe? Quanto latius officiorum patet, quam juris regula? Quam multa pietas, humanitas, liberalitas, juſtitia, fides exigunt: quæ omnia extra publicas*

(i) *2. de Ira c. 27.*

publicas tabulas sunt? Referas huc etiam illud *Tertulliani* (k): *Sed quod non prohibetur permissum est: imo prohibetur, quod non ultro est permissum.*

k) *de Coron. Milit. c.2.* & *n.449.*

§. 31. Dicuntur denique alia esse juris Gentium *universalis*, alia *particularis.* Nimirum sicut jus civile aliud datur omnibus civibus commune; aliud certo civium generi, atque ordini proprium, & particulare; ita *Grotius* (l) aliud gentium ius *universale*, aliud *gentium Europaearum*; aliud *gentium omnium*, aliud *meliorum* (m) facit. Frequenter etiam in praxi distingui solet inter ius *gentium omnium*, & *moratiorum*. Supra in *Zouchaeo* minus placuit ius gentium *particulare, duorum* etiam *populorum*, nec multo mentem. Grotianam autem Philosophiam cum nostra sic coniungimus, ut *universale* omnium *gentium jus* illud appellemus, quod ex ratione socialitatis ad omnes gentes pertinet, illasque ideo quod cum cæteris sociales esse debent obligat, sive illud observent, sive non. Caput huius iuris est, sanctimonia Legatorum; præceptum de abstinentia à bonis alterius: Sic iuris Gentium concessivi universalis est bellum, cum nullus in universo orbe detur populus, qui non sibi justis de causis bellum gerere licere credat. Quanquam vero ius istud gentium de captivis non ab omnibus observetur, non tamen datur populus, qui

l) I. *B. P. Ill.* 4.16.

m) *L. c. n.19. ad. l.III.c.9. §.8.*

qui sibi ex isto jure non esse facultatem captos servos faciendi concessam existimet. *Ius* autem *Gentium particulare*, sive Europæarum, meliorum, atque moratiorum dicimus, quod decentioris ordinis gratia in vita sociali, intuitu maioris honestatis atque humanitatis, civilioribus placuit populis, inter quos quotidianum intercedit commercium, quales sunt præprimis gentes Europææ: Caput huius iuris est, ne hostem veneno interficere liceat, alibi prolixius à nobis explicatum (n): Intuitu humanitatis & Christianæ Charitatis placuit mitior bello captorum conditio. Nec dubium est, quin hoc gentium ius particulare, sit gentium ius proprie tale. Nam ut taceam, quotidie ad illud à Gentibus Europæis provocari, veri iuris indolem habet, cum sit vinculum quo continentur gentes Europææ, quæ ob nominis Christiani, gradu puritatis licet religio multum variet, communionem, à barbaris & infidelibus peculiarem, atque insignem generis humani cœtum, ex compluribus gentibus constantem, constituunt; inter quas frequentius, quam cum aliis populis intercedit commercium; unde & cum addito *jus gentium meliorum*, sive moratiorum, appellatur, a quo ad ius Gentium duorum populorum argumentari non licet, quod pactorum & promissorum potius nomine venire debet.

n) *de arm. in bello prohibit.*

§. 32

§. 32. Colligitur hinc, iuris Gentium usum esse in illis actionibus, quæ intercedunt inter populos liberos, ad eorum consociationem conservandam, decenter exercendam, læsamque & sublatam restituendam; quarum normam eo magis urgeri atque commendari æquum est, quo sæpius sibi populi persuadere solent, in summa fortuna id æquius, quod validius, & rempublicam sine iniuria geri non posse. Ad Gentium ius hinc in publico quod inter gentes intercedit commercio provocari, notum est.

§. 33. Præterea cum ea quæ iuris gentium esse dicuntur, non eodem se habeant modo, cum alia ne omittantur, sint præcepta; alia ne ab aliis prohibeantur concessa; alia à pœna quam hæc regula gentium dictat alias delinquentibus exemta, atque per meram conniventiam, sine approbatione, aut iuris sive interni sive externi concessione, permissa: in praxi vero nil sit frequentius (o), quam ut gentium iuris aliquid dicatur esse, quod ab aliis vel non multum attenditur, vel plane negatur; omnino necesse est, ut quomodo ad Gentium ius aliquid pertineat, dispiciatur, quo de obligatione gentis adversus gentem eo rectius iudicetur. Hoc cum sæpe negligatur, mirum non est, alios eo ruere præcipites, ut quia ex opinionum diversita-

o) *Vid. Frid. Horn. de Civit. p. m. 426 seq.*

versitate se extricare nesciunt, gentium ius plane rideant, & pro Scholarum figmento habeant.

ARTIC. XI.

De

Obligatione juris Gentium.

§. I.

VAna omnis de Gentium iure disputatio est, nisi populos valide constringere possit, quo actus suos secundum illius regulas conforment. An ergo tale vinculum voluntati illorum sociale hoc ius iniiciat, adhuc disquirendum restat.

§. 2. De eo vero dubium esse nequit, si cogitemus, Gentium ius esse vinculum consociationis gentium qua talium, quod æque sancte proin habendum, nec fœde disrumpendum est, atque quilibet populus adversus alterum socialis esse iubetur. Referre huc licet illud *Oppiani* (a) ex *Lippii* versione:

a) *Halieut.* *l.* 1. v. 421.

Singula primo
Sunt distincta locis & certo fœdere juncta
Et nodi invicti, concordi pace ligata.

Nec gentes, si quid inter illas controversiæ exoritur, ad illud provocarent, si omni virtute obstringendi penitus careret; nec de-

linquen-

linquentem contra hæc iura ceu hostem humanæ consociationis, & turbatorem publicæ tranquillitatis detestarentur, si illa impune transgredi liceret. Ἐστὲ οὐδεμίας συγγνώμης ἄξιοι, πολλάκις ἐς σπονδὰς ἡμῶν ὑβρίσαντες, καὶ τὰ τελευταῖα νῦν καὶ ἐς πρεσβείας ἁμαρτάνοντες οὕτω φανερῶς καὶ ἀθεμίτως, ὡς μήτε ἐξαρνεῖσθαι, μήτε ἀντιλέγειν ὅτι μὴ τῆς ἐσχάτης δεῖ τιμωρίας ἄξιοι, *Vos quidem nulla venia digni estis toties violatis fœderibus, & postremo legatis quoque: quod nefarium facinus tam manifestum est, ut extrema quæque pati sitis meriti, vestra etiam confessione*, ait ad Carthaginienses, toties violati Gentium iuris reorum, legatos Scipio apud *Appian*. (b) Nec sapientes denique scriptores, æquique rerum æstimatores ad atrocitatem sceleris, à Gente gentisque rectore commissi, augendam iustitiamque belli illati, ceu minime dubiam asserendam, gentium ius violatum toties notassent, nisi mutuo atque reciproco nexu ad eius observantiam populi obligarentur.

§. 3. De origine huius obligationis, & unde ius hoc vim habeat, gentes moraliter constringendi, & quo ab illis observetur obligandi, nobis ita videtur. Distinguendum nimirum censemus inter causam remotam, inadæquatam etiam, & causam obligationem inducentem proximam & adæquatam. Quanquam enim divortia hic dantur

b) *de Bell. Pun. f. 29.*

dantur ſententiarum, diſſentientes tamen nonnullos aliquid ex vero habere, nequit penitus negari. *Hobbij* (c) vero Philoſophiam quod attinet, cum is *eadem utriusque naturæ & Gentium juris præcepta* eſſe exiſtimet, & elementa iuris naturalis applicata & *translata ad civitates & Gentes integras, pro legum & juris Gentium elementis ſumi poſſe* doceat, & conſequenter iuris Gentium obligationem ex iure naturali derivandam, imo cum eadem coincidere dicere neceſſe habeat; concedimus quidem quod Gentium iuri aliqua obligatio ex iure naturali accidere poſſit, ſed non niſi remote, inadæquate, & vi materiæ, ſc. ratione certæ rei præceptæ, prout LL. civilibus eandem quoque nonnunquam accidere non repugnat. Nimirum præceptum iuris naturalis v. c. de reſtitutione in integrum, cum etiam *inter populos liberos intercedat*, uti poſt *Bodinum* etiam contra *Grot.* (d) diſputās *Conringius* (e) affirmat, & ſic iuris G. ſit, illam equidem obligationem quam ex iure naturali habet, in complexu præceptorum iuris Gentium, quod eſt ius à iure naturali diſtinctum, retinet, ſed ex illa non per ſe exurgit obligatio quæ eſt iuris gentium proprie, & à iure gentium, in quo illam naturalem dari obligationem per accidens eſt: Etſi non negaverim, populum in tali caſu contra ius gentium peccantem ſimul delinquere

c) *de Civ. c.* 14. §. 4.

d) *I. B. P. II.* 14. 1.

e) *de Fin. Imp. Germ. l.* 2. *c.* 19. §. 13.

linquere contra ius naturæ, uti qui furtum LL. civilibus prohibitum committit, una in ius naturæ quoque impingit, etsi nec obligatio LL. civilium proxime, adæquate & per se à iure naturali proveniat.

§. 4. *Hugo de Roy* (f) cum gentium ius *ratiocinatione humana, & moribus introductum esse* docuisset; alibi (g) ea iuris gentium dici ait, quæ *ratio naturalis omnium, usu ac necessitate passim exigente, omnibus gentibus bona & æqua esse censuit; & quia ab omnibus & singulis observari rationi naturali consentaneum est.* Verum cum quod ratio ceu melius suadet, eadem non statim præcipiat, nec exinde statim obligatio derivabitur. Quanquam enim ratio ex vi sibi congenita congruum aliquid gentium consociationi judicaverit ratiocinando, qua tamen ad communem id omnium pertinet utilitatem, ceu consilium, suadebit tantum, non obligabit: cum non intellectus præcise, sed voluntatis actus sit obligatio activa: unde ad hanc non nisi remote ratiocinationem gentium, voluntatem sc. præparando, concurrere necesse est. Qua vero hoc rationis dictamen honesta præcipit, coincidit cum Philosophia *Hobbij*, quam modo cõsideravimus. Simplex denique; rationis disquirentis usus, quam hic sit insufficiens, docetur à *Seldeno* (h).

§. 5. *Fridericus Hornius* (i), cujus alias de hoc argumento eximia etiam est Philo-

f) *de eo quod just. est. l. 1. t. 4. §. 4.*
g) *l. c. t. 7. §. 1.*
h) *l. N. l. 1. c. 7.*
i) *de Civit. l. 2. c. 2. § 6. ad l. 2. c. 9. §. 11. p. 429.*

Philoſophia, *ipſam obligationem in vero jure gentium, non ex conſenſu præſumpto; ſed intimo contextu Rerumpublicarum, & ſanctimonia ſocietatis, quæ populis invicem intercedit, peti poſſe ac debere contendit.* Sed diſtinctio hic facienda eſt inter fundamentum, rationemque obligationis quæ in vero jure gentium datur remotã, & cauſam eius proximam. Contextus rerumpublicarum gentiumque ſocialitas, menſura eſt atque ratio juris Gentium, & obligationis quæ in illo datur cauſa remota, proxime autem ab ea obligatio ipſa non exoritur. Quanquam enim vita ſocialis etiam gentibus pro imperio à Deo ſit injuncta, Gentium tamen Jus cum ſit humanũ, eius obligatio proxime ab humano, civiliter tamen ſatis valido principio erit arceſſenda.

§. 5. Proximum itaque obligationis, quam Gentium jus populis imponit, principium nos dicimus eſſe gentium voluntatem, in eiusmodi vinculum nexu reciproco ligans, conſentientem. Non male Seldenus (k): *ubi de humana diſpoſitione ſimpliciter ac ſolum videmus, aliter fieri nequit, quin hominum conſenſum ac fidem interpoſitam interdicti alicuius fundamentum primarium fateamur* Nec humana obligatio aliunde quam à voluntate, jus atque facultatem obligandi habente, peti poteſt. Sunt equidem Gentes pares, & uti liberæ, ita immedia-

k) *de I.N.G. 6.1.p.695.*

mediate soli Deo obnoxiæ; cuius hinc timorem sibi invicem inculcare solent: *An Dei prorsus contemptores estis*, scripsit ad Mauros fœderis ruptores Salomon, Africæ Præfectus Justiniani, apud *Procop.* (l): Nil tamen impedit, quo minus illimitata plenitudo agendi ex proprio arbitrio ab ipsis gentibus, salva uniuscuiusque summitate, impedimento aliquo morali circumscribatur. Licet vero sibi ipsi nemo per modum legis obligari possit, quo minus tamen quis se alteri, & sic quoque gens genti se obliget, eidemque jus aliquod adversus se acquirere cōcedat, & in eandem transferat, nil repugnat. Ad hoc vero ut par paris voluntati, eiusdemque agendi libertati, tale frænum iniicere possit, ut certam regulam sequi teneatur, nec de jure in diversa abire possit, requiritur utrinque consensus, cum tale vinculum juris adversus se in alterum transferendi, tum idem acceptandi; quem per consueta alias & recepta signa, quorum numero etiam tam facta, quam non facta contineri constat, exprimi necesse est. Quo dato, *fundamentum obligationis non quæritur*, ut quidem hoc nomine solicitus est *Frider. Horn.* (m) *in præsumpto consensu*, multo minus in *imaginario* (n); cum *quod sufficienter indicatum est, pro vero habeatur adversus eum qui indicavit*, uti loquitur *Grotius* (o).

l) *Bell. Vandal. l. 2. f.* 222.

m) *l. c.* 2. 2. 6.

n) *ib.* 2. 9. 11.

o) l. *B. II.* 4. 3.

§. 6. Gentium nimirum jus humanum jus cum ſit, eius obligatio non aliunde, quam ab humana voluntate derivari poterit. Et quanquam gentes à ratione ſociali & legis naturalis, quæ jus ſociale eſt, regulis, in actibus publicis nonnunquam dirigantur, & dirigi poſſe videantur; placuit tamen iisdem communi inſuper voluntate ad rationis dictamina eadem à cunctis obſervari, ſub obligatione etiam humana. Diſtinguendum enim hic cenſemus inter dictamina gentium practica, quæ ſunt & fuerunt ratio & norma voluntatis populorum; & inter efficacem gentium voluntatem, quæ effective de novo, humano ſc. modo obligat. Dictamina illa ſæpe ſunt rationis præcipientis, & legis naturalis, quæ una eſt, ſecundum illud Ciceronis (p); *Vnum eſt jus, quo devincta eſt hominum ſocietas: & quod lex conſtituit una.* Norma hæc ſunt, juxa quam gentes judicarunt, hoc & ſibi & aliis gentibus eſſe faciendum, illud omittendum; & cum id partim neceſſarium, partim etiam utile cognoverunt, in iſta dictamina, ut inter populos obſervarentur, ſingulari voluntatis actu etiam conſenſerunt; etiam conſenſuræ, ſi lege naturali talia humano generi non forent præſcripta: Uti legislator civilis adulteria & furta, quæ naturalis ratio ipſi turpia eſſe dictitat, prohibet, eadem ſevere prohi-

q) 1. *de LL.* p. 164.

prohibiturus, si vel maxime jus naturale nullum daretur. *Sunt enim jura publica certissima humanæ vitæ solatia, infirmiorum auxilia, potentum frena* (q). Præterea qua voluntate gentes voluerunt, bellum ut solenne sit prius denuntiari debere, vel quod liceat repressalias exercere, antequam ad justum descendatur bellum; eadem voluntate etiam voluerunt legatos sancte habendos, fidem datam servandam, & ab alieno abstinendum esse. Unde & non naturalis tantum, sed & humanæ permissionis est, ex gentium jure sc. descendentis, quod juris sui vindicandi ergo bellum liceat gerere, ut de aliis juris gentium effectibus à voluntate humana introductis taceamus, de quibus passim *Grotius*.

q) *Cassiodor. III Ep.* 17.

§. 29. Cæterum iste voluntatis actus, quo populi in communem publici inter se commercii regulam consenserunt, quique obligationis, quæ gentes stringit, principium est, sub fide mutua, cuius *religionem inter homines sacram* esse ait *Zosimus* (r), ab illis fuit elicitus, & elici necessario debuit. Singulæ enim se subjicientes Gentium juri, sibi invicem bona fide tacite, ubi non expresse, promiserunt, quod velint in publico inter gentes commercio actus suos secundum illud dirigere; atque sic cum mutua fide invicem sibi obligati sint populi, patet quam valida sit juris Gentium obliga-

r) *Histor. l.* 3. *f.* 46.

 tio;

tio; & quod ad Gentium jus observandum gentes impellere debeant, quæcunque easdem ad servandam fidem datam obligant. Unde qui sic sunt comparati populi, ut, quemadmodum de Mauris loquitur *Procopius* (s), *illis neque Dei metus sit ullus, neque hominum reverentia, neque item juris jurandi, aut ulla obsidum cura*; quique *jusjurandum, quod inter homines supremum ac firmißimum fidei pignus esse videtur* (t), *irritum faciendo, fœdera solvunt*, ut *Iustinianus* Imp. Cosroëm Persam hoc nomine accusat (u); non est cur miremur, tales gentium jus non nisi adversus illos servare, *quorum metu coërcentur* (x). *Deum hinc*, scribit ad eosdem Mauros Salomon Africæ Præfectus, *si spernetis, cuinam hominum aut sociorum auxilio fideles eritis?* Ex quo cõsequitur, qui cõtra Gentium jus peccant, illudq; violant, peccare quoq; contra fidem publicam, illamque violare: Unde OBLIGATIONEM IURIS GENTIUM IN FIDE PUBLICA FUNDATAM esse concludimus. *Supremum* enim, præclare extat apud *Quintilianum* (y), *rerum humanarum vinculum fides est.*

s) *Bell. Vandal. l. 2. f.* 219.
t) *add. Symmach. IV. Epist.* 64.
u) *Procop. l. 2. Bell. Pers. f.* 163.
x) *id. 1. Bel. Pers. f.* 142. *2. B. Vand. f.* 219.
y) *ib. Bel. Vand. 2. f.* 222.
z) *Declam.* 343.

§. 7 Gentium jus *omnes gentes ex æquo concernere, omnes pari vinculo alligare, etiam barbaras*, opinatur Fridericus *Hornius* (a), quem alii sequuntur: Et *Hugo de Roy* (b), *id ab omnibus ac singulis observari, rationi naturali consentaneum esse* ait. De hoc uti non dubitandum

a) *l. c.*
b) *l. c. p.* 122.

bitandum, ita de illo diſtinctius Philoſophandum. Diximus ſupra, jus gentium aliud eſſe Univerſale, aliud Particulare, meliorum ſc. ſive moratiorum. Sane quod de priſcorum ſeculorũ mortalibus *Lucretius* (c) cecinit, qui c) *l.* 5.

nec commune bonum poterant ſpectare, neq; ullis
Moribus inter ſe ſcibant, neq; legibus uti,

id de compluribus Africæ & Americæ populis hodie adhuc dici poſſe, ex *Dappero*, aliisque terrarum iſtarum, atque rerum ſcriptoribus ſatis conſtat. Tales quando bella non facta prius ſolenni denuntiatione, uti moratiores ſolent populi, inferunt, vel armis in bello utuntur venenatis, etiam contra Europæos, uti de Caribibus autor eſt *Martyr*. (d); Tombuti in Africa regem potentiſſimum, peditum infinitum numerum alere ſcribit *Maginus* (e), *qui ſagittis veneno infectis utuntur*; admoniti licet tales ſæpius fuerint, abſtinerent talium armorum uſu, quod aliis mortalibus improbarétur: Quod hoc nomine violati juris Gentium accuſari queant, ego non dixerim; facile licet hoc conceſſerim, quod ob rabiem hanc ferocem, ceu immanes beſtiæ ex ratione belli acrius coërceri poſſint. Inter pares enim, quique ſui juris ſunt, alter alterum ad ſuos accipiendum mores & conſuetudines, mere voluntarias, niſi in eaſdem is conſentiat, jure non obligabit; re-

d) *Rer. Ocean. Dec. II. l.* 1. *p.* 123. *ſeqq.*

e) *Geogr. nov. p.* 194.

qui sibi ex isto jure non esse facultatem captos servos faciendi concessam existimet. *Ius* autem *Gentium particulare*, sive Europæarum, meliorum, atque moratiorum dicimus, quod decentioris ordinis gratia in vita sociali, intuitu maioris honestatis atque humanitatis, civilioribus placuit populis, inter quos quotidianum intercedit commercium, quales sunt præprimis gentes Europææ: Caput huius iuris est, ne hostem veneno interficere liceat, alibi prolixius à nobis explicatum (n): Intuitu humanitatis & Christianæ Charitatis placuit mitior bello captorum conditio. Nec dubium est, quin hoc gentium ius particulare, sit gentium ius proprie tale. Nam ut taceam, quotidie ad illud à Gentibus Europæis provocari, veri iuris indolem habet, cum sit vinculum quo continentur gentes Europææ, quæ ob nominis Christiani, gradu puritatis licet religio multum variet, communionem, à barbaris & infidelibus peculiarem, atque insignem generis humani cœtum, ex compluribus gentibus constantem, constituunt; inter quas frequentius, quam cum aliis populis intercedit commercium; unde & cum addito *jus gentium meliorum*, sive moratiorum, appellatur, a quo ad ius Gentium duorum populorum argumentari non licet, quod pactorum & promissorum potius nomine venire debet.

(n) *de arm. in bello prohibit.*

§. 32

§. 32. Colligitur hinc, iuris Gentium usum esse in illis actionibus, quæ intercedunt inter populos liberos, ad eorum consociationem conservandam, decenter exercendam, læsamque & sublatam restituendam; quarum normam eo magis urgeri atque commendari æquum est, quo sæpius sibi populi persuadere solent, in summa fortuna id æquius, quod validius, & rempublicam sine iniuria geri non posse. Ad Gentium ius hinc in publico quod inter gentes intercedit commercio provocari, notum est.

§. 33. Præterea cum ea quæ iuris gentium esse dicuntur, non eodem se habeant modo, cum alia ne omittantur, sint præcepta; alia ne ab aliis prohibeantur concessa; alia à pœna quam hæc regula gentium dictat alias delinquentibus exemta, atque per meram conniventiam, sine approbatione, aut iuris sive interni sive externi concessione, permissa: in praxi vero nil sit frequentius (o), quam ut gentium iuris aliquid dicatur esse; quod ab aliis vel non multum attenditur, vel plane negatur; omnino necesse est, ut quomodo ad Gentium ius aliquid pertineat, dispiciatur, quo de obligatione gentis adversus gentem eo rectius iudicetur. Hoc cum sæpe negligatur, mirum non est, alios eo ruere præcipites, ut quia ex opinionum diversita-

o) *Vid. Frid. Horn de Civit. p. m. 426. seq.*

versitate se extricare nesciunt, gentium ius plane rideant, & pro Scholarum figmento habeant.

ARTIC. XI.

De
Obligatione juris Gentium.

§. 1.

VAna omnis de Gentium iure disputatio est, nisi populos valide constringere possit, quo actus suos secundum illius regulas conforment. An ergo tale vinculum voluntati illorum sociale hoc ius iniiciat, adhuc disquirendum restat.

§. 2. De eo vero dubium esse nequit, si cogitemus, Gentium ius esse vinculum consociationis gentium qua talium, quod æque sancte proin habendum, nec fœde disrumpendum est, atque quilibet populus adversus alterum socialis esse iubetur. Referre huc licet illud *Oppiani* (a) ex *Lippii* versione:

Singula primo
Sunt distincta locis & certo fœdere juncta
Et nodi invicti, concordi pace ligata.

Nec gentes, si quid inter illas controversiæ exoritur, ad illud provocarent, si omni virtute obstringendi penitus careret; nec delinquen-

a) *Halieut.* l. 1. v. 421.

linquentem contra hæc iura ceu hostem humanæ consociationis, & turbatorem publicæ tranquillitatis detestarentur, si illa impune transgredi liceret. Ἐστὲ οὐδεμίας συγγνώμης ἄξιοι, πολλάκις ἐς σπονδὰς ἡμῶν ὑβρίσαντες, καὶ τὰ τελευταῖα νῦν καὶ ἐς πρεσβείας ἁμαρτάνοντες οὕτω φανερῶς καὶ ἀθεμίτως, ὡς μήτε ἐξαρνεῖσθαι, μήτε ἀντιλέγειν ὅτι μὴ τῆς ἐσχάτης δεῖ τιμωρίας ἄξιοι, *Vos quidem nulla venia digni estis violatis fœderibus, & postremo legatis quoque; quod nefarium facinus tam manifestum est, ut extrema quæque pati sitis meriti, vestra etiam confessione*, ait ad Carthaginiensium, toties violati Gentium iuris reorum, legatos Scipio apud *Appian.* (b) Nec sapientes denique scriptores, æquique rerum æstimatores ad atrocitatem sceleris, à Gente gentisque rectore commissi, augendam iustitiamque belli illati, ceu minime dubiam asserendam, gentium ius violatum toties notassent, nisi mutuo atque reciproco nexu ad eius observantiam populi obligarentur.

b) *de Bell. Pun. f. 29.*

§. 3. De origine huius obligationis, & unde ius hoc vim habeat, gentes moraliter constringendi, & quo ab illis observetur obligandi, nobis ita videtur. Distinguendum nimirum censemus inter causam remotam, inadæquatam etiam, & causam obligationem inducentem proximam & adæquatam. Quanquam enim divortia hic dantur

dantur sententiarum, dissentientes tamen nonnullos aliquid ex vero habere, nequit penitus negari. *Hobbij* (c) vero Philosophiam quod attinet, cum is *eadem utriusque naturæ & Gentium juris præcepta* esse existimet, & elementa iuris naturalis applicata & *translata ad civitates & Gentes integras, pro legum & juris Gentium elementis sumi posse* doceat, & consequenter iuris Gentium obligationem ex iure naturali derivandam, imo cum eadem coincidere dicere necesse habeat; concedimus quidem quod Gentium iuri aliqua obligatio ex iure naturali accidere possit, sed non nisi remote, inadæquate, & vi materiæ, sc. ratione certæ rei præceptæ, prout LL. civilibus eandem quoque nonnunquam accidere non repugnat. Nimirum præceptum iuris naturalis v. c. de restitutione in integrum, cum etiam *inter populos liberos intercedat*, uti post *Bodinum* etiam contra *Grot.* (d) disputãs *Conringius* (e) affirmat, & sic iuris G. fit, illam equidem obligationem quam ex iure naturali habet, in complexu præceptorum iuris Gentium, quod est ius à iure naturali distinctum, retinet, sed ex illa non per se exurgit obligatio quæ est iuris gentium proprie, & à iure gentium, in quo illam naturalem dari obligationem per accidens est: Etsi non negaverim, populum in tali casu contra ius gentium peccantem simul delinquere

c) *de Civ. c.* 14. §. 4.

d) *I. B. P. II.* 14. 1.

e) *de Fin. Imp. Germ. l.* 2. *c.* 19. §. 13.

linquere contra ius naturæ, uti qui furtum LL. civilibus prohibitum committit, una in ius naturæ quoque impingit, etsi nec obligatio LL. civilium proxime, adæquate & per se à iure naturali proveniat.

§. 4. *Hugo de Roy* (f) cum gentium ius *ratiocinatione humana, & moribus introductum esse* docuisset; alibi (g) ea iuris gentium dici ait, quæ *ratio naturalis omnium, usu ac necessitate passim exigente, omnibus gentibus bona & æqua esse censuit; & quia ab omnibus & singulis observari rationi naturali consentaneum est.* Verum cum quod ratio ceu melius suadet, earundem non statim præcipiat, nec exinde statim obligatio derivabitur. Quanquam enim ratio ex vi sibi congenita congruum aliquid gentium consociationi judicaverit ratiocinando, qua tamen ad communem id omnium pertinet utilitatem, ceu consilium, suadebit tantum, non obligabit: cum non intellectus præcise, sed voluntatis actus sit obligatio activa: unde ad hanc non nisi remote ratiocinationem gentium, voluntatem sc. præparando, concurrere necesse est. Qua vero hoc rationis dictamen honesta præcipit, coincidit cum Philosophia *Hobbij*, quam modo cõsideravimus. Simplex deniq; rationis disquirentis usus, quam hic sit insufficiens, docetur à *Seldeno* (h).

§. 5. *Fridericus Hornius* (i), cujus alias de hoc argumento eximia etiam est Philo-

f) *de eo quod just. est, l.* 1. *t.* 4. *§.* 4.

g) *l. c. t.* 7. *§.* 1.

h) *I. N. l.* 1. *c.* 7.

i) *de Civit. l.* 2. *c.* 2. *§.* 6. *ad l.* 2. *c.* 9. *§.* 11. *p.* 429.

Philosophia, *ipsam obligationem in vero jure gentium, non ex consensu præsumpto; sed intimo contextu Rerumpublicarum, & sanctimonia societatis, quæ populis invicem intercedit, peti posse ac debere contendit.* Sed distinctio hic facienda est inter fundamentum, rationemque obligationis quæ in vero jure gentium datur remotã, & causam eius proximam. Contextus rerumpublicarum gentiumque socialitas, mensura est atque ratio juris Gentium, & obligationis quæ in illo datur causa remota, proxime autem ab ea obligatio ipsa non exoritur. Quanquam enim vita socialis etiam gentibus pro imperio à Deo sit injuncta, Gentium tamen Jus cum sit humanũ, eius obligatio proxime ab humano, civiliter tamen satis valido principio erit arcessenda.

§. 5. Proximum itaque obligationis, quam Gentium jus populis imponit, principium nos dicimus esse gentium voluntatem, in eiusmodi vinculum nexu reciproco ligans, consentientem. Non male *Seldenus* (k): *ubi de humana dispositione simpliciter ac solum videmus, aliter fieri nequit, quin hominum consensum ac fidem interpositam interdicti alicuius fundamentum primarium fateamur* Nec humana obligatio aliunde quam à voluntate, jus atque facultatem obligandi habente, peti potest. Sunt equidem Gentes pares, & uti liberæ, ita immedia-

k) *de I.N.G. 6.1.p.695.*

mediate soli Deo obnoxiæ ; cuius hinc timorem sibi invicem inculcare solent: *An Dei prorsus contemptores estis*, scripsit ad Mauros fœderis ruptores Salomon, Africæ Præfectus Justiniani, apud *Procop.* (l): Nil tamen impedit, quo minus illimitata plenitudo agendi ex proprio arbitrio ab ipsis gentibus, salva uniuscuiusque summitate, impedimento aliquo morali circumscribatur. Licet vero sibi ipsi nemo per modum legis obligari possit, quo minus tamen quis se alteri, & sic quoque gens genti se obliget, eidemque jus aliquod adversus se acquirere cōcedat, & in eandem transferat, nil repugnat. Ad hoc vero ut par paris voluntati, eiusdemque agendi libertati, tale frænum iniicere possit, ut certam regulam sequi teneatur, nec de jure in diversa abire possit, requiritur utrinque consensus, cum tale vinculum juris adversus se in alterum transferendi, tum idem acceptandi ; quem per consueta alias & recepta signa, quorum numero etiam tam facta, quam non facta contineri constat, exprimi necesse est. Quo dato, *fundamentum obligationis non quæritur*, uti quidem hoc nomine solicitus est *Frider. Horn.* (m) *in præsumpto consensu*, multo minus in *imaginario* (n) ; cum *quod sufficienter indicatum est, pro vero habeatur adversus eum qui indicavit*, uti loquitur *Grotius* (o).

l) *Bell. Vandal. l. 2. f.* 222.

m) *l. c. 2. 2. 6.*

n) *ib. 2. 9. 11.*

o) l. *B. II. 4. 3.*

§. 6. Gentium nimirum jus humanum jus cum ſit, eius obligatio non aliunde, quam ab humana voluntate derivari poterit. Et quanquam gentes à ratione ſociali & legis naturalis, quæ jus ſociale eſt, regulis, in actibus publicis nonnunquam dirigantur, & dirigi poſſe videantur; placuit tamen iisdem communi inſuper voluntate ad rationis dictamina eadem à cunctis obſervari, ſub obligatione etiam humana. Diſtinguendum enim hic cenſemus inter dictamina gentium practica, quæ ſunt & fuerunt ratio & norma voluntatis populorum; & inter efficacem gentium voluntatem, quæ effective de novo, humano ſc. modo obligat. Dictamina illa ſæpe ſunt rationis præcipientis, & legis naturalis, quæ una eſt, ſecundum illud *Ciceronis* (p); *Unum eſt jus, quo devincta eſt hominum ſocietas: & quod lex conſtituit una.* Norma hæc ſunt, juxta quam gentes judicarunt, hoc & ſibi & aliis gentibus eſſe faciendum, illud omittendum; & cum id partim neceſſarium, partim etiam utile cognoverunt, in iſta dictamina, ut inter populos obſervarentur, ſingulari voluntatis actu etiam conſenſerunt; etiam conſenſuræ, ſi lege naturali talia humano generi non forent præſcripta: Uti legislator civilis adulteria & furta, quæ naturalis ratio ipſi turpia eſſe dictitat, prohibet, eadem ſevere prohi-

q) 1. *de LL.* p. 164.

prohibiturus, si vel maxime jus naturale nullum daretur. *Sunt enim jura publica certissima humanæ vitæ solatia, infirmiorum auxilia, potentum frena* (q). Præterea qua voluntate gentes voluerunt, bellum ut solenne sit prius denuntiari debere, vel quod liceat repressalias exercere, antequam ad justum descendatur bellum; eadem voluntate etiam voluerunt legatos sancte habendos, fidem datam servandam, & ab alieno abstinendum esse. Unde & non naturalis tantum, sed & humanæ permissionis est, ex gentium jure sc. descendentis, quod juris sui vindicandi ergo bellum liceat gerere, ut de aliis juris gentium effectibus à voluntate humana introductis taceamus, de quibus passim *Grotius*.

q) *Cassiodor. III Ep.* 17.

§. 29. Cæterum iste voluntatis actus, quo populi in communem publici inter se commercii regulam consenserunt, quique obligationis, quæ gentes stringit, principium est, sub fide mutua, cuius *religionem inter homines sacram* esse ait *Zosimus* (r), ab illis fuit elicitus, & elici necessario debuit. Singulæ enim se subjicientes Gentium juri, sibi invicem bona fide tacite, ubi non expresse, promiserunt, quod velint in publico inter gentes commercio actus suos secundum illud dirigere; atque sic cum mutua fide invicem sibi obligati sint populi, patet quam valida sit juris Gentium obligatio;

r) *Histor. L.* 3. *f.* 46.

itandum, ita de illo distinctius Philoso-
hhandum. Diximus supra, jus gentium a-
iud esse Universale, aliud Particulare, me-
iorum sc. sive moratiorum. Sane quod de
riscorum seculorũ mortalibus *Lucretius* (c) qui cecinit, qui

nec commune bonum poterant spectare, neq; ullis
Moribus inter se scibant, neq; legibus uti,

d de compluribus Africæ & Americæ populis hodie adhuc dici posse, ex *Dappero*, aliisque terrarum istarum, atque rerum scriptoribus satis constat. Tales quando bella non facta prius solenni denuntiatione, uti moratiores solent populi, inferunt, vel armis in bello utuntur venenatis, etiam contra Europæos, uti de Caribibus autor est *Martyr.* (d); Tombuti in Africa regem potentissimum, peditum infinitum numerum alere scribit *Maginus* (e), *qui sagittis veneno infectis utuntur*; admoniti licet tales sæpius fuerint, abstinerent talium armorum usu, quod aliis mortalibus improbaretur: Quod hoc nomine violati juris Gentium accusari queant, ego non dixerim; facile licet hoc concesserim, quod ob rabiem hanc ferocem, ceu immanes bestiæ ex ratione belli acrius coërceri possint. Inter pares enim, quique sui juris sunt, alter alterum ad suos accipiendum mores & consuetudines, mere voluntarias, nisi in easdem is consentiat, jure non obligabit; re-

c) l.5.

d) Rer. Ocean Dec. II. l.1. p. 123. seqq.

e) Geogr. nov. p.194.

fragabitur enim id eius libertati. Quod vero universale supra diximus jus Gentium, eius obligationem omnes pari vinculo ligare gentes censemus, etiam barbaras, à quibus de facto non observatur. Uti enim barbaries hominum non obstat, quo minus ius naturale omnes obligare mortales recte dicatur, etsi à compluribus enormiter adversus illud peccetur, à multis etiam per pravas consuetudines & perversos mores penitus fere obliteretur, ceu exemplis à *Sexto Empirico* (f) collectis constat factum; cum naturam, si velint, audire possint, potuissent certe, si voluissent: Sic enim Pharas Erulus ad Gilimer. Vandalorum Regem scribit apud *Procopium* (g): *Sum & ipse barbarus, neque literarum, neque sermonis peritus. Tantum scribo, quæ me hominem existentem ex rerum natura sponte dicere necesse fuit*: Ita licet dentur gentes, quarum barbaries & ferocitas commune populorum ius, quod omnibus ratio sanior suggerit atque præcipit, fœde contemnit, uti satis ferociter *Selimus I.* Turc. Imp. Ungaro Legato de inito regno gratulandi, fœderumque continuandorum & denuo pangendorum ergo misso, respondit apud *Leunclav.* (h). *Heus tu*, inquiens, *O gaure, senex annosus ille, qui fœdus vobiscum iniit, & amicitiam, quam tantopere jactitas, adeo diu sancteque vobiscum coluit, jam mortuus est.*

Meo

f) *Pyrrh. Hypotypos. l.3.c.24.*

g) *l.2. Bel. Vand. f.217.*

h) *Hist. Musulm. l.17. f.690.*

Meo nunc in arbitrio poſitum, an iidem volucum pactis ſtare, nec ne velim. Contemnat quoq; Cosroës, ſcriptore *Procopio* (i), pacta juramento confirmata, præferatque diſquiſitioni de rebus controverſis bella, malitq; cauſas in medium prolatas armis diſcutere, quam pacatis conſiliis cum Juſtiniano transigere: vinculum tamen quod nexu reciproco omnes ligat, nihilominus eas conſtringet, ita ut cōtra illud delinquentes tam ex re, quam ſuo modo etiam ex delicto obligentur. Et uti quid jus naturale ſit, non ex barbaris & corruptis fœde hominibus cognoſcimus, ſed ex hominibus bene moratis; nec quid ſit ratiocinari diſcimus ex phreneticis, ſed quibus mens eſt ſana in corpore ſano; ita quid ſit juris Gentium rectius deprehenditur apud moratiores gentes, quam apud Goringhaicos, vel apud Caribes, vel eos qui in Terra Magellanica, aut inſulis quæ à Latronibus denominantur, habitant populos. Referas huc illud *Porphyrii* (k), male ab eodem applicatum: *τινὰ δὲ τῶν ἐθνῶν ἐξηγρίωται καὶ ἔστι φύσει θηριώδη. ἐξ ὧν οὐ προσήκει τοὺς εὐγνώμονας τῆς ἀνθρωπίνης καταψεύδεσθαι φύσεως, quadam gentes agreſtes fiunt & natura efferata; quarum authoritate non convenit viris perſpicacibus falſum de humana* natura (gentibus) *ferre judicium.*

i) *Bell. Perſ. l. 2.*

k) *de Abstin. l. 4. c. 21. p. m. 177. ſq.*

§. 9. De Turcis autor eſt *Leonclavius* (l),

l) *l. c. l. 1.*

quod *lege sua sibi permitti contendant, ut in rebus ad incrementa regni spectantibus, ex commodo suo metiantur, an hosti data fides servari debeat; & ut promissorum Gauru factorum nullam pro sua libidine rationem habere possint.* Verum in præiudicium cæterarum gentium, & ad ea quæ naturali & gentium jure debentur non præstanda, nulla gens peculiarem & domesticam legem sibi ferre, aut certa sibi privilegia fingere, eaque, quare naturali & gentium jure non teneatur, allegare recte potest.

§. 10. Quanquam vero de facto Gentium jus quoad certa capita, quæ sc. ratione substantiæ suæ sunt meræ voluntatis, particulare, actu easdem hactenus non obligat, ut alteri jus exinde oriatur; de jure tamen universale esse meretur, cum ista capita ad Gentium consociationem plurimum conferre, & quam maxime socialia esse negari nequit; ita ut licet non proxime & plene, remote tamen & imperfecte, ex natura rei ipsius, ad illa omnes gentes obligari dici non immerito possit. Hinc quod neglectis illis capitibus, res humanæ maioribus obiiciuntur in publicis negotiis difficultatibus, queri gentes contingit de alterius insociali inhumanitate, ferocitate, aliisque incommodis.

§. 11. Non etiam ad perfecte obligandos omnes populos quoad dicta capita, satis

ſatis valide ad jus partis maioris provocare licebit. Quanquam enim Gentium jus Populis ſocialitatem præcipiat, vinculumque ſit, quo nexu reciproco conſociantur, jus tamen majoris partis non obtinet inter illos, niſi in eorundem cōcilio, vel comitiis; hic naturaliter pars maior jus habet integri. *Nec* enim *aliud*, uti recte *Plinius*(m) judicat, *in concilio publico poteſt fieri, ubi licet impar ſit prudentia, par omnium jus eſt.* De tali vero gentium concilio altum eſt apud ſcriptores ſilentium: Extra quod inter pares, quorum ſinguli jus ſuffragii habent, plures reliquos non auditos, nec in conſilium vocatos, non obligabunt. ἔστι δ' ἔν τε χειροτονίαις καὶ δίκαις ἀεὶ τὸ πλέον δυνατώτερον, *tam in comitiis, quam in judiciis vincit pars major*, ait *Appian.* apud *Grotium*(n). Eximia eſt *Seldeni*(o) quoque de hoc argumento Philoſophia, qui jus maioris partis obtinere dicit, *quoties ſc. id totum, cuius ea pars eſt, unico ita complicatur, ſive imperio, ſive pacto, ſive conſtitutione*, (nihil vero horum in gentium conſociatione datur) *ut in corpus unicum civile coaluerit, parteſq; ibi habuerit, exinde velut invicem continuas.*

m) *II. Ep. 12.*

n) *II. I. B. 5. 17.*

o) *I. N. G. l. 6. p. m. 83.*

§. 12. Obligantur præterea Gentium jure etiam perſonæ ſingulæ, adverſus alterius gentis homines, non quidem immediate, ſed quatenus gentem, cuius membra ſunt, quæ ceu partes ſe decet componere ad ra-

ad rationem integri cœtus, id observare adversus gentes oportet; & quia populorum rectores subditis suis imperare debent, ne adversus alterius gentis homines, vel gentem, talia committant, quibus gentium jus læditur, delicti alias illorum participes futuri, si adsit scientia & non prohibitio, cum prohibere possint & debeant (p), ceu prolixius à *Grotio* docetur. De Sigismundo Poloniæ Rege autor est *Chytraus* (q), quod cum *cœnantibus in aula Moschis Legatis Polonus quidam ministri Moschici panem in mensa prehendentis, digitos cultello petulanter stringeret, ut sanguis exudaret*, neglecto Regis interdicto, *quo gravissime edixit, ne quis ipsis, eorumve ministris, verbo factoque ullo molestiam exhiberet: Huic postridie spectantibus Moschis, ante illorum hospitium caput pracidi jusserit.*

p) *Grot. l.B.* II.21.2.

q) *Saxon. l.* 25.*f*.715.

§. 13. Cæterum qualis hæc sit obligatio, Legalisne, an talis, qualis ex pacto inter Gentes exoritur, disquirendum est. *Grotius* (r) Gentium jus voluntarium speciem juris esse dicit, ea significatione, quæ idem valet quod *lex, quoties vox legis largissime sumitur, ut sit regula actuum moralium obligans ad id quod rectum est.* Alibi (s) hinc Gentium jus legem appellat. Quæ significatio cum late pateat, ut etiam pactis attribui possit, cum & hæc sint regula actuum moralium reciproco nexu ligans, patet, quod etsi Gentium

r) I.*I.B*.1.14. & 9.

s) *III.*1.*B*.13.2.

tium jus non legem eo ſenſu dicat, quod gentes tanquam Lex à ſuperiore profecta ſtringat, veram tamen LL indolem in hoc imitetur, quod gentes conſtringat vera obligatione, quæ vi & efficacia interna æque valida eſt atque legalis ſtricte ſic dicta, licet à ſuperiori non ſit profecta. Quid enim impedit, quo minus pares ex mutuo conſenſu & per pacta ad certam regulam æque valide ſe invicem ligent, ſibique leges dicant, atq; ſuperior inferiores ex imperio ad ſuas leges adſtringere poteſt. Bene *Rachelius* (t): *Etiamſi igitur gens libera una altera non eſt ſuperior, neque altera alteri legem ſpeciatim acceptam dicere poteſt: ſi tamen ipſis placeat pactis ſe obſtringere, utiq; vero jure inter ſe continentur, ſic ut ſi una gens fidem fallat, altera alteram perfidam bello, ſi cætera paria ſint, ad conventa præſtanda cogere poßit.* Etſi itaque obligatio juris Gentium ſtricte loquendo legalis non ſit, vim tamen obligationis legalis ſtricte talis ex conſenſu & voluntate Gentium habet, nec illa eſt infirmior. Taceo hanc Legis acceptionem, qua Gentium jus Lex dicitur, bonis non adverſari ſcriptoribus. *Ariſtophani* νόμος accipitur etiam pro *more, conſuetudine*: οἴει νῦν (νόμος γάρ ἐστι) τὰ καταχύσματα ταυτὶ ἐγλαχίω σε λαβεῖν. Et apud Latinos *Livius* (x) *fœdus ictum*, ait inter *Romanos & Albanos eſſe, his legibus &c.* *Cicero* (y) de regulis amicitiæ differens, *hæc*, inquit,

t) de I. Gent. §. 91.
u) Plut. Ar. 3. ſc. 3. p. 126.
x) l. 1.
y) de Amicit. p. 107.

inquit, *prima lex in amicitia sanciatur, ut neque rogemus res turpes, nec faciamus rogati*, ut alios mittamus autores.

§. 14. Cæterum licet obligatio hæc gentes liberas ita constringat, ut illarum summitatem quam habent solo Deo inferiorem, atque paritatem non lædat, aut imminuat, cui repugnat id quod olim apud *Paul. Aemilium* (z) Theodoricus OstroGothorum Rex censuit: *Omnium sc. reliquorum regum unum concilium corpusq; constituendum esse, ad cujus judicium Francus* (Clodovæus) *evocetur*; non tamen sequitur quod *Seldenus* (a) disputat, quod sc. *parilis omnium observatio citra obligationem aliquam singulis superiorem, qua pariter coërceantur omnes, utcunq; diutina, efficere plane nequeat, ut non contrarium æque singulis sibi (si nil aliud obstet) statuere, atque observare liceat.* Nolo equidem id asserere, quod *Grotius* (b) minus caute Scholasticos secutus affirmavit, *cum sc. qui male egit, eo ipso se quovis alio inferiorem censeri fecisse, & quasi ex hominum censu detrusisse in censum bestiarum, quæ homini subjacent*: quod periculose dici manifestum est; cum delicto par pari talis esse non desinat, licet ad satisfactionem læso præstandam teneatur: Attamen cum vinculum hoc Gentium commune singulas reciproco nexu ita, ex quo ceu jus & regula communis introductũ est, liget ex vi pacti perpetui atque publici, & sic

z) *Rer. Gest. Franc. l. 1. f.* 9.

a) *de I. N. G. l. 6. p.* 83. & *sq.*

b) *I. B. P. II.* 20. 3.

ſic ex fide publica ; ita gentium ſocialitate urgente, minime licebit ſingulis pro libitu ſuo contraire, aut reſilire, cum quod, quoad mere voluntaria, prius fuerat voluntatis poſtmodum factum ſit neceſſitatit. Talis enim nec alia mutua hic obligatio concipi debet, cum ſine ea plane gentium jus inane fuiſſet. Minime omnium licebit id genti, ſi ad gentium jus, ceu vinculum conſociationis publicæ & regulam ad omnes pertinentem, ab ea fuerit provocatum. Nimirum licet vocabula, quibus utimur, ſignificent, uti *Ariſtoteles* (c) loquitur, *κατὰ συνθήκην.*, *ex inſtituto*, attamen cum illorum ſignificatio nunc ſit recepta, & publica conventione determinata, non licet unicuique illam immutare, ſenſumque infundere talem, quē cõmunis uſus improbat: Non ferendum in quoquam, ut voces contra publicum receptumque in vita ſociali loquendi uſum interpretur; ſic ut *ne Cæſar quidem dictionibus civitatem Romanam dare poſſit, quam hominibus dare poteſt*, uti dicitur apud *Dionem* (d): ita ſe quoque res habet quoad ea, quæ ſunt juris gentium mere voluntarii. Quoad ea vero quæ ratione principii & materiæ etiam ſunt juris naturæ, & in gentium conſociatiatione fundantur, eo minus dubitare licet de obligatione perpetua, quo firmior ea eſt obligatione quatenus

c) *de Interp. c. 2.*

d) *l. 57.*

consensu ex variis causis rursus abrogari posse, & in desuetudinem venire, absurdum non est.

§. 16. Cum vero ea quæ juris Gentium esse dicuntur, non eodem se habent modo; uti enim jura & leges alia præcipere & prohibere, alia concedere dicũtur, idq; vel simpliciter, vel sub certis circumstantiis & conditionibus, ita Gentium juris eadem est indoles, obligatio hinc eius quoq; non eodem quoad omnes gentium actus se habet modo. Quæ enim sunt absolute omnibus præcepta & prohibita, absolute quoque gentes constringunt, quæ sub conditione, sic quoque obligant. Mutua quæ præcepta sunt officia & onerosa, mutuo quoque nexu ligare censeri debent, ob gentium æqualitatem. Nimirum quemadmodum homo hominem tanquam naturaliter sibi æqualem, & non tanquam canem autem bestiam habere & tractare tenetur; ita inter primas invicem præstandas gentium obligationes hæc est, ut gens gentem tanquam sibi parem habeat, eidemque vicissim eadem præstet, quæ ab eadem expectat, barbara licet fuerit, donec hostilem animum satis ostenderit; qua in re Hispanos adversus Americanos peccasse ipse Hispanus *Bartholom. de las Casas* testatur (g).

§. 17. Quæ gens à gente petendi jus habet

(g) *de Hispan. crudel. in Ind. Occid.*

habet, uti talia sunt, circa quæ Gentium jus suum exerit officium eaque dirigit, cum hoc tam late pateat, quam late patet gentium qua talium consociatio; ita obligatio quoque sequitur naturam juris, ut sit vel perfecta, vel imperfecta, prout nimirum jus quod gens habet adversus gentem est vel perfectum, vel imperfectum, ita ut illud bello & armis vindicare & persequi, non hoc liceat. Illa obligatio est ex necessitate debiti perfecti, hæc ex humanitate & debito imperfecto. Istius generis est restitutio damni per injuriam dati; hujus vero jus transeundi terra & amnibus per alterius territorium; jus morandi in alterius litore; jus commerciorum &c. Nulla vero datur obligatio, ubi petens nullam neque virtutis obligantis rationem, ut suæ petioni locus relinquatur, allegare potest. Habet equidem populus naturalem facultatem à populo petendi, & cum *eodem paciscendi, ut is populus certi generis fructus, qui alibi non nascuntur sibi soli vendat*, uti loquitur *Grotius* (h): Ita *Chytræus* (i) autor est, quod Lubecenses atq; Dantiscani olim à Gustavo Suecorum Rege fœdere obtinuerint, *ne ulli alteri ex peregrinis nationibus mercaturam in Emporiis Sueciæ exercere, nisi sibi liceret*: Simile privilegium Elisabetham pro Moscovitica Anglorum societate à Theodoro Mosco expetiisse scribit *Camdenus* (k), *ut nulli præter*

h) 2. I. *B.* 2. 24

i) *Saxon. l.* 9. *f.* 242.

k) *Elisab. f.* 343.

tit Anglos ex illa societate ad Septentrionalia Russiæ litora appellerent, & mercaturam exercerent; idque sine vectigalibus. Verum tale quid concedendi per se nulla datur obligatio; sed à libera concedentis dependet voluntate. Imperfectæ quoque obligationi non repugnat, quo minus ea quæ sic imperfecte debentur, varie limitentur, restringantur, atque determinentur. Ita commerciorum libertas non impedit, quo minus civitas illorum exercendorum facultatem aliis sic concedat, ut plus tamen suis civibus, quam exteris eandem favere hac in re appareat (l); vel etiam vectigalia augeat. Cuius rei in actis gentium, tam vetustis quam recentioribus, complura occurrunt exempla eximia. Quomodo hinc Daniæ Rex Fridericus II. mercatorum Anglorum querelas, ob vectigalia nimio plus adaucta, & pensitationem Lastgeld / quam remitti efflagitabant, instituas, neglexerit, explicat modo laudatus *Camdenus* (m). *Principes enim vectigalia quæ semel intenderunt, vix unquam relaxant; qui hujusmodi Regalia ut vocant ad cujusque regni jus & libertatem spectare, nec externæ moderationi*, aut Gentium juri, quod jura Regum, quæ ex summitate & potestatis universalitate habent, per se non imminuit, *subjacere judicant.* Uti vero res humanæ minus sunt constantes; quando quæ imperfecte debebantur, mutatis circumstan-

l) *Pufendorf.* I. G. 4.5.10.

m) *Elisab.* f.m.330.

 tiis

tiis perfecte deberi incipiunt, v. c. pacto, promisso, obligationem simul in perfectam transire manifestum est.

§. 18. Juri Gentium concessivo respondet obligatio non prohibendi vel impediendi, quo minus populus suo utatur jure; quæ itidem est vel perfecta vel imperfecta, secundum qualitatem concessionis à Gentium jure factæ. De hoc equidem dubium nullum est, quod ex vi libertatis suæ gens genti de jure suo per pacta cedere possit. Nota sunt ex *Appiano*, *Polybio*, *Diodoro*,
m) L. B. P. II. 3. 15. *Thucydide* exempla fœderum, *Grotio*(m) etiam aliisque allegata, *quibus populus alter alteri populo se obstringit, ne ultra certum terminum naviget.* Ita cum gens in favorem suorum civium præ peregrinis aliquid statuere possit, sæpe tamen contingit ut de jure suo cedat, exterosque pari cum suis privilegio
n) *art.* 3. frui sinat, uti patet ex *Tract.* (n) inter Anglos & Portugallos An. 1654. Ubi vero de jure suo eandem nec cessisse, nec cedere velle manifestum est, quamdiu illo non in aliorum populorum injuriam abutitur, quo minus eodem utatur, fruaturque, impediri non potest. Ita Gentium jure conceditur defensio plena libertatis, bellumque pro eadem susceptum, ita ut classes hoc nomine exstruere, exercitusque contrahere, perpetuumque militem alere liceat. Gentium itaque jure, eiusque concessione usi

usi fuissent Pœni, Masanissa *Oroscopam oppidum* παρὰ τὰς συνθήκας *prater fœderis leges*, ut *Appianus*(o) loquitur, obsidente, Asdrubalem cum exercitu contra Regem mittentes, ni fœdere, quo bello Punico secundo finis est impositus, *ne in Africa* quidem χωρὶς τῆς Ῥωμαίων γνώμης, ut *Polybius* (p) loquitur, h.e. vertente *Livio*(q), *injussu populi Romani bellum gerere* prohibiti fuissent. Antiochus pacta cum Romanis pace traditis elephantis, *nec alios in posterum parare, nec naves ultra statutum exstruere* promisit apud *Appian.* (r) Possunt enim, uti philosophatur *Grotius*(s), *ut singuli, ita & populi pactis, non tantum de jure quod proprie sibi competit, sed & de eo quod cum omnibus hominibus habent commune in gratiam eius, cujus id interest decedere.* Unde cum *nullo unquam inter Hispanos & Anglos fœdere de Lusitanis in Angliam non admittendis cautum fuisset*, Elisabetha Angliæ Regina *citra offensionem* Philippi II. Hispani *fore existimavit* apud *Camdenum* (t), *quod Antonium è Lusitania in Galliam fugatum, indeque in Angliam transmissum & commendatum, benigne sublevaret, cum illum agnosceret agnatum.*

o) *de Bell. Punic. f.* 38.

p) *Hist. l.* 15. *c.* 18.

q) *l.* 30.

r) *de Bell. Syr. f.* 112.

s) *l. c.*

t) *Elisab. A.* 1581. *f.* 319.

§. 19. Cæterum cum Gentium Jus omnium populorum habeat rationem, communemque omnium paritatem & salutem respiciat, nulli genti in injuriam alterius aliquid concedet; unde sequitur, concessionem à Jure Gentium factam qua talem

omnium gentium paritati consulere, & æqualia concedere voluisse, ita ut eandem in alterius injuriam, libertatisque, dominiique & aliorum jurium diminutionem interpretari minime liceat; nec alter ex prætenso jure Gentium pari mecum jure, circa ea quæ meæ tantum, & liberæ sunt dispositionis, fruatur. Patet hinc, quid de tantopere jactata libertate commerciorum, si ex Gentium jure illa velit defendi, haberi debeat, & quomodo sæpe justo latius illa explicetur ab illis, qui secundum studium lucri cui sunt dediti, aliorum jura Gentium etiam iure metiantur. Gentium itaq; jus, cum concessione sua non privet suis juribus & æqualitate aliam gentem, patet etiam non simpliciter ista concedi dici debere, propter quæ si armis illa asserere liceret, paritati & libertati alterius quid decederet; cum quicquid concedit, ordinate etiam concedere Gentium jus censeri debeat.

§. 20. Cæterum uti concessio ordinata est, ita etiam obligatio G. juris ordinate concipi debet; salvo sc. ordine *primo* ratione ipsarú gentium, qui naturalis est, sic ut in præstanda obligatione, cum ea non omnibus præstari possit, cæteris paribus moratior barbaro, notus ignoto, vicinus remotiori præferri possit. Campanos amicos contra Samnites fœderatos defendere sibi

non

non licere, eosdem auté deditios factos sibi defendendos esse judicarunt Romani apud *Livium*(u): Nec adversabitur Gentium juri, si populus alteri vel de se bene merito, vel præ aliis sibi amico, nonnulla permittat, quæ aliis denegat, uti Japonenses præ Lusitanis Batavis, quod hos sibi amicos, illos vero suo statui insidiari credunt, commerciorum facultatem concedunt (x). Fœderati etiam rationem habere præ illo qui fœderatus non est, omnino licebit: Imo inter ipsos fœderatos ordinem servandum esse docuit *Grotius* (y). De Romanis autor est *Livius* (z), quod Campanis, adversus Samnites auxilium petentes, ita responderint. *Auxilio vos Campani dignos censet Senatus: sed ita vobiscum institui amicitiam par est, ne qua vetustior amicitia, ac societas violetur. Samnites nobiscum fœdere juncti sunt: itaque arma deos prius quam homines violatura adversus Samnites vobis negamus. Legatos sicut fas jusque est ad socios atque amicos precatum mittemus, ne qua vobis vis fiat.* Habet quoque ex beneficio ordinis Gens quælibet cæteris paribus hoc jus, ut ei liceat, cum ordinata charitas incipiat à seipsa, rationem habere propriæ utilitatis, dominii, dignitatis atq; securitatis, non præsentis tantum, sed etiam futuræ, sic ut contra eam alteri populo cum suo incommodo nil concedere obligetur: cum in pari necessitatis gradu potior sit

u) *l.7.*

x) *Montan. desc. Iap. f.*

y) *l. B. P. 2. 15. 13. c. 25. 4.*

z) *l. 7.*

a) 3. Off. p. 56. conditio possidentis. Unde *Cicero* (a): *Ut sibi quinque malit, quod ad usum vitæ pertineat, quam alteri, acquirere, concessum est, non repugnante natura; illud quidem natura non patitur, ut aliorum spoliis, nostras facultates, copias, opes augeamus.* Non etiam de Nerviis male sentiendi jus alii populi habuerunt, quod,
b) B. Gall. 2. 15. uti *Iul. Cæsar* (b) tradit, *nullum aditum ad se mercatoribus* concesserint, *nihilq; vini reliquarumque rerum ad luxuriam pertinentium inferri pati* voluerint. Nam uti tam Africæ, quam Americæ populi, apud quos nihil, vel parum datur lucri, vel quorum contemnuntur merces, Europæos non possunt cogere, ut secum commercia exerceant; ita nec Sinéses vicissim ab Europæis ut illos admittant cogi possunt, ob paritatem & æqualitatem qua liberæ gaudent gentes. Cum enim Gentium jus uniuscuiusque dominium, dignitatem, libertatem, & jura distincta & inviolata manere velit, paritatis interest, ne gens contra aliam aliquid ceu gentium jure concessum tentet, quo eius jura, dignitas, securitas, libertas læduntur.

§. 21. Cum vero alius populus itidem sua, jura, libertatem, dignitatem contra obiiciat, manifestũ est ex ordinis necessitate, jura alterius populi juribus populi possessoris debere cedere, nisi certo constet, hunc jure suo abutendo, insidiari alterius statui, eiusque vertendi quasi arbitrium quod-

dam

dam in manu habere (c). Cum enim hoc facto alterius læditur securitas, iure de eo queri licebit læso, urgendo ea quæ ad parem utriusque securitatem pertinent: Ad transactionem itaque res deducetur, ubi quicquid placuerit, in posterum regulæ instar observabitur. Erupisse tamen tractatus haud raro in atrox bellum, patet ex illis, quæ de vectigali Oresuntico narrantur partim, partim disputantur à *Bæclero* (d).

§. 22. Præterea Gentium ius non tollit ordinem in modo agendi, sive procedendi inter Gentes, nec adversus eundem illas obligat. Ita quanquam à Legato omnis vis abesse debeat, ita ut persona eius sancte habeatur, honoris tamen specie eum arctiori cingi custodia, si persona eius est suspecta, gentium ius non prohibet. Sic *Appiano* (e) referente, Romani Pelopidam Mithridatis Legatum ex castris dimiserunt *non sine custodia*, ἀπιόντι φυλακὴν συνέπεμψαν, ἵνα μὴ τινὰς ἐπιτρέψειε παρεδρεύων, *ne quem obiter corrumperet*. Veneti, ut tradit *Bembus* (f). Reinoldum à Maximiliano I. missum tam arcta circumscripserunt custodia, ut citra voluntatem Patrum neminem alloqui potuerit, securitate publica id exigente.

§. 23. Ordinatam etiam facit hanc obligationem ordo rerum, circa quas gentium ius versatur. Quæ enim præcepta

c) *Vid. Bæcl. Com. Grot. P.II. p.75.*

d) *Bell. Sueco Dan. l.1. p. 28. seqq. l.3. p. 273. seqq. Comm. in Grot. p.71. 78.*

e) *de Bell. Mithrid. f. 181.*

f) *Hist. Ven. l.7.*

ſunt ſub obligatione perfecta, vincunt in colliſione ea quæ ſunt tantum conceſſa.
g) declam. 374. *Semper* enim, ut loquitur *Quintilian.* (g) *potentior lex eſt, quæ vetat, quam quæ permittit.* Quæ promiſſo, pacto, fœdere antiquiori debentur, præferenda ſunt illis quæ debentur obligatione recentiore; ſi non ubiq; ſatisfieri queat; cum ex antiquiori fœdere, prior pars iam ius ſibi quæſiverit: Etſi ſæpenumero contingat, pacto recentiori, quod circa rem aliquam peculiarem ad prius fœdus non pertinentem, citra eiusdem violationem inire licuit, induci obligationem, etiam pacto antiquiori non obſtante præſtandam. Sic olim Romanis licuit in ſocietatem adſciſcere Saguntinos atque defendere, non obſtante fœdere, quod illis cum Carthaginienſibus intercedebat; de
h) l. 2. P.II. 16.13. quo etiam *Grotius* (h) agit. Fœdere quoq; arctioris amicitiæ, quod Eliſabetha Angliæ Regina cum Scotorum Rege Anno 1586. iniit, conventum eſt, formulam exhibente
i) Eliſab. f. 399. *Camdeno* (i), quod iſtud fœdus religionis tuendæ gratia ictum, *ſit & defenſionis & offenſionis contra quoscunque, qui liberum ejus exercitium in eorum regnis & dominiis impedient, ſive quovis modo impedire conabuntur, non obſtantibus quibuscunq; tractatibus, amicitiarum fœderibus, confœderationibus inter alterutrum eorum & ejusdem religionis infeſtatores, ſive adverſarios quoscunque prius initis.* Quemadmodum

dum & id quod faciendum eſt certo tempore impleri debet, dilato tantisper eo, quod quovis alio tempore poteſt præſtari. Ita ſupra audivimus Romanos Campanis apud *Livium*(k)reſpondentes, *ſic amicitiam inſtitui par eſſe, ne qua vetuſtior amicitia, ac ſocietas violetur*: Et apud *Thucydidem* (l) Corinthii apud Athenienſes, de ſocietate compellatos à Corcyrenſibus, contra hos urgent fœdus ſecum jam ictum, quodque hoc nomine ſecum, *quibuscum eſſent fœderati, ſtare potius deberent, adverſus hos, quibuscum ne induciæ quidem unquam illis fuerant*. Henricus Poloniæ, dein Franciæ Rex, Legatis Ivoniæ Moldaviæ Principis, auxilium contra Selimum II. Turc. Imperat. petentibus, *reverentiā fœderis, quod Polonis cum Turco intercedebat, pro reſponſo* obiecit, autore *Thuano* (m). Similiter quod eſt magis ſpeciale, vel cauſas magis honeſtas & utiles habet, vult præferri ei, quod minus tale eſt. Denique obligationes, quæ ex ſtatu pacis proveniunt inter gentes, & ad conſervandam, fovendamque pacem faciunt, vincent ea quæ ad ſtatum belli & jura eiuſdem pertinent: cum pacis ſtatus ſubſidiarius ſit. Juris gentium hinc ordinati eſt, ut antequam bellum inferatur, clarigatio inſtituatur, quam contra Gentium jus omitti credunt. Apud *Thucyd.* (n) Corcyrenſes Corinthios *in ſe injurios eſſe, palam eſſe* putant,

k) *l. 7.*

l) 1. *Bel. Pel. Edit. Lat. f.* 10.

m) *Hiſt. l.* 58. *f.* 27.

n) *Bel. Pel. Edit. Græc. f.* 13.

tant, quod προκληθέντες περὶ Ἐπιδάμνου ἐς κρίσιν, πολέμῳ μᾶλλον ἢ τῷ ἴσῳ ἐβουλήθησαν τὰ ἐγκλήματα μετελθεῖν, *citati in judicium de Epidamno, tamen bello maluerint objecta refellere, quam jure.*

§. 24. Gentium etiam jus pacto firmatum, vel limitatum inter populos, obligat eosdem vel ad non usurpandam concessionem juris eiusdem, vel ad non postulandam eandem, vel ad non præstandam aliis, quatenus sc. illa pacto fuerit restricta. Libera gaudent quidem Gentes facultate fœdera pangendi prout è re sua esse credunt: ast limitatur pacto sæpe hæc liber-
o) *cap. 7.* tas, quando vel ut in *fœdere Burgundico* (o) factum, nulli fœderatorum aliter cum aliis civitatibus pacisci licet, quam ut liceat eodem fœdere una socios istos comprehendere, *si comprehendi voluerint*: quibus proin insciis alias societates contrahere non conceditur. Sic libertatem commerciorum, cui Gentium jus eximie patrocinatur, jam arctius constringi, patet ex iis, quæ de negotiatione Anglorum in Russia tradit *Cam-*
p) *Elis. an. 69. f. 153.* *denus* (p). Ratio huius pacti & restrictionis juris Gentium fundatur partim in hoc, quod de suo jure, & habendi agendique facultate jure Gentium concessa cedere, suæque libertati aliunde vinculum iniici pati possit populus; partim quod obligatio qua Gens genti obnoxia tenetur, validiori obliga-

obligatione,propriæ ſc.ſalutis, dignitatis, ſecuritatis; interveniente, nonnunquam plane cedere, nonnunquam ad tempus quieſcere jubeatur, ita ut altera ſuum urgente jus, alteri quoque genti ſuum jus, quodq; non cum ſuo incõmodo & periculo dãnove ſive præſenti,ſive futuro,alterius utilitaté promovere teneatur,allegare liceat. Magis autem limitari pacto,atq; legibus civilibus quoad ſubditos in aliquo populo, definiri item,determinarique poterunt,quæ ſunt jure G. libera, indefinita, atque gentium voluntati liberæ ad definiendũ, prout è re ſua eſſe judicãt, relicta: Talia ſunt quæ de Tranſitu exercitus per alterius terras; de viſitatione navium,& mercium; de mercibus quæ appellantur *contrabandæ*, & ſimilibus, inter Gentes tractantur,atque pacto jam ſic, jam aliter, prout fert temporum & circumſtantiarum ratio,definiuntur. Unde *Loccenius* (q) diſputans contra *Grotium* contendentem, *exteris jus piſcandi ubique immune eſſe debere, ne ſervitus imponatur mari, quod ſervire non poteſt*, excipit, *hoc quidem ita eſſe oporteret, ſi nudum jus naturæ & gentium ubique ſequeremur; & lege, vel pacto non aliud conſtitueretur ab eo, qui imperium in ſuæ terræ undas ſibi arrogat.*

q) *de Iure Maris*, l. 1. c. 9. §. 4.

§. 25. Obligatio juris Gentium exterioris & improprie talis, quod in ſola impunitate conſiſtit, non ex defectu meriti,

ſed

ſed defectu coactionis humanæ exorta, non poſitive, ſed negative debet explicari; non quaſi qui talia quæ in ſe recta & juſta non ſunt, inter gentes tamen impune committuntur, perpetrat, ob qualitatem aliquam facti moralem non poſſit, ne quid agit agat impediri, cum jure naturali ne id cõmittat ſatis obligetur; ſed quod, cum judicia hic deficiant non ſolum, quæ etſi jure & recte talia non probare, efficaciter tamen eadem etiã nõ improbare & irrita reddere poſſunt, ſed ceu conceſſa defendere potius ſolent, inſuper quoq; ius gentium, quod ceu communis inter gentes qua tales regula obſervatur, tales actus ex praxi recepta non attingit, nec prohibet; uti nec leges civiles omnibus actibus vitioſis pœnam definiunt; facilis licet foret illorum, ſi ius naturæ audiretur, diiudicatio. Atrociter hinc in bello commiſſa prætextu juris belli coram gentibus & iudiciis excuſari, imò defendi

(r) l. 26. ſæpe numero ſolent. Marcelli apud *Livium*(r) excuſatio nota eſt, qui *cum victos armis accuſatores haberet*; *non*, inquit, *quid ego fecerim in diſquiſitionem venit, quem quicquid in hoſtibus*

(s) 4. Hiſt. 14. *feci jus belli defendit.* & apud *Tacitum* (s), *victoriæ rationem reddi* negavit Civilis. Rectius contra, cum licentiæ potius quam pudoris memor memor Eliſabethæ in Hibernia Prorex, deditios munimenti *Fort del*

(t) Camd. Eliſ. f. 295. *Or* dicti, *invitus licet & Lachrymans* (t) ſervatis ducto-

ductoribus, in terrorem promiscue occidi & suspendi jussisset; quanquam, ut *Thuanus* (u) de hoc facto indicat, *id belli jure liceat*; infectum id maluit Regina, *& rationes cadu commissa ægre admisit*, autore *Camdeno*.

x) l. 70. Hist. f. 414.

§. 26. Delinquentes in Gentium ius obligantur dupliciter, vel ex delicto h. e. vitiositate iuri Gentium contraria qua tali; vel simul ex re sive ex debito; idque tam belli quam pacis tempore contingere potest, docente *Zouchao* (y). Fit hoc, *quando actus & vitiosus fuit, & damnum reipsa intulit, ex quibus duabus qualitatibus duæ*, ut *Grotius* (z) loquitur, *diversæ nascuntur obligationes*. Altera est ad pœnam seu vindictam, cui delinquens lege gentium læsa, ad cuius observationem tenebatur, factus est obnoxius, & quam exigendi læsus populus ius h. e. facultatem habet, sustinendam. Quanquam enim in delinquente nulla sit obligatio ad pœnam ultro subeundam, obligatur tamen ad eandem sustinendam ab eo, qui sive pœnæ sive vindictæ inferendæ ius habet; cum uti iuri adversus alterum respondet vicissim huius obligatio, ita iuri vindictam inferendi respondet à parte altera obligatio illam patiendi, ne de iniuria, vel vi iniuste illata iure queri possit delinquens. Altera vero obligat ad reparandum damnum datum, quod aliquis sibi obvenisse conqueritur, exorta ex reipsa, quæ ceu debita suo domino restituenda est. Utraque

y) de Iure inter Gent. P. II. s. 4. 5. & seq.

z) l. 2. I. B. P. II. 20. 38.

satis-

satisfactionis nomine venit, & venire potest (a): Solviturque partim per culpæ confessionem & deprecationem, qua quicquid delictum est retractatur, atque quoad personam delinquentis aboletur, revocato simul à populo offenso iniuria, qua fuerat læsus, tollendo id unde habet, ut sit ea & maneat moraliter: Partim etiam per reparationem damni dati: Uttaque præstita Romanis legitur à Pœnis in fine belli Punici secundi, dum *Polybio* (b) scriptore, inter leges pacis hæc quoque fuerit: τὰ κτ̄ τὰς ἀνοχὰς ἀδικήματα γενόμενα πάντα Καρχηδονίους ἀποκαταστῆσαι Ῥωμαίοις, *quæcunq; per inducias Carthaginienses maleficio abstulissent, omnia Romanis restituerent.* Deprecationem & culpæ cōfessionem factam à Legatis Carthaginiensium explicat *Appianus* (c). εἰ δὲ καὶ ὡς ἀδικεῖν ὑμῖν δοκοῦμεν, οὐκ ἀτυχεῖν, ὁμολογοῦμεν, καὶ δι' αὐτὸ καὶ παρακαλοῦμεν· ἔστι δὲ τῶν μὲν μηδὲν ἁμαρτόντων δικαιολογία, τῶν δ' ἁμαρτόντων παράκλησις; *quod si mavultis hæc improbitati nostræ imputare, quam miseriæ, fatemur, & ideo deprecamur: relinquatur innocentibus causæ dictio: erratum agnoscentes decet deprecatio.* quæ in sequentibus sæpius repetuntur. Jsmyt-Oglius Asiæ Princeps apud *Leunclavium* (d) ad incitas redactus à Muhamete I. Turc. Sultano, quendam è suis misit, *utque sibi propitius ignosceret, oravit: infimum se vilißimumque ejus mancipium professus*, simulque *hac sibi culpa* condo-

a) *Guil. Grot. de Princ. I. N. p. m. 230. c. 14. n. 15.*

b) *l. 15. hist. c. 18*

c) *de Bell. Punic. f. 28. ad f. 29 sq.*

d) *Histor. Musulman. l. 14. f. 450.*

condonata, nunquam deinceps ejusmodi seditionem moturum se promisit: Sultano *hac culpæ deprecatione satisfieri sibi* patiente.

§. 27. Satisfacere vero quod si delinquens populus detrectet, bello, si causa satis gravis fuerit, dabitur locus. *Cum* enim *duo sint certandi gratia: unum per disceptationem, alterum per vim: cumque illud proprium sit hominis, hoc beluarum: confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore*, sapienter ait *Cicero*(e). Sique delicti vindicandi ergo bellum geritur, malunt nonnulli, tam (*) veteres quam recentiores, illud *pœnale*, & pœnæ expetendæ gratia susceptum appellare, laxiori utique, vel figurato dicendi genere, quod magis proprie *vindicativum* vocabitur; cum par parem non quidem punire, cogere tamen, eidemque sibi debita extorquere, atque pro malo contra jus ex lege communi debitum accepto, malum vicissim, ut æqualitas inter gentes servetur, reddendo, justitiam publicam in se læsam vindicare possit. Quod enim delictum, non tantum quatenus est damni datio per maleficium, sed & quatenus est aberratio à jure Gentium, in casu denegatæ satisfactionis, & sic ipsum læsum jus Gentiũ vindicari possit, non solum Theologis (f) probatur, sed & ratione constat. Interest enim consociationis gentium, restitui communi vinculo, quod facto alterius rumpitur,

e) 1. *Off.*

*) *Appian. de Bell. Pun. f. 33. Grot. I. B. II. 20. 38.*

f) *Chemnit P. II. LL. f. m. 128.*

tur, ſuam integritatem atque dignitatem, per vindictam in eo à quo fuit læſa, ſic ut per eandem id rurſus accipiat, quod à lædente ei fuit ablatum; niſi ipſe delinquens ſatisfaciendo ſe à reatu vindictæ liberet, læſoque juri Gentium in perſona eius gentis quæ læſa fuit, ſuam integritatem reſtituat. Extirpari etiam debet per vindictam in delinquente jus, quod ſuo facto ſe contra Legem & regulam communem conſecutum, vel conſequi poſſe, credere poſſit: omnia tamen intra æquum vindictæ modum.

§. 28. De obligatione ad cautionem futuræ ſecuritatis præſtandam etiam diſquiritur. Studium equidem atque ſolicitudo, ut ſe in tuto collocet, populo vitio verti non poteſt; at accedente mutua inter gentes diffidentia, rem ſæpe numero non carere difficultate, oſtendit tractatus pacis inter Suecos & Danos An. 1644. inſtitutus, g) *Bell. Sueco Dan. l. 3. p. 326. ſqq.* ſcriptore *Bœclero* (g). Quanquam enim humanitatis ſit, populum, qui pœnitentia actus, non item vi & metu armorum coactus, ſed ultro ad damnum reſarciendum ſe offert, quando inſuper juramento fidem ſuam obſtringit, ad ulteriorem cautionem pignore ſecuritatis idoneo præſtandam non adigi; quod ſi tamen ab eodem fœdera & pacta per cavillos & argutiolas eludi contigerit; uti Coſroëm Perſam ſæpe

olim

olim fecisse *Procopius* (h) tradit, atque Barbaros, ubi è re sua esse credunt, *liberatos se esse jurejurando interpretari*, ut cum *Cicerone* (i) loquar, solere constat; etsi precando, flendo etiam, omnemque satisfactionem ultro promittendo, pœnitentiam præ se ferat, in gratiam tamen non nisi præstita prius cautione recipi prudenter debere, dubium non esse videtur. Tali enim casu diffidere non est iniquum. Imo, juxta illud *Euripidis* (k), σώφρονος ἀπιστίας, οὐδ' ἔστιν ἄλλο χρησιμώτερον βροτοῖς *sapiente diffidentia, non alia res utilior est mortalibus*, necessarium. Ast, quæ *Pufendorfii* (l) est Philosophia, *ubi per vim quis ad satisfactionem est adigendus, cum id ipsum satis obstinationem eius in malitia ostendat, nec satisfactio obtineri queat, nisi offensus lædentem viribus superaverit, penes victorem erit, quali cautione securitati suæ quam rectissime judicet prospectum.* Unde Romani apud *Appianum* (m), se tales conditiones Antiocho offerre dicunt, *quæ non minus ad ipsius, quam ad suam utilitatem*, πρὸς τὸ μέλλον ἐς ἀσφάλειαν, & *securitatem futuram attinent*; sic uti videri volebant, habita æquitatis ratione. Etsi enim in eiusmodi casu, quo tum res inter Antiochum & Romanos versabatur, nemo *suaserit pacem charta & atramento nixam, si pignus securitatis idoneum absit*, uti loquuntur Sueci apud *Bœclerum* (n); verum tamen etiam est, quod *quæ modum excedit securitas*,

h) 2. *Bel. Pers. inst. ad. f.* 126. *seq.*
i) 3. *Offic. sub fin.*
k) *Helen.* v. 1633.
l) I.N.G. 8.3.2.
m) *de Bell. Syr. f.* 112.
n) *Bell. Sueco Dan. p.* 326.

curitas, immisericordia sit, monente *Hugone Grotio*. (o).

o) *I.B.P.III.* 15.1.

§. 29. Cum vero contingere possit, ut jam publico, jam privato nomine contra Gentium jus peccetur, recte casu posteriori illos vindicta tantum tangit, qui deliquerunt: Quod fecisse Lysandrum tradit *Xenophon* (p), qui Philoclem Ducem Atheniensium, *quod captis duabus triremibus, quarum una fuisset Corinthia, altera ex Andro, vectores omnes de rupe præcipites egisset*, cum prius ex eo quæsivisset, τί εἴη ἄξιος παθεῖν, ἀρξάμενος εἰς Ἕλληνας παρανομεῖν, *quid supplicii meritus esset, qui primus auctor violatarum adversus Græcos æquitatis legum exstitisset*, morte multavit.

p) *Hist. Græc. l. 2. f.* 457.

§. 30. Cæterum sicut obligatio alia perfecta, alia imperfecta dicitur, quarum illa respondet juri perfecto, quo qui gaudet facultatem habet cogendi illum qui sibi obligatur, hæc juri imperfecto, quod ejusmodi facultatem non concedit: Ita ad quæ ex concessione juris Gentium plenam & perfectam populus habet potestatem, cui à parte alterius obligatio respondet perfecta, ea denegata armis, si res tanti fuerit momenti, vindicare potest; non item si jus imperfectum, & ei respondens obligatio fuerit imperfecta.

§. 31. In bellis civilibus quando populus in duas partes sic dividitur, ut incer-

tum

tum ſit, à qua parte ſtet jus imperii, uti factum erat Romæ tempore Cæſaris & Pompeii, non credendum, eſt tolli obligationem juris Gentium inter talem in ſe diviſam, & alias gentes liberas. Nam uti *Grotius*(q) monet, *hoc eventu gens una pro tempore quaſi duæ gentes habetur.* Idem habendum monet, cum *jure admodum controverſo de regni ſucceſſione duo decertant*; quod exemplo juris Legationis ex *Tacito* illuſtrat.

q) *l. B.P. II.* 18.2.

§. 32. Cuſtos denique & vindex juris Gentium ſupremus eſt Deus Ter Opt. M. qui publica gentium, & Principum delicta, quæ mortales punire nō poſſunt, graviſſime punit. Ἔχει Θεὸς ἔκδικον ὄμμα, ait *Homerus* (r), ſupremus juſtitiæ & publicæ fidei, qua nititur Gentium jus, vindex acerrimus; cuius iræ ob ſcelera publica monimenta ſunt tot gentium, populorum, regnorum, & civitatum vaſtationes, gentilibus etiam hoc nomine agnitæ. Hoc teſte, hoc judice & vindice, publicum inter Gentes exercetur commercium. Sic ἐνάντιον Διὸς, *coram Iove*, imo ἐνάντιον πάντων Θεῶν, ὅσοι κατέχουσι Καρχηδόνα· ἐνάντιον Θεῶν πάντων, ὅσοι Μακεδονίαν καὶ τὴν ἄλλην Ἑλλάδα κατέχουσιν, *coram omnibus Diis qui Carthaginem imperio tenent: coram Diis univerſis, qui Macedoniam, & reliquam Græciam imperio ſuo obtinent,* inter Pœnos & Philippum Macedonem ictum legitur fœdus apud *Polybium* (s). Recte proin Asdrubal

r) *Batrach.* v. 69.

s) *l.7.c.2.*

Hœdus Legatus Carthaginienſis quærenti, *per quos Deos fœdus icturi eſſent, cum eos per quos ante ictum eſſet, feſelliſſet*, reſpondit apud *Livium* (t): *Per eosdem qui tam infeſti ſunt fœdera violantibus*. Unde Juſtinianus Imp. apud *Procopium* (u), Perſarum Regem Coſroëm à bello Romanis contra Gentium jus inferendo dehortaturus, *Deum ſibi maxime iratum reddere quærentium* ait eſſe, *tumultus occaſionem excitare.* Pertinet huc tota epiſtola Imperatoris ad Coſroëm hoc nomine data, prolixior ea licet ſit, quam ut integra hic ponatur. Ridet equidem veſana mortalium ferocia, ad Deum quando provocari audit, quaſi parum impedimēti inde timendum foret, rebus ex animi ſententia procedentibus; quos, ſi Chriſtianam diſciplinam (x) alto ſupercilio contemnunt, Gentilis *Plato* (y) in ruborem dabit. Unde (z)

Si genus humanum & mortalia temnitis arma,
At ſperate Deos memores fandi atque nefandi.

t) *l.30.*
u) *Bell. Perſ. l. 2.*
x) *Gal. 6. 7.*
y) *l. 10. de LL. f. 672.*
z) *Virgil. 1. Æneid. v. 546.*

Τῷ Θεῷ μόνῳ δόξα.

CON-

CONSPECTUS OPERIS.

Procemium

An Gentium jus detur, & varias ejus acceptiones explicat.

ARTICULUS. I.

De

Universali generis humani societate.

38. *Af-*

63. *Vni-*

ARTICULUS II.

De

Divisione humani generis in gentes & civitates.

14. *Quid*

ARTICULUS III.

De

Statu gentium & cœtuum, in quos humanum genus dividitur.

ARTICULUS IV.

De

Unitate humanæ consociationis

per

Gentium connexionem.

5. Cai

30. *Ae-*

ARTICULUS V.

An,

& quatenus jus Naturæ ingrediatur constitutionem Juris gentium.

ARTICULUS VI.

De

Consuetudinibus inter gentes, an & quatenus ad gentium jus pertineant?

13. Ter-

ARTICULUS VII.

De

Pactis gentium,

an

ad jus gentium referri debeant?

16. Fa-

ARTICULUS VIII.

An

Gentium voluntas

ad

Originem hujus juris concurrat?

ARTICULUS IX.

De

De vera juris gentium indole, & usu.

10. Be

10. Bellum, eiusque hostile commercium inter gentes.
11. Commercium hoc jure aliquo necessario dirigi debet,
12. Quod à cæteris juris speciebus distinctum est, gentiumque societati proprium.
13. Quomodo ad jus gentium aliquid referri, atque Iuris G. esse dici queat: An detur I.G. naturale & positivum?
14. Quæ sunt juris gentium præceptivi;
15. Sunt talia vel absolute,
16. Vel secundum quid, respectu certi status:
17. Vel cum exceptione summæ necessitatis, & mutationis temporum.
18. De securitate legatorum, eorumque admissione.
19. Obiectum fidei datæ variare solet.
20. Ius gentium concessivum:
21. An, & quousque mare tam quoad imperium, quam quoad dominium occupari permittat?
22. Huius dominii quem effectum concedat.
23. Quæ secundum quid hoc jure sint concessa.
24. Quæ absolute.
25. De concessione juris gentium imperfecta.
26. Non semper inique denegantur, quæ sic debentur imperfecte.
27. De servitutibus.
28. De his quæ à I.G. nude permittuntur, & ad quæ illud connivet.
29. Causa huius conniventiæ, impunitatis & permissionis.
30. Permissus istiusmodi G.I. titulum juris non largitur.
31. Nonnulla juris gentium distinctiones explicantur. Ius gentium Europæum?
32. Vsus juris gentium ubi detur?
33. Vsus huius doctrinæ.

ARTICULUS X.

De
Obligatione juris Gentium.

21. Obli-

Index Rerum.

A.

Anthro-

Belli

Col-

cum

Divi-

Flumen

pactum

Judi-

Naufra-

Pigno-

Provo-

S.

T.

Vastatio

V.

W.

FINIS